This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Über dieses Buch

Dies ist ein digitales Exemplar eines Buches, das seit Generationen in den Regalen der Bibliotheken aufbewahrt wurde, bevor es von Google im Rahmen eines Projekts, mit dem die Bücher dieser Welt online verfügbar gemacht werden sollen, sorgfältig gescannt wurde.

Das Buch hat das Urheberrecht überdauert und kann nun öffentlich zugänglich gemacht werden. Ein öffentlich zugängliches Buch ist ein Buch, das niemals Urheberrechten unterlag oder bei dem die Schutzfrist des Urheberrechts abgelaufen ist. Ob ein Buch öffentlich zugänglich ist, kann von Land zu Land unterschiedlich sein. Öffentlich zugängliche Bücher sind unser Tor zur Vergangenheit und stellen ein geschichtliches, kulturelles und wissenschaftliches Vermögen dar, das häufig nur schwierig zu entdecken ist.

Gebrauchsspuren, Anmerkungen und andere Randbemerkungen, die im Originalband enthalten sind, finden sich auch in dieser Datei – eine Erinnerung an die lange Reise, die das Buch vom Verleger zu einer Bibliothek und weiter zu Ihnen hinter sich gebracht hat.

Nutzungsrichtlinien

Google ist stolz, mit Bibliotheken in partnerschaftlicher Zusammenarbeit öffentlich zugängliches Material zu digitalisieren und einer breiten Masse zugänglich zu machen. Öffentlich zugängliche Bücher gehören der Öffentlichkeit, und wir sind nur ihre Hüter. Nichtsdestotrotz ist diese Arbeit kostspielig. Um diese Ressource weiterhin zur Verfügung stellen zu können, haben wir Schritte unternommen, um den Missbrauch durch kommerzielle Parteien zu verhindern. Dazu gehören technische Einschränkungen für automatisierte Abfragen.

Wir bitten Sie um Einhaltung folgender Richtlinien:

+ *Nutzung der Dateien zu nichtkommerziellen Zwecken* Wir haben Google Buchsuche für Endanwender konzipiert und möchten, dass Sie diese Dateien nur für persönliche, nichtkommerzielle Zwecke verwenden.

+ *Keine automatisierten Abfragen* Senden Sie keine automatisierten Abfragen irgendwelcher Art an das Google-System. Wenn Sie Recherchen über maschinelle Übersetzung, optische Zeichenerkennung oder andere Bereiche durchführen, in denen der Zugang zu Text in großen Mengen nützlich ist, wenden Sie sich bitte an uns. Wir fördern die Nutzung des öffentlich zugänglichen Materials für diese Zwecke und können Ihnen unter Umständen helfen.

+ *Beibehaltung von Google-Markenelementen* Das "Wasserzeichen" von Google, das Sie in jeder Datei finden, ist wichtig zur Information über dieses Projekt und hilft den Anwendern weiteres Material über Google Buchsuche zu finden. Bitte entfernen Sie das Wasserzeichen nicht.

+ *Bewegen Sie sich innerhalb der Legalität* Unabhängig von Ihrem Verwendungszweck müssen Sie sich Ihrer Verantwortung bewusst sein, sicherzustellen, dass Ihre Nutzung legal ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass ein Buch, das nach unserem Dafürhalten für Nutzer in den USA öffentlich zugänglich ist, auch für Nutzer in anderen Ländern öffentlich zugänglich ist. Ob ein Buch noch dem Urheberrecht unterliegt, ist von Land zu Land verschieden. Wir können keine Beratung leisten, ob eine bestimmte Nutzung eines bestimmten Buches gesetzlich zulässig ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass das Erscheinen eines Buchs in Google Buchsuche bedeutet, dass es in jeder Form und überall auf der Welt verwendet werden kann. Eine Urheberrechtsverletzung kann schwerwiegende Folgen haben.

Über Google Buchsuche

Das Ziel von Google besteht darin, die weltweiten Informationen zu organisieren und allgemein nutzbar und zugänglich zu machen. Google Buchsuche hilft Lesern dabei, die Bücher dieser Welt zu entdecken, und unterstützt Autoren und Verleger dabei, neue Zielgruppen zu erreichen. Den gesamten Buchtext können Sie im Internet unter `http://books.google.com` durchsuchen.

STANFORD UNIVERSITY
LIBRARIES



CODEX

DIPLOMATICUS ET EPISTOLARIS

MORAVIAE.

STUDIO ET OPERA

ANTONII BOCZEK,

SOCIETATIS SCIENTIARUM BOEMICAE ET ALIARUM MEMBRI,

PROFESSORIS EMERITI, HISTORIOGRAPHI AC ARCHIVARII STATUUM MARCHIONATUS MORAVIAE.

TOMUS TERTIUS

AB ANNIS 1241—1267.

OLOMUCII, 1841.

EX TYPOGRAPHIA ALOYSII SKARNITZL.

DS513
L66
v.2





nostra confirmare curetis. Si vero predictum C. electum canonice, et electionem prefati W. minus canonicam esse repereritis, ea rite cassata munus confirmationis C. impendatis eidem contradictione etc. Ceterum si quod de vtroque factum exstiterit, inueneritis perperam attemptatum, vos vtrique sicut iustum fuerit silentium imponentes, faciatis predicte ecclesie de pastore qui tanto congruat oneri et honori per electionem canonicam prouideri. Quodsi non omnes his exequendis potueritis interesse, duo vestrum nichilominus exequantur. Dat. Laterani, Idus Aprilis. Pontificatus nostri anno XV.

E Regesto Gregorii IX. anni XV. lit. 20. in tabulariis Vaticanis.

II.

Gregorius papa IX. monasterio Lucensi confirmat jus patronatus ecclesiarum in Přimětice et Prosměřice. Dt. Laterani, VI. Nonas Julii, 1241.

Gregorius episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis . . abbati et conuentui monasterii *lucensis* premonstratensis ordinis Olomucensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur qvod iustum est et honestum. tam uigor equitatis qvam ordo exigit rationis. ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecti in domino filii vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu ius patronatus de *Primetiz* et de *Prosmeriz* ecclesiarum. qvod Carissimus in Christo filius noster . . Boemie Rex. illustris tunc patronus ipsarum. venerabilis fratris nostri Olomucensis episcopi earum diocesani et capituli sui accedente assensu. monasterio vestro pia liberalitate concessit. sicut illud iuste ac pacifice obtinetis. uobis et per uos eidem monasterio auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Laterani VI. Nonas Julii. Pontificatus nostri anno quintodecimo.

Ex originali in archivo ejusdem monasterii.

III.

Wenceslaus, rex Boemiae, monasterio Cellae s. Mariae Brunae jura montana in vineis juxta Brunam ad mensam regis spectantibus condonat. Datum in Burglino (Bürglitz), 1241.

In nomine sancte trinitatis et indiuidue unitatis. Nos Wencezlaus dei gracia rex Bohemorum quartus omnibus presencium noticiam habituris ad rei memoriam. Regie magestatis congruum fore dignoscitur, ut ea, que perpetuare decreuit, robur debitum firmitatis debeant obtinere. Noscat igitur tam presens hominum etas, quam futura, et in Christo successura posteritas, quod in honorem Dei et gloriose matris eius beate Marie uirginis pro remedio nostre anime ac nostrorum antecessorum ad pias preces domine et uxoris nostre Chunegundis nomine, *sorori Herburge* et conuentui dominarum de *Cella sancte Marie in Brunna* iura, siue ut vulgo dicitur berchrecht, que ad nostram mensam spectant de vineis, quas possident circa dictam ciuitatem et habiture sunt imposterum, ad subsidium Celle memorate misericorditer relaxantes, perpetuo condonamus. Volentes nichilominus, ut hec elemosina nostra a nostris successoribus nullatenus infringatur. Vt autem huius indulgentie pagina rata sit et inconuulsa nunc et in euum ipsam nostri sigilli munimine iussimus insigniri. Actum presentibus hiis: Witigone de nouo castro, Heynrico de Sitauia, Gallo de Lewenberch, Ratiborio de Doblin et quam pluribus. Datum in Burgelin per manus Rombothonis nostre curie notarii, anno MCCXLI.

Ex originali in c. r. arch. aulico Vindobonae. — Sigilli appensi fragmentum superest.

IV.

Episcopus Pataviensis novo monasterio Cellae s. Mariae Brunae indulgentias elargitur. Dt. Pragae, 1241.

R. dei gratia Patauiensis episcopus omnibus presens scriptum inspicientibus salutem in eo, qui est salus omnium et uita. Debitum officii nostri postulat, et persuadet ratio pietatis, ut illos assiduis beneficiis prosequamur, qui nouerint domino iugiter famulari. Cum igitur ecclesia in

Cella sancte Marie in Brunna, ubi dominarum societas domino famulantium est collecta, nouiter sit erecta opere sumptuoso, nec eis ad perficiendum eam proprie suppetant facultates, vniuersitatem uestram exhortamur in domino attentius conmonentes, quatenus ad predictam nouellam structuram uestras elemosinas erogetis, preuenientes operibus misericordie diem messionis extreme, in quo percipiet quilibet suorum operum retributionem; scientes, quod quicunque ipsis dominabus manum porrexerint adiutricem, confisi de misericordia omnipotentis dei XL dies, X criminalium et XXX uenialium de peccatis, quibus uere contriti fuerint aut confessi, super quibus penitentiam habuerint iniunctam misericorditer relaxamus. Datum Prage anno domini MCCXLprimo; anno electionis nostre primo; indictione nona.

E Vidimus Brunonis, episcopi Olomucensis, in archivo S. J. Brunensis.

V.

Literae super castro Venowe ad episcopatum Mindensem pertinente sub testimonio *Hartberti dapiferi,* Berwardi et Heinrici de *Hemenhusen, Helemberti* camerarii . . . 1241.

Würdtwein — Subsid. dipl. VI. 393.

VI.

Gregorius papa IX. Belam, regem Ungariae, ne matrem ecclesiam in tanta necessitate destituat, hortatur. Dt. Laterani, IV. Kalend. Martii 1241.

Fejér IV. 1. — 2. p. 210.

VII.

Literae nomine et sub sigillo Belae IV., regis Ungariae, ad populum deludendum a *Tartaris* sparsae. 1241.

Fejér VII. 1. p. 276.

VIII.

Boemiae regis epistola ad ducem de Brunswich de Tartarorum irruptione, contra quos ejus auxilium implorat. **1241.**

Rex Boemie duci de Brunswich. Amaritudinis doloribus ex intimo cogimur iure lamentari et convertere gaudium nostrum in mestitiam et merorem ex infausto nostri casus eventu christianitatis excidium trepidantes, dum redemptore ultra modum extente malitie corporis, et peccatorum nostrorum habundancia soporato usque adeo tempestas insurgit, quod non solum agitare (l. agitari) videtur fidelium navicula, sed submergi, nisi clamoribus et uocibus saltim querula manu excitat dominus genti . . . . . longiori latet mora . . . subueniat festinanter. Nam ipso, cuius motu (l. nutu) omnia diriguntur, propter peccata hominum, prout firmiter credimus, permittente barbare naciones, que uulgo *thartaros* se appellant, de plaga orientali uelud locuste ex heremo prodeuntes maiori Vngarie. Cri. Rossia. et pars (parte) Cattae et munimentis quibusdam exceptis, que adhuc se defendunt, exceptis, depopulatis totaliter, non absque strage personarum miserabilium infinita, pariter cede . . . . terreque gleba incole nouo relicte. —

E codice Ms. c. r. bibliothecae palatinae Vindobonae, sect. philologicae Nro. 305. (92).

IX.

Gregorius papa IX. abbatem s. Crucis fratresque Praedicatores Teutoniae jubet praedicare cruciatam contra Tartaros, qui Boemiae et Teutoniae regna jam invadere moliebantur. Dt. Laterani, XIII. Kal. Julii, **1241.**

Gregorius episcopus seruus seruorum dei. Dilecto filio . . abbati S. Crucis Cisterciensis ordinis, Patauiensis diocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Vocem in excelso lamentationis et fletus audiuimus et nos multis amaricati doloribus deploramus, quod iaculatum de celo iudicium iam depopulatur undique populum Christianum, quod infidelium gladius in fideles reciproca cede conuertitur et in Christicolas paganorum mucro crudeliter debacchatur. Clamor enim scelerum humani generis multiplicatus ascendens in aures omnium conditoris, ipsum qui quasi non videns huc usque tacuit,

qui correctionem populi sui velut patiens expectauit, ultorem iniquitatum gladium coegit exerere, et ab oculis patientie sue abominationes emundare flagitiorum, expetita graui de peccatoribus ultione, propter quod omnes quorum corda timor domini tetigit, opertos ciliciis et aspersos cinere in suspirio et lacrymis diuinam conuenit misericordiam implorare, ut qui semper ad ignoscendum multus exstitit, qui prestabilis super malitia omni esse tempore consueuit, exertum gladium ad vaginam iubeat regredi, et iram in gentes que illum non nouerunt effundens, dignetur proprio filii sui insignito caractere misereri. Speramus autem, quod etsi deus noster nos dura increpatione redarguere ceperit, regna tamen, que ipsius nomen inuocant, a facie sua disperdere non intendit, quinimo a pena perpetua peccatores curat eripere, quibus temporalis studet ultionis beneficium ad castigationem nostri generis adhibere; quia etsi filios Israel tentatio mortis in eremo quandoque tetigerit, in eis tamen ira domini diutius non permansit. Grauiter igitur de uniuersa fidelium oppressione turbamur: sed diebus istis specialis et grandis tristitia cor nostrum impleuit, quod sicut in lectione literarum nobilium virorum . . Austrie et . . Carinthie ducum non sine multarum lacrymarum effusione didicimus, *Tartari* post regnum Ungarie inuasum et pro magna parte occupatum ab eis, inebriantes gladios suos sine differentia etatis et sexus de sanguine omnium quos capere potuerunt, *Boemie et Teutonie* regna iam inuadere moliuntur, totam Christianorum terram desertam ponere et eorum fidem perdere cupientes. Firmam igitur spem in illo ponentes, qui etsi regi Assyriorum Senacherib liberum in terram Israel ingressum exhibuit, super Ezechie tamen contritione commotus, aduersariorum multitudinem nocte una deleuit, discretioni tue in virtute obedientie districte precipiendo mandamus, quatenus per vicinas prouincias verbum crucis iuxta datam tibi a deo prudentiam per te ac alios quos ad hoc idoneos cognoueris esse proponens, viros catholicos, ut considerantes quod sicut a dictis Tartaris totius populi Christiani perditio queritur, sic in eorum expugnatione salus omnium procuratur, et confidentes in illo, qui saluum facit populum humilem et oculum humiliat arrogantem, contra dictos Tartaros ad defensionem predictorum regnorum assumpto crucis signaculo potenter et viriliter se accingant, salubribus monitis inducere non postponat. Nos enim omnibus, qui taliter contra prefatos Tartaros processerint, illam im-

munitatem concedimus, eamque indulgentiam elargimur, que terre sancte succurrentibus in generali concilio conceduntur. Si qui vero ex crucesignatis huiusmodi pro violenta iniectione manuum in personas ecclesiasticas seu pro incendio vinculo fuerint excommunicationis astricti, eis dummodo iniuriam et damna passis iuxta prouidentiam tuam satisfaciant competenter, et non sit eorum adeo grauis et enormis excessus, quod propter hoc merito sint ad Sedem apostolicam destinandi, secundum formam ecclesie absolutionis beneficium impendendi, nec non contra dictos Tartaros commutandi vota eorum, qui in terre sancte subsidium proficisci vel alias pro peccatorum suorum remedio peregrinari vouerunt, liberam tibi tribuimus facultatem. Dat. Laterani XIII. Kal. Julii anno XV.

In eundem modum priori provinciali fratrum praedicatorum Teutoniae.

In e. m. priori fratrum praedicatorum Viennae.

In e. m. ministro provinciali fratrum minorum Teutoniae.

Ex autographo Regesto literarum Gregorii papae IX. anni XV. epist. 90. in tabulariis Vaticanis.

X.

H. Lotharingiae ducis epistola ad ducem Brabantiae de auxilio adversus *Tartaros* ferendo. Dt. die, qua cantatur: Laetare Hierusalem, 1241.

Matthaeus Parisien. — Historia magna 496.

XI.

Archiepiscopi Coloniensis epistola ad Angliae regem de *Tartarorum* invasione. 1241.

Ibidem.

XII.

Epistola ducis Brabantiae ad episcopum Parisiensem de *Tartarorum* invasione. 1241.

Ibidem.

XIII.

Jordanus, fratrum minorum in Polonia vicarius, notum facit, *Tartaros* vastata Polonia jam in foribus *Boemiae* et Alemanniae esse, atque in eorum occursum regem Boemiae cum exercitu esse egressum. Dt. in conventu Pringensi, IV. Idus Aprilis, 1241.

Ibidem — in additamentis p. 138.

XIV.

Epistola ad I. ducem Barbaniae et Bononiae de *Tartarorum* saevitia, et de expeditione adversus eosdem. 1241.

Ibidem.

XV.

Epistola fratrum minorum regni Boemiae ad H. ducem Brabantiae de saevitia et moribus *Tartarorum*, qui ante ascensionem domini *Moraviam* intraverunt. 1241.

Ibidem — p. 139.

XVI.

Episcopus quidam ex Ungaria Parisiensi episcopo de *Tartarorum* irruptione et moribus scribit. 1241.

Ibidem — p. 1128.

XVII.

Fratres praedicatores et minores universis fratribus suis *Tartarorum* in Ungariam, Poloniam et *Moraviam* irruptionem, et quae contra eosdem parentur, notificant. 1241.

Ibidem — p. 1130.

XVIII.

Fridericus imperator de *Tartaris* Hungariam, Poloniam et *Boemiae* fines vastantibus ad regem Angliae scribit. Dt. in recessione post depopulationem Faventiae, 3. Julii, 1241.

Ibidem.

XIX.

Ulricus, comes de Ultimis, *crucesignatus* adversus *Tartaros*, Egnoni, episcopo Brixinensi, omnem suam hereditatem legat. Dt. Brixinae, mense Junio, 1241.

Hormayr's Beiträge zur Gesch. von Tyrol.

XX.

Gregorius papa IX. audita *Tartarorum* in Ungariam irruptione Belam regem solatur. Dt. Laterani, XV. Kal. Julii, 1241.

Fejér IV. I. 218. — e reg. anni XV. ep. 79. — Apud Raynald. MCCXL. nro. 18. — Katona T. V. p. 932.

XXI.

Idem audita *Tartarorum* in Ungariam irruptione universos praelatos solatur, eisque Belam regem suosque commendat. Dt. Laterani, XV. Kal. Julii, 1241.

Fejér IV. I. 218. — e Bullario ord. praedicator. T. VII. p. 16.

XXII.

Idem de clade Hungaris illata per Stephanum Vaciensem episcopum certior factus, consolationem apud Belam regem iterat, suamque de pace cum Friderico ineunda subsidii ferendi gratia promtitudinem declarat. Datum Laterani, Kalendis Julii, 1241.

Fejér IV. I. 228. — Apud Raynaldum ad 1241. nro. 27. — Katona V. pag. 985.

XXIII.

Wenceslai, Boëmiae regis, epistola ad Conradum, Romanorum regem, qua de inani sua expeditione in Poloniam adversus *Tartaros* scribit, auxiliumque expetit. 1241.

Schannat. — Vindemiae p. 204.

XXIV.

Conradus, Romanorum rex, filius Friderici imperatoris, Germanos ad expeditionem crucis adversus *Tartaros* provocat die congregationis in octava s. Joannis Baptistae in Nurnberg indicta. **1241.**

Ibidem — p. 204.

XXV.

Wenceslaus, rex Boëmiae, confirmat donationem bonorum Miletjn factam a Domaslawa de Miletjn fratribus domus Teutonicae sub testimonio *Heinrici, Landgravii Thuringensis.* Dt. in Gradec XIIII. Kal. Novembris, **1241.**

Millauer — Deutscher Ritterorden p. 103. — ex orig. in arch. Regiomontano.

XXVI.

F. abbas montis s. Mariae in Ungaria perscribit per fratres suos in Hiberniam fugientes vastitatem per *Tartaros* illatam, fugam Belae, ac Colomanni ad Sajo fluvium vulnerati obitum, nec non vastationem Austriae et *Moraviae.* Dt. Viennae, pridie Nonas Januarii, **1242.**

Fejér IV. I. 235.

XXVII.

Ivo, dictus Narbonensis clericus, Giraldo Burdigalensi archiepiscopo scribit, quid *Tartari* ad Neostadium ac Viennam egerint, quos mores prae se tulerint etc. **1242.**

Matthaeus Parisiensis l. c. p. 538.

XXVIII.

Epistola Rogerii in miserabile carmen super destructione regni Ungariae per *Tartaros* facta ad Joannem, Pesthinensis ecclesiae episcopum. **1242.**

Schwandtner I. 292. — Fejér IV. I. 244.

XXIX.

Bohuslaus de Bukow fratribus militiae templi de Gamolice confert curiam in Olšj. Dt. in Kozlow, mense Junio, 1242.

In nomine domini amen. Ego Bohuzlaus de Bukov omnibus hanc litteram lecturis ad rei memoriam sempiternam. Quoniam nichil uita incertius nichilque mutabilius existit. quam memoria posterorum. idcirco adhuc mentis et rerum mearum potens hanc ordinationem scripture mandare ordinaui. Notum sit igitur tam presentibus quam futuris. quod ego *Bohuzlaus de Bukov* de consensu uxoris mee Miloslaue curiam meam in *Olsze* cum omnibus attinentiis eiusdem contuli intuitu amicabilis seruitii. quo *frater Cuno de domo militie templi meam uilam in conflictu quodam cum atrocibus Tartaris fortiter tuebatur. fratribus suis in Jemolice* in perpetuum euum contuli possidendam. Et ne super hac donatione apud posteros possit aliqua calumpnia suboriri. presentem paginam sigillo meo roboraui adiunctis nichilominus uiris fide dignis in maiorem rei geste firmitatem. quorum nomina sunt. Woitech prepositus de Dubraunik. frater Cunradus militie templi. Frater Rolco sacerdos de Strazka. Joannes plebanus in Bisterice. Stephanus de Medlov. Hermannus de Kozelov. Gallus filius Stephani. Woiteh de Vgezd. et alii quam plures. Datum in Bukov anno gratie millesimo CC. XLII. mense Junio. Indictione prima.

Ex originali in curia Brunensi.

XXX.

Fridericus, dux Austriae, confert Conrado de Himberg officium camerarii cum proventu ex Viennensi moneta, et cum advocatia in Dornbach. Dt. in castris apud *Klobuk* ad Vagum fluvium. 1242.

Wiener Jahrbücher der Literatur.

XXXI.

Fridericus, dux Austriae, monasterio Medlicensi partem silvae juxta castrum Schala tradit. Act. apud Neuburg; dt. *in castris apud Weikindorf.* 1242.

Huber — Austria ex archivis p. 22.

XXXII.

Wenceslaus, rex Boëmiae libertates, jura et leges civitatis Brunensis stabilit. Dt. Pragae, mense Januario, 1243.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Nos Wencezlaus Dei gracia Rex Boemie quartus. Omnibus. tam posteris quam modernis. Salutem. Gloria principum per pacem et subditorum quietem largius elucescit. cum fama clementie. ac diligentia protectionis eorum extenditur in posteros. et memoria nominis eorum. quam continue studio uirtutis acquirunt. apud homines permanet immortalis. Salutem quoque perpetuam a domino promerentur. cum subiectos quibus possunt bonis consuetudinibus et institutis honestis. ab enormitatibus quibus non solum corpora. sed etiam anime intolerabilia pericula sustinerent. retrahunt. et ad iusticie tramitem. conuersacionemque probatam. et acceptam et vtilem vniuersis. iuris seueritate perducunt. Hinc est. quod nos dilectorum ciuium nostrorum de *Bruna* deuocionem. precesque affectuosas. et assiduas aduertentes. libertates et iura subscripta. per que tranquillitati et communi vtilitati eorum decreuimus prouidendum. ipsis. et eorum heredibus et posteris. de Regia clementia indulgemus. quas de gracia speciali nichilominus eisdem scripti presentis testimonio confirmamus. Statuimus igitur. vt quicumque ciuivm habens infra civitatis ambitum. hoc est infra fossatum et murum. valens quinquaginta talenta. quemquam occiderit. nulla pro se fideiussione indigeat. sed iudex ipsum citet tribus edictis. id est tribus vicibus infra. VI. ebdomadas. ita quod cui homicidium impingitur. neget. se idem homicidium commisisse. et si se innocentem ostendere voluerit. expurget se VII. viris credibilibus et honestis. inter quos videlicet VII. sit unus de iuratis Principis. quem si habere nequiuerit. acquirat eum per dei iusticiam. id est per aquam. Item. Qvicunque alium de homicidio. vel de inuasione domus. hoc est Heymsvoche. vel de quocumque reatu consimili culpauerit. priusmet secundus iuret coram iudicio. quod nec inuidie. nec inimicicie causa. nisi de culpabili conqueratur. Qvod si non fecerit. actor ipse querimonie sue renuntiabit coram iudicio. quam contra suspectum habebat. Si vero suspectus. VII. se uiris prefatis expurgauerit. innocens erit a iudice et actore. Si vero talem expurgacionem habere nequiuerit. capite puniatur, vel secundum graciam iudicis

et iuratorum ciuitatis emendetur. Si autem homicida deprehensus fuerit in ipso actu cum gladio cruentato. et si iudex hoc probare poterit cum. VI. idoneis et honestis personis. et vno iurato. capite puniatur. Si vero iudex predictas personas non habuerit ad probandum. probet metquintus. duobus uidelicet iuratis aliis duobus honestis uiris. ita vt de predictis VI. uiris. vel de quatuor sequentibus nullus inimicus. vel emulus exstiterit interfecti. capite puniatur. Si autem homicida legitimis ter vocatus edictis. coram iudicio non comparuerit. iudex eum proscriptum denunciet. et prima pars bonorum suorum iudici. altera pars actoribus. tercia vero cedat liberis et vxori. Verum si liberis et uxore careat homicida. qui proscripcione dampnatur. prima pars bonorum suorum iudici. altera pars actoribus. tercia vero ecclesiis egentibus. et ad uias reformandas de communi consilio impendatur. Igitur. quicumque pro homicidio in proscripcionem devenerit. in ipsa per annum et diem. omnium interuentv destitutus et auxilio. permanebit. Decernimus eciam. vt quicunque propter homicidivm dampnetur exilio. finito anno et die. nequaquam ciuitatem intrabit. antequam marcam argenti ciuitati assignet. Sane. si homicida non habet infra muros valens quinquaginta talenta. et nichilominus fideiussorem pro se poterit inuenire. idem fideiubeat pro eo in summa. L. talentorum. de quibus quinquaginta talentis tercia pars iudici. tercia pars actoribus. tercia vero ciuitati solvetur. Si fideiussorem non habuerit. iudex ipsum capiat. et teneat. quousque de ipso iudicet. sicut iustum fuerit. et ordo postulat racionis. Insuper. si filius aut amicus alicuius quemquam occidat. et pater vel amicus eius absens fuerit. vel presens manum non apposuerit. si met tercius virorum fidelium hoc probare poterit. ab omni culpa et pena ipsum decernimus absolutvm. Item si quis de homicidio incusatus. confessus fuerit. quod id fecerit. vim vi repellendo. id est. Notwernde. si hoc ipsum probauerit. met septimus probabilium virorum. inter quos VII. sit vnus de iuratis principis. innocens erit. Et si iuratum habere non poterit. acquirat eum per dei iusticiam. id est per ivdicium aque. Si vero in aqua processum non habuerit. sed defectum. acquirat eum per ignitvm ferrum. Et talis expurgacio et iudicium. cuilibet indulgetur. qui de homicidio inpulsatur. Nunc de vulneribus duximus adnectendum. Si quis ciuium alicui manum amputauerit. vel pedem. aut nasum. avt aliquod nobile membrum abstulerit. iudici pro pena. quinque talenta

soluet. passo dampnum X. talenta conponet. Si vero qui dampnum fecit denarios habere non poterit. secundum legem iudicetur de ipso. Oculum pro oculo. Manum pro manv. et sic de ceteris membris. Si fieri vult inculpabilis. probet innocentiam svam met secundus probabilium virorum. et vno iurato. et si non poterit hoc habere. probet met septimus probabilium virorum. et liber sit. Item. Qvicumque alteri amputauerit digitvm. vel ita vulneravuerit. quod membrorum paciatur detrimentum. id est Lidschert. iudici duo talenta. passo dampnum quinque talenta persolvat. Si vero denarios non habuerit. eo quo predictum est ordine puniatur. Si fieri voluerit innocens. probet innocentiam svam metquintus probabilium uirorum. Et si hos habere non poterit. probet met tercius. inter quos de iuratis principis erit vnus. Si quis autem aliquem temerarie citauerit. pena talis iudicio principis reseruetur. Si quis aliquem vulneraverit. ita quod uulneratus conualescat. sine detrimento membrorum. id est. Lytschert wunden. iudici vnum talentum. vulnerato duo talenta persoluat. Si denarios non habuerit. septimanis sex detineatur pro pena captiuus. vel expurget se met tercius probabilium uirorum. Si quis citatus legitime conuenitur. quod aliquem plano uulnerauerit vulnere. sine lesione membrorum nobilium. et ille versa uice proponat. hoc de defendendo fecisse. hoc met tercius probabilium virorum testimonio comprobabit. Sin autem iudici talentum. vulnerato duo talenta persoluet. Si vero quis quocunque tempore fuerit vulneratus. ipsis de quibus habetur suspicio. quod eundem vulnerauerint. si bona non habuerint. que sufficiant ad emendandum. vel fideiussoribus careant. a iudice vsque in crastinum teneantur. et mane facto vulneratus coram iudicio suspectos conueniat. iuramento ab ipso actore prius prestito met secundo. Et si vulneratus pre nimia debilitate corporis ad iudicium venire nequierit. due ydonee persone. cum nuncio iudicis ad evm veniant. et in lecto egritudinis. ab eo met secundo. recipiant calumpnie iuramentvm. quod a nullo recipitur. nisi iuret met secundus. Nulli quoque prestabitur idem iuramentum. id est. voreit. extra iudicium. sed in iudicio tantvm. Preterquam vt supra dictum est. ille qui debet iurare. sit adeo debilis. quod ad iudicium venire non possit. tvnc iudex mittet ad illum duos vél plures honestos viros. coram quibus idem metsecundus. prebeat sacramentum. Pro uulnere vero. si quem contigerit proscripcione dampnari. in ipsa extra ciuitatem sex ebdo-

madis permanebit. per quod spatium si de causa et culpa sua non composuerit. cum iudice et actore. sex aliis ebdomadis extra ciuitatem commorabitur iterato. Et si quidem adhvc componere neglexerit cum eisdem. annvm et diem extra ciuitatem manebit. Si vero versa uice se suspectus facere voluerit innocentem. expurget se met quintus probabilium virorum. Quodsi processum non habuerit. intrans domum X. talenta. egrediens domum X. talenta persoluet. quorum prima pars iudici. altera pars actori. tercia vero ciuitati soluetur. et si pecuniam non habuerit. manum amittat. Volumus quoque. vt quicunque manens in ciuitate cum ciuibus iura tenuerit vniuersa. tam in iudicio. quam in collectis. ab omni teloneo debeat esse liber. Precipimus etiam. quod quicunque ad pugnam vel rixam tenso arcv vel balista accesserit. iudici tria talenta. ciuitati vero duo soluat. Omnis quoque. qui die forensi in foro. cum forensi populo. quod gladium ad grauamen alicuius nvdauerit. conuictus fuerit. iudici duo talenta. tria talenta ciuitati componet. Si pecuniam non habuerit. manus ipsius transfodiatur cultello. Si quisquam ciuium alicui in debito teneatur. tres dies peremptorios soluendi habeat. vel absoluatur. Item quicumque in aliquo furto deprehensus fuerit. quod LX. denarios valeat. suspendium pacietur. Si vero minoris valoris fuerit. non suspendetur. sed ad notam infamie ferro ignito consignabitur in facie. vt est moris. Si quis vulneratus fuerit. adeo. vt ad iudicium venire non possit. et posse evadere non putatur. et res huius facti ad iudicium venerit. iudex teneat ipsum captiuvm qui fecit. donec. si vulneratus possit evadere. videatur. Si vero quis pro ipso voluerit fideiussionem prestare. fideiubeat pro L. talentis. donec vel ille conualescat. vel moriatur. et secundum hoc emendet. Statuimus etiam firmissime. quod quicunque mulierem honestam vel uirginem vi oppresserit. vel rapuerit. et illa infra. XIIII. dies testimonio dvorum credibilium virorum se probauerit exclamasse. ille igniti ferri se iudicio expurgabit. Si vero ille se non expurgauerit. sententiam capitalem subibit. Preterea si illa infra dies XIIII. testimonio VII. credibilium virorum illum convicerit. nulla sibi conceditur expurgacio. sed capitali sententia punietur. Si vero mulier aliqua communis se conqueritur vi oppressam. et si constiterit. iudex eidem satisfaciat de oppressore. iuxta consilium et sententiam iuratorum. In potestate quoque iudicis erit. illum si voluerit. puniendi. Si quis conuictus fuerit per VII.

viros credibiles et honestos. quod falsum testimonivm perhibuerit. et vel devm. vel sanctos blasphemauerit. exscindetur lingva illius. vel redimet eam. V. talentis. Item. Aput quemcunque infra ambitum ciuitatis. cultellus longus qui dicitur misericors. Stechmezzir cingulo suspensus deprehensus fuerit. dabit iudici unvm talentum. et assignabit cvltellum. vel manus ipsius transfodietur cultello. Qui vero cultellum talem in caliga. latenter portauerit et furtiue. iudici det V. talenta. vel manum amittat. Sunt et alie leges. libertates. et iura necessaria ciuitati. que quoniam omnia presens pagina fuit insufficiens continere. in hoc etiam dilectorum ciuium nostrorum de Brunna de gracia speciali preces decreuimus admittendas. vt ea que restant. sub nostris possint sigillis in alio volumine plenius annotare. Ut autem conscripta. et nichilominus conscribenda. robur habeant perpetue firmitatis. nec heredum aut successorum nostrorum quispiam in predicte ciuitatis preiudicivm et gravamen. ea cassare. vel quicquam de ipsis constitucionibus nostris debeat. immutare. presentem paginam predictis ciuibus nostris et eorum heredibus ac posteris. cum testimonio subscriptorum in earundem confirmacionem duximus exhibendam. nostrorum sigillorum munimine roboratam. et perhenniter valituram. Testes. Withco camerarius de Prybinich. Withco senior. Withco de Novo castro. Bochko. Burchrauius Znoymensis. Cryho dapifer. Ratiborius cum filiis. Archlevo et Ienchone. Victor. Sifridus et Cadoldus orphani. et alii quam plures. Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. XL. III. mense Januario. Indictione secunda. Datum Prage per manum curie nostre notarii Rembothonis. anno. mense et indictione prescriptis.

Ex originali curiae ejusdem civitatis. — Excusum incorrectius in „Jura primaeva Moraviae" p. 42.

XXXIII.

Supplementum libertatum, jurium et legum civitatis Brunensis per regem Wenceslaum latarum. Dt. Pragae, mense Januario, 1243.

Hee sunt libertates. leges. et iura. que in maiori priuilegio non poterant contineri. que tamen nichilominus volumus per omnia rata esse et

firma. et vt prescripta inuiolabiliter observari. Volumus igitur et irrefragabiliter statuimus. Ne quisquam Baronum avt nobilium terre potestatem habeat in ciuitate Brunensi. vel in ipsa violentiam exerceat. vel aliquem teneat sine licentia et nuncio iudicis ciuitatis. Siquidem volumus. vt quicumque ciuivm homines et possessiones extra ciuitatem habeant. nullam (in) ipsis iudex prouincialis vel etiam alii beneficiarii prouintie. ita vt ab eis nec citentur. nec etiam iudicentur habeant potestatem. sed iudicentur a iudice ciuitatis. Item. Statuimus. vt quemcunque post renouacionem monete. infra. XII. ebdomadas inuenerint monetarii nostri avrum vel argentvm ementem. ad estimacionem duarum marcarum argenti. eandem tollant pecuniam. gracia mediante. nec ulterius in persona emptoris. nec in aliqua substantia eiusdem. habeant potestatem. Decreuimus etiam. vt in ciuitate proprietates habens. possit easdem uendere. absque impedimento quolibet persone necessitate cogente. Sane precipimus. ne de cetero sint in ciuitate aridaria braziorum. Alioquin volumus. ut possessores eorum de dampnis quibuslibet. que ipsorum occasione emerserint. lesis satisfaciant vt est iustum. Inhibemus etiam. Ne de cetero sint thaberne. extra ciuitatem ad miliare. in bonis alicuius preter bona et possessiones notarii Brunnensis. qui capellam sancti Procopii habuerit et monetam. Prohibemus etiam. ne quis aliquem proprio pane carentem. in ludo deciorum damnificet. vltra quam sit eius valor vestium. Item. Ciuibus indulgemus. vt quicunque mercimonia deferentes. ad nundinas Brunnenses venerint. tribus ante Pentecosten. et postea totidem septimanis. cum suis mercibus morabuntur. Statuimus insuper. quod quicunque ciuium moriatur. si vxorem habuit vel liberos. iudex vel aduocatus nequaquam intromittat se de bonis ipsorum. sed sint in potestate vxoris et liberorum. In arbitrio quoque sit vidue. non nubere vel nubere cuicunque velit absque quolibet impedimento. Idem quoque statuimus. de filia vel nepte cuiuslibet ciuivm. quod et de vidua. Si autem is qui moritur non habuerit uxorem vel liberos. et sine testamento et ordinacione rerum suarum decedit. bona que reliquit. proximo heredi suo cedant. Item. volumus. ut aduena hospes in ciuitate moriens. de rebus suis quicquid ordinauerit. ratum et firmum volumus permanere. Si vero moriens nichil ordinauerit. ciues custodiant res defuncti. annum et diem. infra quod spatium si venerit aliquis. qui se socium vel heredem vel creditorem defuncti. met tercius honestorum virorum

probauerit. eidem absque contradiccione assignentur omnia que contingunt defunctvm. Sin avtem. pars bonorum illorum tercia. pro anima defuncti. tercia iudici. tercia vero cedet in usus ciuitatis. Liberum quoque habebit arbitrium advena. vbicunque voluerit sepeliri. Placuit etiam celsitudini nostre. ne aduena contra ciuem. nec ciuis contra aduenam inducat testimonivm illorum. qui dicuntur Litcovfer. nisi viros honestos habeat cvm illis. Volumus etiam. vt nullus hospes aduena. super debito vel quacunque causa possit inducere testimonium advenarum. contra ciues. nisi cum aduenis habeat vnvm ciuem vel plures. Decreuimus etiam. ut XXIIII. ciuium iurati. de mercatu et aliis que ad honorem et vtilitatem pertinent ciuitatis. pro ingenio suo debeant fideliter ordinare. quorum ordinationem nec iudex. nec ciues. nec alter quispiam. irritabit. Quod qui presumpserit attemptare. soluat iudici penam ab eisdem statutam. Precipimus insuper. vt aput quemcunque inuenta fuerit iniusta mensura, vel iniusta vlna. vel aliquod iniustum genus ponderis. iudici soluat V. talenta. Item. volumus. vt quicunque de altero in ciuitate mouens querimoniam de quacunque hereditate. siue de domo. vel agro. vel molendino. vel vinea. fideiussores exhibeat iudici pro X. talentis. quod eandem querimoniam prosequatur. Quicunque bonum hominem qui non fuit de honestioribus ciuitatis cedat fustibus. iudici talentum. fustigato duo persoluet. vel expurget se met tercius honestorum virorum. Si aliquis infra septa muri. habens valens XXX. talenta. fustibus cesus fuerit. suspectus det iudici duo talenta. ceso V. talenta. vel expurget se met quartus honestorum ciuivm. Si aliqua leuis vel inhonesta persona verberata fuerit. que hoc ipsum forte sua meruit insollentia. si suspectus hoc probare poterit. met tercius viris credibilibus liber erit a iudice et actore. Item si aliquis cuiquam ciuium. qui tamen non est de honestioribus unus percusserit alapam. iudici det dimidium talentum. percusso talentum. et si lesus testimonium producere voluerit contra illum. et si versa uice alter sese voluerit expurgare. expurget se met tercius credibilibus uiris. Qvicunque domum alterius armis. balistis vel arcubus temerarie inuadere presumpserit. et si ipsam inuasionem passus iniuriam cum vicinis suis honestis probauerit. rei tanquam de homicidio puniantur. Si vero querimoniam suam testibus non poterit comprobare. iudici duo talenta. vnvm ciuitati persoluet. Si vero de inuasione domus querimoniam plane mouerit. suspectus

se duobus digitis expurgabit. Hec itaque vniuersa prescripta. sicut a nobis ita etiam a nostris heredibus et successoribus volumus intemerata perhenniter obseruari. Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. XL. III. Mense Ianuario. Indictione secunda. Datum Prage per manum curie nostre notarii Rembothonis.

Ex originali ejusdem civitatis. — Excusum ibidem.

XXXIV.

Wenceslaus, rex Boëmiae, Litoviam civitatem a Tartaris destructam atque desolatam restaurat. Dt. Pragae, mense Januario, 1243.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Nos Wencezlaus dei gratia rex Bohemorum quartus. omnibus presentium tenorem audituris in perpetuum ad rei memoriam. Regie maiestatis congruum fore dignoscitur ut ea, que de sue munficentie innata largitate largiflua emanare decreuerit, robur debitum firmitatis debeant obtinere. Nouerint igitur uniuersi per regnum nostrum Bohemie et marchionatum Morauie constituti, quod *desolationem ciuitatis nostre Lutouie post destructionem Tartarorum* dolentes, eandem ciuitatem de nouo inhabitari decreuimus statuentes ut omnes quicunque ad locandam et construendam nouam ciuitatem consederint ibidem sint ad XV annorum spacium ab omnibus exactionibus exempti et habeant plenariam libertatem, qua transacta soluent censum singulis annis mediam marcam argenti de quolibet laneo. Item concedimus ipsis lignationem ad fabricam ciuitatis in silua nostra adiacente nomine Dubraw. Thelonei ibidem habeant sextam septimanam cum exemptione solutionis thelonei in Olomucz, in Vnisow et in Vzow. Ciuitas uero ipsa locabitur secundum ius et libertatem. qua ciues nostri in Olomucz hactenus sunt gauisi, sicut in priuilegio nostro, quod H. ciui Olomucensi et aduocato de Lutouia insuper dedimus, latius et uberius est expressum. Vt autem huius nostre munifice concessionis pagina rata sit et inconuulsa et robur perpetue firmitatis obtineat, presens priuilegium ipsis inhabitatoribus duximus exhibendum sigillorum nostrorum appensione roboratum. Acta sunt hec anno dominice incarnationis

M. CC. XL. III. mense Ianuario. Datum Prage per manum curie nostre notarii Rembotonis.

E copia simplici sec. XVII. in curia Olomucensi.

XXXV.

Stephanus, filius Stephani de Medlow (Pernstein), monasterium Daubrawnicense a Tartaris destructum dotat. Dt. Brunae, mense Januario, 1243.

Nos Stephanus filius Stephani de Medlouc. pie memorie omnibus Christi cultoribus in perpetuum. Ne ea que legitime et pia deuotione ordinantur propter Deum humane calumpnie scrupulo perturbari possint. dignum est ut ad cautelam sufficientem et rei geste memoriam sempiternam scripture tenacitati commendentur. Hinc est quod nos succurrentes dominabus Deo iugiter famulantibus in *Dubraunik. quarum cenobium ferocitate et rabie canum seuorum quos tartaros vocant. totaliter lesum et destructum esse cernitur.* earumque inopiam subleuantes contulimus in remedium anime nostre et nostrorum progenitorum qui prefati cenobii fundatores existebant uillam nostram Wir. cum suis pertinentiis. et quinque laneos in Olsi. quos a *fratribus militie templi de Iamoliz* de consensu serenissimi regis Bohemie Wencezlai comparare licuit. et siluam spatiosam cum pratis et apiariis infra uillam Dubraunik super fluuio Zuratka. Que vniuersa ipsis tradidimus iure perpetuo possidenda coram serenissimo domino rege. qui hoc nostre pietatis factum benigne roborare est dignatus. Ad maiorem rei geste firmitatem presentem paginam inde conscriptam sigillorum nostri et fratris nostri Voitech prepositi de Dubraunik munimine roborari curauimus. Datum in Brunna anno dominice incarnationis millesimo CC XLIII. mense Ianuario coram d. Dytrico abbate de Zabrdouicz. Fratre Vlrico de domo Theutonica. Cunrado de Brunna. Zacharia priore. Ienchone filio Ratiborii. Cunone fratre Bochkonis. Cerh. Nagrad. Emranno et Stephano filiis nostris et aliis fide dignis.

Ex originali in curia Brunensi.

XXXVI.

Wenceslaus, rex Boëmiae, confirmat monasterio Siloënsi bona a fratribus domus Teutonicae emta in Humpolec et in Iglavia cum ecclesiis et decimis. Dt. Pragae, mense Martio, 1243.

In nomine sancte et indiuidue Trinitatis. Amen. Nos Wencezlaus dei gratia Rex Boemorum quartus. omnibus inperpetuum. Cum inter ceteras anime uirtutes. memoriam esse constet in humanis actibus maxime oportunam. quia tamen et ipsa propter exteriarum rerum curas et sollicitudines quibus frequentius mentes mortalium occupantur. vetustate temporis hebetatur. dignum et utile duximus prouidendum. vt gestorum seriem subscriptorum. per literam que columpna est memorie. qua etiam dormitante nunquam dormiet aut marcescet. vtpote cunctorum que geruntur sub tempore inexhausta et uiuida conseruatrix. transmittamus memorie posterorum. ne et ipsa perire aut in obliuionem ualeat aut in irritum deuenire. quemadmodum plurimorum gestis nobilium uirorum nostris temporibus nouimus euenisse. Cunctis igitur tam posteris quam modernis presentium tenore fieri uolumus manifestum. quod nos emptionis et venditionis contractum inter conuentum monasterii Syloensis et fratrem Hermannum qui dicebatur Balko magistrum de domo theutonicorum cum fratribus suis mutuo habitum et sollempniter terminatum de bonis uniuersis que eadem theutonica domus in *Gumpolz et super Gyglaua* rationabiliter et legitime possidebat in villis. siluis. pratis. venationibus. molendinis et riuulis. in terris cultis et incultis ratum et gratum habentes firmiter approbamus. Sane cum uenditio in sacris rebus uidelicet in ecclesiis locum non habeat. quia tamen cum uniuersitate transeunt. capellas in eisdem bonis sitas quas prefatus Hermannus cum fratribus suis ecclesie Syloensi simpliciter et absolute tradidit. uidelicet capellam sancti Nicolai in Humpoltz et capellam sancti Johannis Baptiste in Gyglawa. cum capellis nouis iam constructis vel in posterum per diuinam prouidentiam construendis in terminis veteris parochie cum decimis uniuersis tam theloneorum quam uillarum et aliis apenditiis suis. possessionibus et iuribus ecclesie Syloensi libere et pacifice possidendas perpetuo presentibus confirmamus. volentes et firmissime inhibentes. ne quis heredum aut successorum nostrorum. vel quisquam de personis ecclesiasticis. vel mundanis. in

prefatis ecclesiis. vel possessionibus. et ad ipsas spectantibus Siloensem ecclesiam prenotatam et eius rectores et fratres contra Regie nostre constitutionis et confirmationis decreta. inpedire. molestare. vel quacunque occasione perturbare presumat. sed semper ipsam ratam et inuiolabilem debeat conseruare. sicut nostre gracie fauorem sibi adesse. et omnipotentis dei evadere diligat ultionem. Vt autem huiusmodi constitutio et confirmatio prefato conuentui et ecclesie Siloensi de gratia speciali indulta interminabile robur habeat et perpetuam firmitatem. presentis priuilegii paginam ipsis duximus exhibendam nostrorum sigillorum appensione munitam et perhenniter ualituram. Acta sunt hec Anno Dominice Incarnationis M. CC. XL. III. Mense marcio. Indictione secunda. Datum Prage. per manum curie nostre notarii Rembotonis.

Ex originali in museo Brunensi.

XXXVII.

Idem alio privilegio eadem confirmat. Dt. Pragae, mense Martio, 1243.

In nomine sancte et indiuidue Trinitatis. Amen. Nos Wenceslaus, dei gratia Rex Boemorum quartus, omnibus inperpetuum. Cum inter ceteras anime uirtutes memoriam esse constet in humanis actibus maxime oportunam, quia tamen et ipsa propter exteriarum rerum curas et sollicitudines, quibus frequentius mentes mortalium occupantur, vetustate temporis hebetatur: dignum et utile duximus prouidendum, vt gestorum seriem subscriptorum per literam, que columpna est memorie, qua etiam dormitante numquam dormiet et marcescet, vtpote cunctorum, que geruntur sub tempore, inexhausta et uiuida conseruatrix, transmittamus memorie posterorum, ne et ipsa perire, aut in obliuionem ualeat aut in irritum deuenire, quemadmodum plurimorum gestis nobilium uirorum nostris temporibus nouimus euenisse. Cunctis igitur tam posteris quam modernis presentium tenore fieri uolumus manifestum, quod considerantes deuotionem et honeste uite conuersationem domini abbatis *Ambrosii* et conuentus *Syloensis* monasterii emptionis et uenditionis contractum inter eundem conuentum et fratrem Hermannum,

qui dicebatur Balko, de domo Theutonicorum, mutuo habitum et sollempniter terminatum de capella in Gumpolz cum decima thelonei, de ipso foro et aliis eiusdem ecclesie attinentiis, nec non capella in *Giglaua* cum villis et aliis attinentiis suis ac decimis uniuersis, que omnia domus Theutonicorum prefata rationabiliter et legitime possidebat, ratum et gratum habentes firmiter, et easdem capellas cum uniuersis possessionibus, iuribus et prescriptis appendiciis suis, cum hiis, que vel post ipsum contractum constructe sunt, ecclesiis apud *Giglaua* in terminis ueteris parrochie, que sancti *Joannis Baptiste* titulo nuncupatur, uel in posterum diuina prouidentia construentur, ecclesie Syloensi libere et pacifice possidendas perpetuo presentibus confirmamus, volentes et firmissime inhibentes, ne quis heredum aut successorum nostrorum, vel quisquam de personis ecclesiasticis vel mundanis in prefatis ecclesiis vel possessionibus, et ad ipsas spectantibus Siloensem ecclesiam prenotatam et eius rectores et fratres contra Regie nostre constitutionis et confirmationis decreta inpedire, molestare, vel quacunque occasione perturbare presumat, sed semper ipsam ratam et inuiolabilem debeat conseruare, sicut nostre gratie fauorem sibi adesse, et omnipotentis dei euadere diligat ultionem. Vt autem huiusmodi constitutio et confirmatio, quas prefato conuentui et ecclesie Syloensi indulsimus de gratia speciali, interminabile robur habeat et perpetuam firmitatem, ipsi domino Ambrosio abbati et eius conuentui et eorum ecclesie prenotate presentis priuilegii paginam ipsis duximus exhibendam, nostrorum sigillorum appensione munitam et perhenniter ualituram. Acta sunt hec anno Dominice Incarnationis M. CC. XL. III. Mense marcio. Indiccione secunda. Datum Prage, per manum curie nostre notarii Rembothonis. Mense et Indictione prescriptis.

E copia vidimata in museo Brunensi. — Item asservatur authenticum vidimus abbatum Theodorici Montis Syon, et Hogerii Milowicensis, dt. Pragae, mense Martio, 1243. — in archivo monasterii Siloënsis.

XXXVIII.

Conradus, episcopus Olomucensis, translationem hospitalis s. Spiritus ante Brunam ac possessionem ejus ibidem et in Iglavia et Křjžanow ad hospitale fratrum s. Joannis Hierosolymitani confirmat. Actum in synodo in Pustoměř, XIII. Kal. Aprilis, 1243.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis Amen. Cunradus dei gratia Olomucensis episcopus omnibus in perpetuum. Propter ambiguos rerum euentus et causarum diuersitates quibus humana fragilitas a ueritate rerum gestarum plerumque deuiat et recedit. ea que fiunt legitime litterarum solent indiciis eternari. Proinde notum esse uolumus tam presentibus Christi fidelibus quam futuris. quod nobis et capitulo nostro presentibus et auctoritatem prestantibus frater *Rvdengerus.* magister hospitalis sancti spiritus in *Brunna.* cum uniuersis possessionibus quas idem hospitale. tam in *Brunna.* quam in *Igla.* ac in *Crizans* et locis aliis iusto hactenus possedit tytulo. ad domum hospitalis sancti Iohannis baptiste Ierosolymitani. se transtulit saluo nobis iure patronatus nostri quod in hospitale sancti spiritus dinoscuntur habuisse. Preterea auctoritate nostra et de uoluntate et consensu fratrum hospitalis sancti Iohannis et etiam fratris Rudengeri magistri hospitalis sancti spiritus de eodem hospitali taliter est ordinatum. quod quicunque magisterium ac regimen eiusdem hospitalis habuerit. tres marcas argenti debet mittere singulis annis in subsidium hospitalis s. Iohannis Ierosolymitani. quicquid uero residuum fuerit ad emendationem hospitalis s. spiritus. et sustentationem infirmorum pauperum conuertetur. Vt autem hec translatio tam persone quam hospitalis et possessionum rata et inpermutabilis perseueret super ea presentem paginam scribi et sigilli nostri appensione iussimus roborari. Ad maiorem etiam huius facti euidentiam hanc litteram sigillo nostri capituli duximus muniendam. Huius rei testes sunt *Sigerus decanus Olomucensis. Magister Milo. archidiaconus Olomucensis. Magister Willehelmus archidiaconus Prerouiensis. Heinricus abbas Trebecensis. Robertus electus Gredicensis. Johannes electus Lucensis. Theodericus electus Zabbarducensis. Heinricus electus Wilgradensis. Albertus prepositus in Dubranik. Frater Vlricus commendator domus Theutonicorum in Nuzedliz. Baldewinus de Brunna. Baldewinus de Lapaniz.*

Herbordus notarius. Berterramus de Puztemir. Canonici Olomucenses et alii quam plures. Actum in *sinodo nostra in Puztemir.* Anno domini MCCXLIII. XIII. Kalendas Aprilis. Pontificatus nostri anno secundo.

Ex originali in arch. Melitensium Pragae.

XXXIX.

Conradus, episcopus Olomucensis, monasterio Lucensi jus patronatus ecclesiae in Prosmèřice confirmat. Dl. in Mansberg, II. Kal. Maji, 1243.

C. dei gracia olomucensis Episcopus omnibus in perpetuum. Iustum est et honeste consonum rationi. ut res legitime acta litterarum testimonio roboretur. Notum igitur esse uolumus tam presentibus Christi fidelibus quam futuris quod nobis una cum prelatis nostre diocesis in domini nostri Regis Wenzezlay gloriosi Boemorum presentia constitutus in sexta feria ante diem palmarum anno domini M. CC. XLIII. dilectus in Christo Iohannes Abbas de Luca. ab eodem domino Rege humiliter postulauit. ut ius suum quod ei in ecclesia de *Prozemeriz* competit sibi recognosceret et eo permitteret eum frui. dominus uero Rex habito consilio hoc negotium nostro commisit examini finiendum. ut si ius esset pro domino Abbate predictam ecclesiam sibi confirmaremus Auctoritate Regia hoc uolente. Nos uero uiso instrumento super nominata ecclesia confecto et diligentius examinato. quod idem Abbas nobis postmodum presentauit. domino Cunrado quondam Brunnensi notario. illius ecclesie plebano. ius suum etiam eidem Abbati coram nobis resignante. quod sibi in illa ecclesia competebat. nos domino Abbati et ecclesie sue Lucensi ius patronatus ecclesie in Prozemeriz Auctoritate Regia nobis commissa duximus confirmandum. eidem Abbati et ecclesie sue ius spirituale nichilominus conferentes. Et ne domino Abbati super ecclesia sepedicta postea questio uel grauamen oriatur. nos ei super ea presentem paginam dari. et sigilli nostri appensione iussimus roborari. Huius rei testes sunt hii. Theodoricus Abbas de Zabardowiz. Sygerus decanus Olomucensis. Cunradus quondam Brvnnensis notarius. frater Wlricus Commendator domus Teutonicorum de Nuzedeliz. frater Iohannes supprior Lucensis. frater Rudengerus canonicus in Zabardowiz. Datum

in Mansberg. per manum Herbordi curie nostre notarii. Anno domini M. CC. XLIII. II. Kalendas maii. Pontificatus nostri Anno secundo.

Ex originali in archivo ejusdem monasterii.

XL.

Decisio litis inter Joannem, abbatem Lucensem, et Wipertum, rectorem sancti Hippolyti de Hradiš (Pöltenberg), ratione molendini sub castro Znoymensi. Act. in Luca, secunda feria in diebus rogationum, 1243.

In nomine domini amen. Theodoricus, abbas sancte Cunegundis in Brunna, Albertus, prepositus in Dubrawnik, Hezzelo, prior Montis syon in Boemia, Marquardus, canonicus Pragensis, magister Hylarius, omnibus, ad quos presens scriptum peruenerit, salutem in eo, qui est salus omnium. Durante quadam discordia inter dominum I.(ohannem), abbatem *lucensem*, ex vna parte, et dominum Wipertum, rectorem sancti *ypoliti de Gradis* ex altera, pro quodam molendino, sito sub castro Znoyem tandam placuit eisdem in nos arbitros conuenire, ut nobis mediantibus inter ipsos reformacio pacis et concordie firmaretur. Auditis itaque proposicionibus et allegacionibus vtriusque partis, et habita discussione non modica super eis, vnanimiter concordauimus, vallantes arbitrium pena decem marcarum argenti; deinde pronunciauimus sub hac forma, ut dominus Wipertus loco molendini, quod sub castro situm fuit, aliud in villa dicti abbatis et ecclesie sue lucensis, Nesaglebe nomine, habeat molendinum, vnde decem modios Znoymensis mensure siliginis videlicet et tres solidos denariorum, et hoc est nonaginta denarios annis singulis percepturus. Insuper piscariam habere debet ibidem in terminis sibi deputatis, et molendinarius ipsis seruiet in honoribus et emendis. Preterea disposuimus ei duos modios tritici, quos de ecclesia Primeticz singulis annis in festo beati Michaelis percipiet; cum tamen de priori molendino, cuius obstaculum fratres de luca temporibus suorum antecessorum de suo iure confisi in parte sui fundi funditus destruxerunt, predictus Wipertus in certa pensione vltra vndecim modios siliginis mensure minoris, et ducentos denarios nichil amplius percipere

consueuisset. Acta sunt hec in luca secunda feria in diebus rogacionum. Anno domini M. CC. XLIII. hiis presentibus, quorum nomina subnotantur. Otto, canonicus Montis syon. Falco, canonicus ibidem. Fridericus, sacerdos de Ruchowan. Cunradus, sacerdos de vgezd. Petrus, sacerdos de Vrbowe. Magister Wilhelmus, phisicus Znoymensis. In huius rei euidens testimonium declarandum nostra sigilla sunt appensa.

E Vidimus authentico ab anno 1422. in archivo ejusdem monasterii.

XLI.

Decisio litis inter monasterium Lucense et plebanum s. Michaëlis Znoymae de denariis decimalibus. (cc. 1243.)

N.(icolaus) archidiaconus tam Brunensis quam Znoymensis prouincie. et W.(ojtĕch) prepositus de Dubravnike uniuersis presens scriptum inspecturis. salutem in perpetuum. Cognoscant uniuersi filii ecclesie quod cum inter dominum abbatem *Lucensem* et magistrum W.(ilhelmum) plebanum sancti Michaelis. lis uerteretur de decimalibus denariis. quos ab antiquo tempore. barrochia sancti *Nicolai* iuste et quiete possederat. nisi quod dictus magister W. per manum indebitam ad suam eos uolebat trahere ecclesiam. cum tamen nullum deiure ad eum haberent respectum. nobis iudicio presidentibus predictus abbas in nostra presentia personas ydoneas tres honestos sacerdotes. scilicet Policonem Boream et Premizlinum duxit in testimonium. per quorum uoces totam suam iusticiam sicut debuit demonstrauit apertissime. Inquisiti enim a nobis dicti sacerdotes cum perfecta diligentia de contentione dictorum denariorum sub stola una uoce retulerunt. et fidei sacramentum porrexerunt. quod ex antiqua possessionis iusticia. barrochia sancti Nicolai de tota ciuitate personales et decimales denarios semper recepisset. Nos igitur totam causam domini abbatis firmam et habentem robur a uoce testium cognoscentes. et per omnia uidentes in parte sua morari iusticiam. ipsum misimus in perpetualem possessionem decimalium denariorum. Magistrum W. ab eis penitus excludentes. Precepimus eciam eidem magistro W. ut domino abbati de denariis per IIII annos minus iuste receptis usque ad octauam beati Laurencii martiris

satisfaciat. Et ne decisa possit lis reuocari processu temporis. presens scriptum cum subscriptione testium sigillorum nostrorum karactere roboramus. Huius rei sunt hii testes. Wipertus prepositus sancti ypoliti. cuius sigillum in testimonium facti idem abbas peciit apponi. Magister Hylarius. Rvdgerus de Tupnau. petrus. plebanus de vrbav. frater Olricus de Nav Zedlice. Perengerus sacerdos. Magister Iohannes. Petrus scolasticus.

Ex originali ejusdem monasterii; lit. F. 110.

XLII.

Innocentius papa IV. abbates Welehradensem et Zabrdowicensem, atque praepositum Daubrawnicensem inquirere jubet de invasione regni Hungariae per quosdam christianos etiam post Tartarorum recessum. Dt. Anagniae, XI. Kal. Augusti, 1243.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis . . Welgradensi Cisterciensis et . . Zabirdouicensi Premonstratensis ordinum abbatibus et . . preposito ecclesie de Dumbrauinic Olomucensis diocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Spatiosum et speciosum Ungarie regnum sic afflixit Tartarorum horrenda crudelitas, quod exinde uniuersitati fidelium inesse debuit materia lacrymarum. Sed quidam, sicut mirantes accepimus, regnum ipsum presentibus Tartaris et post illorum recessum hostiliter inuaserunt, multos de ipsius confinio, illorum bonis consumtis per incendium, ponentes in ore gladii, non absque manifesta iniuria Crucifixi. Quocirca mandamus, quatenus inquisita super hiis diligentius veritate, quo tempore, per quos et in quibus regni partibus sint talia perpetrata, nobis vestris literis fideliter exponatis, ut eorum veritate comperta, quod expedire viderimus, exinde disponamus. Quodsi non omnes his exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur Datum Anagnie XI. Kal. Augusti. Pontificatus nostri anno primo.

E Regesto Innocentii IV. anni I. epist. 35. in tabulariis Vaticanis. — Excus. apud Fejér IV. 1.

XLIII.

Innocentius papa IV. episcopo Pragensi, abbati Brewnoviensi et praeposito Pragensi mandat, ut Conradum, qui in episcopatum Olomucensem per laicalem potentiam intrusus esse dicebatur, Romam citent. Dt. Anagniae, III. Idus Septembris, 1243.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. Venerabili fratri . . episcopo et dilectis filiis . . abbati monasterii de Breunowe et . . preposito maioris ecclesie Pragensis salutem et apostolicam benedictionem. Ex parte dilectorum filiorum . . decani et capituli ecclesie Olomucensis fuit propositum coram nobis, quod ipsa pridem pastore vacante, iidem prout spectat ad eos, ne illa sub diutina vacatione langueret, ad tractandum de futuri substitutione pontificis in capitulo conuenerunt; et cum omnes per scrutinii formam in magistrum *Willelmum* eorum concanonicum, virum utique literatum, honestum et prouidum, ac in spiritualibus et temporalibus circumspectum, per cuius industriam dicta ecclesia de bono in melius reformanda speratur, concorditer consensissent, ipsum in *Olomucensem episcopum* elegerunt. Qui cum ad multam eorum instantiam electioni de se facte consenserit, *Conradus canonicus Ildesemensis in episcopatum Olomucensem per laicalem potentiam se procurauit intrudi;* qui spoliatis eorum domibus de ipsa ecclesia eiecit eosdem, et in ea fractis eius ostiis in ipsius bonis hostiliter debachatur. Quare procuratores dictorum decani et capituli nobis humiliter supplicarunt, ut cum de premissis apud Sedem apostolicam possit fieri plena fides, ipsi ecclesie ac eiusdem canonicis, qui per eundem Conradum bonis omnibus spoliati et experti vincula et carceres in iniuriam clericalis ordinis subire coguntur mendicitatis opprobrium, prouidere paterna sollicitudine curaremus. Procurator vero partis aduerse, quem cum iure iurando quod procurator esset admisimus, eo quod procurationis literas propter viarum pericula secum deferre timuit ut dicebat, proposuit ex aduerso, quod R. quondam Olomucensi episcopo, licet frequenter monito, excessus canonicorum suorum corrigere non curante, venerabilis frater noster . . Maguntinus archiepiscopus loci Metropolitanus, eandem Olomucensem ecclesiam iure metropolitico visitauit, et cum inquisitione prehabita, decanum et alios canonicos ipsius ecclesie pro manifesta cohabitatione mulierum et aliis diuersis excessibus et euidentibus criminibus

exigente iustitia suspendisset, tandem eorum succrescente malitia, tulit excommunicationis sententiam in eosdem. Demum vero predictis decano et canonicis Olomucensis ecclesie existentibus sic ligatis et absolutionem negligentibus implorare, ac interim prefata ecclesia pastoris solatio destituta, predictus archiepiscopus reputans eos iure electionis indignos, quia lapsu temporis iam deuoluta erat ad eum potestas prouidendi eidem ecclesie de pastore, Conradum Ildesemensem canonicum, virum utique prouidum et discretum predicte ecclesie Olomucensi prefecit, faciendo eum in ipsius ecclesie episcopum consecrari; cui tam in spiritualibus quam in temporalibus ecclesie ministranti, capitulum ipsius ac totus Olomucensis ciuitatis et diocesis clerus tamquam suo episcopo obediunt humiliter et intendunt. Cum igitur sit in desiderio nostro continuum, ecclesiarum subuenire dispendiis per condigne prouisionis effectum, mandamus quatenus dicto Conrado, qui pro eiusdem ecclesie pastore se gerit, spatium trium mensium terminum peremtorium prefigatis, infra quem post vestre citationis edictum personaliter vel per procuratorem sufficientem et idoneum cum rationibus et munimentis suis ad negotium ipsum spectantibus nostro se conspectui representet, facturus et recepturus, quod ordo dictauerit rationis. Non obstantibus literis apostolicis ad . . Archidiaconum Wratislauiensem eiusque coniudices super huiusmodi negotio, per quas ad executionem ipsius propter malitiam temporis et eiusdem C. potentiam ut asseritur procedi non potuit impetratis. Quicquid autem super hoc feceritis, nobis per vestras literas fideliter rescribatis. Quodsi non omnes his exequendis potueritis interesse, tu frater episcope cum eorum altero ea nichilominus exequaris. Dat. Anagnie III. Idus Septembris. Pontificatus nostri anno primo.

Ex autographo Regesto literar. Innocentii papae IV. anni I. epist. 111. in tabulariis Vaticanis.

XLIV.

Innocentius papa IV. fratribus praedicatoribus Olomucensibus et Brunensibus mandat, ut crucem adversus populos Livoniae et Prussiae praedicent.

Dt. Anagniae, XII. Kal. Octobris, 1243.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis . . Prioribus et fratribus ordinis Predicatorum Olomucensibus et Brunnensibus,

Olomucensis diocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Qui iustis causis hominum promouendis promptum fauorem impendimus, tanto libentius uigilanti cura prosequi pia debemus negotia Iesu Christi, quanto deus homini perferendus esse dinoscitur, et omnis sibi deberi reuerentia comprobatur. Igitur cum, sicut relatu fide dignorum accepimus exultantes, conditor omnium in Liuonie ac Pruscie partibus, dilectorum filiorum, fratrum Hospitalis sancte Marie Teutonicorum Ierosolimitani, ac aliorum fidelium triumphanti dextera faciente, sit multipliciter exaltatus, et spes sit, quod ibidem magis ac magis sui nominis gloria protendatur, si plantationi sue parcium earundem fauorem, quem in ipso possumus, impendentes, oportunum illi per deuotos ecclesie subsidium procuremus: discretionem uestram rogamus et hortamur in domino, per apostolica uobis scripta mandantes, ac in remissionem peccaminum iniungentes, quatinus in Olomucensi ciuitate ac diocesi assumpto sancte predicationis officio propter deum, fideles constitutos in illis ad nimiam caritatem, qua Christus nos dilexit et diligit, respectum habere, et ei retribuere aliquid pro omnibus, que inbuit ipse illis, piis exhortationibus, secundum datam uobis a deo informare prudentiam, studeatis, diligenter et sollicite petituri, ut ipsi redempti pretio glorioso, in quos, tanquam uiros christianos et catholicos, cadere obprobria exprobrantium Christo debent, se uiriliter et potenter accingant, tanquam zelum dei habentes, ad ampliandam gloriam crucifixi, et liberandum proximos de manibus paganorum, profecturi et acturi secundum fratrum consilia predicatorum, ita quod et ipsis premium debeatur eternum, et infideles non possint, quod impune Christi nomen impugnauerint, gloriari. Illos uero de ciuitate et diocesi memoratis, qui crucis signaculo in Liuonie seu Pruscie subsidium insigniti propter paupertatem uel debilitatem illuc nequeunt personaliter proficisci, a uoto crucis absoluere procuretis, dummodo de bonis suis iuxta proprias facultates congruam subuentionem exhibeant, per manus eorundem fratrum in idem subsidium conuertendam. Nos enim, ut, quod pro nomine redemptoris tam digne deposcitur, effectu facili compleatur, omnes dictarum ciuitatis et diocesis in succursum eorundem fidelium, suscepto propter hoc crucis signaculo, processuros, nec non eorum familias et bona omnia, donec de ipsorum reditu uel obitu certissime cognoscatur, sub protectione ac defensione sedis apostolice admittentes illis ac

aliis, qui iuxta facultatem et qualitatem suam illuc bellatores idoneos in expensis propriis duxerint destinandos, nec non qui ad subuentionem fidelium partium earundem de bonis propriis congrue ministrarint, uel qui in alienis expensis illuc accesserint, ibidem ad minus per unius anni spatium seruituri, iuxta quantitatem subsidii et deuotionis affectum, illam indulgentiam idemque priuilegium elargimur, que transeuntibus et subuenientibus in terre sancte subsidium conceduntur. Preterea ut prefatum negotium, quo pluribus contingit iuuari remediis, prosperitatis optate suscipiat incrementum, presentium uobis auctoritate concedimus, quod illis earundem ciuitatis et diocesis, qui ad sollempnem predicationem uestram accesserint, viginti dies de iniuncta penitentia relaxare, ac eorum singulis, illuc sumpto propter hoc crucis caractere processuris, qui pro incendiis et iniectione manuum in clericos uel alias religiosas personas excommunicationis laqueum incurrerunt, absolutionis beneficium iuxta formam ecclesie impertiri possitis. Prouiso, ut passis dampna et iniurias satisfaciant competenter. Illis dumtaxat exceptis, quorum excessus adeo sunt difficiles et enormes, quod merito sint ad sedem apostolicam destinandi. Datum Anagnie, XII. Kalendas Octobris. Pontificatus nostri anno primo.

Ex originali in archivo praedicatorum Olomucensium.

XLV.

Wenceslaus, rex Boëmiae, hospitali s. Joannis Brunae jura, quae in vineis juxta Brunam habebat, confert. Dt. et act. Pragae, mense Septembri, 1243.

In nomine domini amen. Nos Wencezlaus dei gracia Boemorum rex quartus. Cum in humanis actibus plurimorum gesta virorum illustrium scriptorum inops deleuit obliuio. ne simul et ea que per nos et nostris geruntur temporibus. simili depereant ratione. salubri prouidimus consilio. ut gestorum serie subscriptorum transmittamus in scripto memorie posterorum. Cunctis igitur tam presentibus quam futuris. tenore presencium fieri uolumus manifestum. quod nos *hospitalis b. Iohannis baptiste sanctique Antonii* confessoris. fratribus vniuersa iura que in montibus sine vineis

iuxta Brunnam. a nostris progenitoribus possedimus ab antiquo. uel quacunque ratione possidere legitime uidebamur de vinea videlicet qualibet vrnam vini. et triginta denarios. liberaliter contulimus et absolute. volentes ut ipsi fratres easdem possessiones absque ullo impedimento. et quolibet obstaculo. perpetuo possidere debeant. pacifice et quiete. de nostre celsitudinis gratia speciali. Sane presenti decreuimus statuendum edicto. ne quis predictos fratres uel eorum domus in premissis nostre donacionis redditibus. impedire. molestare. uel perturbare presumat. sed perpetua ipsos in eisdem et firma permittat. libertate gaudere. Vt autem hec ipsa nostre donacio maiestatis. rata semper et stabilis perseueret. nec eandem quisquam heredum aut successorum nostrorum debeat irritare. aut in predictorum fratrum aut ipsorum domuum preiudicium uel grauamen eandem valeat in posterum immutare. presentem paginam nostri sigilli munimine roboratam. et perpetuo valituram predictis fratribus et eorum domibus. cum testimonio subscriptorum duximus conferendam. Testes. Dominus *Cvnradus episcopus Olomucensis.* Wytigo. filius Zawisch. Henricus de Tvtleibe. Zmilo. filius Henrici de Sytauia. Henricus purchrauius de Donin. Iaros de Waldenberch. et alii multi. Acta sunt hec Prage anno dominice incarnationis. M. CC. XLIII. mense Septembri. prima indiccione. Data loco prescripto. anno mense et indiccione prescriptis. per manum curie nostre notarii. Reymbotonis.

Ex originali in archivo Melitensium Pragae. — Item adest ibidem in confirmatione Matthiae, regis Ungariae, dt. Budae, 9. Junii, 1489.

XLVI.

Wenceslaus, rex Boëmiae et sacri per Germaniam imperii procurator, ob servitia magistri Wilhelmi, capellani sui et custodis corporis sui specialis et plebani s. Michaëlis Znoymae, huic ecclesiae villam Walteřowice reddit. Act. in castello Burglin, mense Decembri, 1243.

In Nomine Domini. Amen. Nos Wencezlaus dei gratia Rex Boemie quartus. et sacri per germaniam Imperii procurator. omnibus in perpetuum. Dignvm est. et consonum rationi. vt hii qui principum fideliter insistunt obsequiis. aput ipsos gaudeant priuilegio gratie specialis. Cunctis igitur tenore presentium. tam posteris quam modernis. fieri volumus manifestum.

quod nos attendentes grata et accepta seruitia. que nobis magister Wilhelmus. dilectus clericus et capellanus noster. et custos corporis nostri specialis plebanus sancti Michaelis in Znoym. exhibet incessanter. et in antea gratiora poterit exhibere. donationem ville Walterouich. quam procurator noster Heinricus et ciues Znoimenses. aput nos impetrauerant tacita veritate. de qua nichilominus idem priuilegii confirmationem aput notarium nostrum falsi sugiestione obtinuerant mediante. irritam et inanem penitus decernentes. ipsam presentibus vtpote fraudulenter obtentam. tvm propter devm et iustitiam et salutem anime nostre. tum etiam ob dilectionem predicti magistri nostri. et beati Michaelis reverentiam reuocamus. presertim. cum ad ecclesiarum commodum et quietem. non ad earum lesiones et grauamina intendere debeamus. et eandem villam Waltherowich. per quam predicta beati michaelis ecclesia. a nostris progenitoribus dinoscitur esse absolute dotata. ipsi ecclesie et eius pastoribus legitimis. quiete ac pacifice perpetuo possidendam presentium testimonio confirmamus. volentes eiusdem ecclesie pastores. prefate ville possessione interminabiliter absque grauamine quolibet et impedimento gaudere. Presenti nichilominus statuentes edicto. Ne quis heredum aut successorum nostrorum. vel quisquam de personis ecclesiasticis vel mundanis ipsum magistrum W. ac suos successores. in eadem uilla impedire. molestare. vel quacumque occasione perturbare presumat. Qvod qui presumpserit. quinque marcas auri pro pena Camere nostre in exemplum inobedientie et contemptum presumptionis componat. In huius itaque nostre constitutionis et confirmationis decreta. robur et perpetuam firmitatem. presentis priuilegii paginam ipsi magistro W. et ecclesie prefate. cum testimonio subscriptorum duximus exhibendam nostrorum sigillorum appensione munitam. et perhenniter valituram. Testes. Wlricus. filius ducis Karinthie Nepos noster. Iohannes miles eius. Zacharias prior. Anthonius. Gothfridus. fratres ordinis predicatorum. Bochko. burgrauius Znoimensis. Dluhomilus. Iencho. filius Ratiborii. Drazko. Otto. prepositus melnicensis. Conradus et Couo. phisici. Zungelinus. et alii quam plures. Acta sunt hec anno dominice Incarnationis M. CC. XL. III. Mense decembris. Indictione secunda in Castello Burglin. per manvm curie nostre notarii Rembothonis. Anno. Mense et Indictione prescriptis.

Ex originali in archivo Soc. Jesu Znoymensis.

XLVII.

Wenceslaus, rex Boëmorum, Ratiborio, castellano de Weweřj, defensionem Alberti praepositi et monasterii Daubrawnicensis contra injuriatores inhibet.
cc. 1243.

W. dei gracia rex Boemorum fideli suo castellano de ueueri. R. graciam suam cum dileccionis affectu. Si domino per moysen precipiente parentibus carnalibus qui nos ad mortem temporaliter generarunt. honorem et beneficia temporalia debemus inpendere multo magis deo patri. et matri nostre s. ecclesie que nos per graciam sancti spiritus spiritualiter ad uitam regenerat sempiternam. Nos igitur eius esse filium non dubitantes. quanto maiori diuina clementia largiente sumus in eadem regali gloria sublimati tanto propensius et fretius contra omnes ipsius inpugnatores manum defensionis opponere nos debemus. Proinde tuam latere non uolumus discretionem. quod *Albertus prepositus (de Daubrawnjk)* quem speciali cum ecclesia sua prosequimur affectu. nobis sua lamentabiliter insinuatione declarauit se ecclesiamque suam a fratre suo germano uidelicet emerammo contra libertatem per nos et felicis memorie fratrem nostrum premizl marchionem morauie eidem ecclesie concessam ut in eius manifeste priuilegio continetur. spoliis et rapinis que in grangias et homines earum indesinenter exercet. de cuius auctoritate confisus hoc faciat ignoramus. asserit indebite molestari. Vnde tibi sub obtentu gracie nostre precipiendo mandamus. ut nullius hominum metu territus iam dictum prepositum et eius ecclesiam. de nostra confisus auctoritate quam tibi nostri scripti munimine conferimus ab impia tyrannide iam dicti emerammi uel aliorum siqui sunt uel fuerint studeas defensare. bannum X. marcarum auri in cameram nostram deponendarum sicut eorum continet priuilegium firmiter obseruando. quod si in nostri mandati exsecutione negligens exstiteris. ipsum bannum nobis a te noueris persoluendum. Insuper uolumus ut montem argenti qui in territorio prepositi et claustri iam prenominati inuentus esse dicitur. quem emmeramus cum socero suo Sifrido contra iura regalia uidentur occupantes. quibusdam ciuibus de brenna uendiderunt de eorum potestate qui emerunt et uendiderunt nomine nostro uiolenter eripias et defendas. et omnem vtilitatem et ius quod ad nos pertinere noscitur dimittas iam dictum monasterium

pacifice possidere. Volumus etiam ut socrum iam dicti prepositi uidelicet derelictam Zemizlay non obstante eo quod ad iudicium pertinet Olomucense. auctoritate nostre presentie tue ubicunque tibi et Alberto iam dicto preposito uisum fuerit iubeas conparere. de querelis super hereditatibus quas alberto preposito videnter abstulit de ipsa iudicium et iusticiam exequendo. Mandamus insuper ut ciuibus brunnensibus insinues nos domum quam iam sepe dictum monasterium ibidem possidet ab omni exactione que in eandem a nobis fit ciuitatem liberaliter exemisse. uolentes ut iam dictum monasterium plena pace et perfecta gaudeat libertate. et nobis ex eorum orationibus et merito qui ibi domino famulantur. dominus quiete temporum concessa. pacem et vitam perpetuam largiatur.

Ex originali in curia Brunensi.

XLVIII.

Friderici, ducis Austriae, diploma monasterio Zwetlensi datum sub testimonio fratris *Friderici, commendatoris militiae templi per Moraviam.* 1243.

Linck — Annales Clarovallenses.

XLIX.

Wenceslaus, rex Boëmorum, fundans monasterium Cellae sanctae Mariae Brunae, ad petitionem sororis Herburgae jura et libertates eidem concessa per articulos exprimit, et donationes ab Ulrico Nigro factas confirmat. Dt. in Burglin, XII. Kalendas Februarii, 1244.

In nomine sancte trinitatis et indiuidue vnitatis. Nos Wencezlaus dei gratia rex Boemorum quartus, omnibus presentium notitiam habituris ad rei memoriam sempiternam. Quoniam generatio preterit, et generatio aduenit, et actiones hominum, quantumcunque sollempniter celebrate, cum tempore defluere consueuerunt, ita, quod nullam eficaciam sortiuntur; regie congruit maiestati, ut ea, que temporaliter statuenda decreuit, robur debitum firmitatis debeant obtinere, quanto magis religiose viuere uolentibus pie congruit prouidere, ut in hereditatibus, pheodis, prediis, decimis, seu quibus-

libet aliis, que pro libertate, commodo seu profectu habenda decreuerunt, illa maxime litteris, que sunt baculus memorie, roborare, ne forte, quod absit, sacre religionis robur cuiuslibet temeritatis incursus valeat infirmare. Noscat igitur tam presens hominum etas, quam futura et in Christo successura posteritas hos apices inspectura, quod nos in honorem dei et gloriosissime matris eius beate Marie virginis pro remedio anime nostre ac nostrorum antecessorum ad pias preces domine et uxoris nostre gloriose regine Boemie Cuonegundis nomine in nostri nominis memoriam sorori *Herbuge* concedimus locum et fundum in ciuitate nostra *Brunna* construendi claustrum, in quo secundum deum et beati Augustini regulam deo perpetuis temporibus sorores ibidem instituende deseruiant incessanter. Proch dolor, cum nostre uite temporibus in laudem et honorem Dei nullius cenobii, seu vite monastice fundatores extiterimus, pium esse censemus, conueniens et denotum, quod idem locus, *Cella sancte Marie* virginis dictus, a nobis in Christo sue fundationis sumat exordium, ut saltem aliquid propter deum fecisse et in titulum nostre celsitudinis videamur. Pensantes itaque deuotionis ac religionis puritatem dicte ecclesie has libertates indulgemus, quas predicta soror Herburga, a nostra regia magnificencia postulauit, exprimentes eas per articulos subnotatos. Inprimis siquidem statuimus, ut quascunque possessiones, quecunque bona eadem ecclesia in presentiarum iuste ac canonice possidet, aut in futurum cum grangiis, terris, pratis, vineis, nemoribus, usuagiis et pascuis in bosco et plano, in aquis et molendinis, in viis, et semitis, concessione pontificum, largicione regum uel principum, oblacione fidelium, seu aliis modis prestante domino poterit adipisci, eidem loco, et eis, qui successerint firma et illibata permaneant. Nam et ipsum locum cum personis in nostram suscipimus tuitionem, volentes quoad uixerimus, a suis pro nostrorum remissione peccaminum inuasoribus defensare. Considerantes etiam grata et accepta seruitia Volrici Nigri nostri dilecti ciuis in Bruna, que nostre incessanter exhibuit celsitudini locum ipsum siue aream, in qua prefata ecclesia est locanda, grangiam in Cuonegesueld, quam sibi de nostra regia mensa ac camera libere contulimus, absque omni censu, et decima, seu aliis seruiciis quibuscunque cum idem Vlricus premissis cedat bonis propter deum prefato loco ac dominabus liberaliter ac fauorabiliter eadem bona videlicet in predicta uilla possidenda perpetuo

confirmamus. Preterea statuimus, ut domos, hortos, vineas et molendina stupas balneales et quecunque bona idem Vlricus Celle s. Marie virginis obtulit in ciuitate Bruna, siue circa ciuitatem, nullus de personis ecclesiasticis, vel mundanis in possessionibus prenotatis requirendo decimas, siue exactiones, siue tributum, seu alia seruitia predictas dominas audeat perturbare, sicut in Poorliz duos laneos, et duos in Menis, quos sepedictus Vlricus a fratre nostro clare memorie Marchione Morauie pacifice et quiete possedit, vineam quoque in Puzrams et duos laneos in Thelniz loco supradicto ad sustentationem personarum, que domino deo sunt ibidem famulature, iure perhenni confirmamus possidendos. Presenti nichilominus statuentes edicto, ne quis heredum aut successorum prenominati Vlrici nostre donacionem excellencie audeat irritare, aut in ipsius preiudicium et grauamen de ipsa quidquam valeat inmutare, sed semper ipsam ratam et inuiolabilem conseruet per omnia, ut est iustum. Hinc etiam est, quod paci et tranquillitati claustri iam sepe dicti regia sollicitudine prouidere uolentes, omnes libertates a predecessoribus nostris seu a nobis ceteris claustralibus in regno nostro concessas, supradicto loco fauorabiliter confirmamus et presentis scripti priuilegio communimus. Decreuimus etiam, ut nulli omnino hominum prefatam ecclesiam aut eius possessiones liceat quibuslibet uexationibus fatigare, sed omnia integra et irretractabiliter conseruentur. Ut autem huius nostre constitutionis pagina rata et inconuulsa nunc permaneat et in euum, ipsam nostri sigilli munimine iussimus insigniri. Si quis vero contra eam temere venire temptauerit, iram et indignationem aule regie se nouerit incurrisse, et si nostram graciam et nostrorum successorum idem cum decem marcis non inuenerit, deinde predictarum Christi ancillarum rerum et sui honoris careat dignitate. Testes autem, in quorum presentia hec acta sunt, sunt hii: Witego de nouo castro. Heinricus de Sitauia. Gallus de Lewenberch. Bawor. Ratymirus. Andreas. Ratiborius de Doblin. Cirho. Zastolaus frater eius. Milihz de Olomuc et alii quam plures nostri barones. dominus Theodoricus abbas de Straho. Reinboto nostre curie notarius. Hec autem acta sunt in Burgelin anno dominice incarnationis MCCXL. IV. XII. Kal. Februarii, in die cinerum. Datum per manus Reinbotonis nostre curie notarii.

Ex originali in archivo c. r. aulico Vindobonae. — Sigillum illaesum.

L.

Wenceslaus, rex Boëmorum, monasterium Cellae castitatis Brunae fundat, concessis eisdem libertatibus nec non exemtionibus, quibus alia monasteria Moraviae gaudent. Dt. in Burglin, XII. Kalendas Februarii, 1244.

Wenzezlaus dei gracia illustris rex Bohemorum vniuersis baronibus, castellanis, iudicibus, ciuibus et aliis quibuslibet in regno suo constitutis gratiam suam et omne bonum. Cum deus, cuius prouidencia in sui disposicione non fallitur, omnem animam potestatibus sublimioribus subiecerit, regalem nostram magnificenciam iustis peticionibus fauorabilem reddere debet liberalitas nobis exhibita largitoris, ut nos qui plus plurimis de manu beniuolencie eius accepimus, omnibus creatori fideliter optemperantibus, seque cum suis religioni deuouentibus in piis causis inueniamur fauorabiles et benigni. Notum sit igitur omnibus presentem paginam inspecturis, quod ego Wenzezlaus Bohemorum rex quartus de mea libera voluntate licenciam dedi priorisse et conuentui ancillarum Christi de *Cella castitatis,* quod vulgo dicitur *Chevschen celle* accipiendi aream et fundandi claustrum in ciuitate nostra *Bruna,* donans eis omnem libertatem, qua alii claustrales gaudent in regno nostro, eximens eas ob omnibus seruiciis et exaccionibus, ad quas occasione qualibet communis populus obligatur. Si quis autem nobilium regni nostri, uel eciam ciuium supradicte ciuitatis predictis famulabus Christi aliquid de suis facultatibus vel hereditatibus conferre voluerit, nouerit se in huiusmodi pietatis opere nostrum per omnia beneplacitum operari. Verum ne liuoris oculus aliquam contra ancillas Christi malignandi audeat sumere materiam, predictum locum cum omnibus sibi in nostro districtu attinentibus in nostram specialem recipimus pretectionem, omnes ipsarum iniurias tanquam proprias reputantes, et volentes eas propriis acrius uindicare. Vt autem apud presentes et posteros huius priuilegii series tam immutabilis, quam inuariabilis permaneat, ipsam sigillo nostro principatus nostri ymaginem continente robore perpetuo communimus. Datum in Burgelin anno domini MCCXLIV. XII. Kal. Februarii, in die Cinerum.

Ex originali in archivo c. r. aulico Vindobonae. — Sigillum minus fractum.

LI.

Joannes, filius comitis Sbislai, confert monasterio Litomyšlensi villas Hostowice et Blatnice. Acta mense Majo, 1244.

Notum sit, . . quod ego dominus Iohannes, filius comitis Sbizlay, pro remedio anime mee meorumque tam antecessorum quam etiam successorum, iure hereditario bonorum meorum possidendorum uillas duas contuli . . . claustro Luthomizliensi, nunc et semper iure hereditario possidendas, et . . . . testium nomina . . presenti paginella annotamus, non immemores uillarum primo nominibus in iam dicta inscriptione positis. Vocatur enim una Hostouicich, altera Blathniche. Nomina vero testium sunt hec: Pribizlaus de Morauan. Georgius cognomine nosco de ianouich. Iohannes filius Suezlay de Troiouich. Honata de Cracouan. Buno de Hostovlich. Dobrohost de Wlchnow. Nyquardus de Nenchouich. Wlichko de Suinchan. Hosche. Honbich cum filio suo Bauor. Petrus de Zelouich cum filio suo Neprone. Iachemirus de Prahouich cum filio suo Preduoy. Bohuzlaus cum fratre suo fabiano de Mnethich. Mizliborius. Beneda. filii Olekzonis de eadem uilla. Drizcho de Buchina. Acta sunt hec Anno M. CC. XL. IIII. Mense Magio.

Ex originali ejusdem monasterii.

LII.

Wenceslaus, rex Boëmorum, fratribus hospitalis s. Joannis in Meilberg molendinum in Erdberg confert. Dt. apud Bürglitz, IV. Nonas Junii, 1244.

In nomine domini amen. Nos Wencezlaus dei gratia rex bohemorum qvartus. Fratribus cruciferis domus hospitalis s. Iohannis baptiste in Ierusalem inperpetuum. Cum cuncta hominum lapsu temporis plerumque obliuionis caligine a memoria hominum contingat abscedere. congruum et honestum est. ut ea que perpetuo sunt obseruanda effectu. memorie artius ne labantur mancipentur. et maxime per litteram que est baculus memorie. veritatis indicium. certitudinis argumentum. Notum itaque uolumus esse

omnibus tam presentibus quam futuris. quod nos considerata virorum venerabilium fratrum cruciferorum domus hospitalis s. Iohannis Baptiste. quanta apud peregrinos et pauperes christi elemosinarum prefulgeant erogatione. bonis eorum actibus in subsidium. orationumque ipsorum apud deum cupientes participatione gaudere. molendinum in *Erpurch* cum omnibus prouentibus et attinentiis. vtilitati et commodo fratrum in *Mewrperch* contulimus ad robur ordinis et nostrorum in remedium peccatorum. libere et perhenniter iure hereditario possidendum. Volentes quod nostre donum collationis ratum et stabile modo debito in posterum obseruari. presentis scripti paginam nostri sigilli munimine decreuimus more solito communiri. Acta sunt hec dominice incarnationis Millesimo Ducentesimo Quadragesimo IIII. anno Indictione III. Datum apud Bvrgleis in castello. IIII. Nonas Iunii. Huius rei testes sunt. Dominus Bosceco. burcrauius de Znoim. Dominus Cerho. Burcrauius de Meidperch. Marchardus de Teintz. Remboto scriba regis. Dominus Chuno prepositus. Eberhardus sueuus. Vlricus de Hittendorf.

Ex originali in archivo Melitensium Pragae.

LIII.

Innocentius papa IV. abbatibus de Zabrdowice et Třebíč, et praeposito in Luh mandat, ut litem monasterii Daubrawnicensis cum fratribus militiae templi in Jamolice decidant. Dt. Anagniae, X. Kalendas Augusti, 1244.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis . . de Zabardoviz . . de Trebecz abbatibus et . . preposito sancti Benedicti apud Brunnam salutem et apostolicam benedictionem. Conqueste sunt nobis . . abbatissa et sorores monasterii *sancti Francisci* Olomucensis diocesis. quod magister *cruciferorum militie templi domus in Iemolitz* eisdem super decimis. redditibus. possessionibus et rebus aliis iniuriatur. Mandamus itaque discretioni uestre et per apostolica scripta iniungimus. quatinus partibus conuocatis audiatis causam et appellatione remota debito fine decidatis. facientes quod decreueritis per censuram ecclesiasticam firmiter obseruari. Testes autem qui fuerint nominati si se gratia. odio uel

timore subtraxerint censura simili appellatione cessante compellatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse. duo vestrum ea nichilominus exequantur. Datum Anagnie X. Kalendas Augusti. pontificatus nostri anno primo.

Ex originali monasterii Daubrawnicensis.

LIV.

Eberhardus, Salzburgensis archiepiscopus, sedis apostolicae legatus, ad instantiam Friderici, ducis Austriae, confert monasterio Zwetlensi decimam quandam circa confinia Bohemiae in villa Weichartesdorf, quae sibi vacare coepit per *mortem Lupi de Naschmerische,* constituens ducem praefatum defensorem. Datum apud Saltzburch II. Idus Augusti anno domini MCCXLIIII. Indictione XII.

Linck — Annales Clarovallens. I. 323.

LV.

Johannes, plebanus in Nova-ecclesia, decanus Opaviensis, jus patronatus monasterii Oslowanensis in sua ecclesia profitetur. Acta feria IV. ante b. Michaëlis, 1244.

Ego Iohannes plebanus in Noua ecclesia decanus Opaviensis presencium firmitudine promitto exclusa omni cauillacione et dolo quod ab hac hora in antea fidelis ero domui *oslawensi* in eo uidelicet quod dictam ecclesiam ab abbatissa domus memorate michi canonice collatam in qua ius patronatus obtinet nunquam de manu alicuius recipiam ulterius. nulli eam resignabo nisi eidem abbatisse uel ei que ipsi succedet. resignationem eiusdem ecclesie nulli pandam consilium uel auxilium pro me aut per nunccium meum non dabo vnde dicta ecclesia a domo Oslawensi posset alienari pro meis iuribus et omni posse meo adiutor ero ad defendendum et retinendum contra omnes homines saluo ordine meo iura ecclesie memorate. Acta sunt hec anno domini M. CC. XL. IIII. feria quarta ante festum beati Michaelis.

Ex originali in curia Brunensi.

LVI.

Bela, Ungariae rex, hospitibus de Sumbothel (Tyrnavia), „quae quondam fuit illustris reginae *Constantiae*" terram Parna confert. Dt. XVI. Kal. Decembris, 1244.

Fejér — P. V. vol. I. pag. 307.

LVII.

Innocentius papa IV. dispensat cum Wladislao, filio regis Boëmiae, ut cum nepte ducis Austriae matrimonium contrahere possit, quarto consanguinitatis gradu non obstante. Dt. Lugduni, VI. Idus Decembris, 1244.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. Nobili viro *Watslao*, nato carissimi in Christo filii nostri . . illustris regis Boemie, salutem et apostolicam benedictionem. Cum summus pontifex, collatis sibi in persona beati Petri ab eo qui eterna prouidentia celestia simul et terrena disponit, clauibus regni celestis ligandi obtineat pontificium et soluendi, nonnumquam supra ius de iure dispensans, necessitatis vinculum, quod (sic) ad ipsius iuris obseruantiam cuncti tenentur, laxat prouide de sue potestatis plenitudine circa quosdam, cum urgens necessitas exigit, vel euidens utilitas maxime publica persuadet, nulla interueniente acceptione indebita personarum, quia non est reputandum deferri persone, cum pro loco et tempore, non priuati sed publici commodi gratia, et presertim diuini consideratione seruitii quicquam alicui sine iuris iniuria indulgetur. Hinc est quod nos tuis et carissimi in Christo filii nostri . . illustris regis Boemie patris tui supplicationibus inclinati, tecum ut cum dilecta in Christo filia . . nepte nobilis viri . . ducis Austrie non abstante quod es ei quarto consanquinitatis gradu coniunctus, matrimonium licite contrahere valeas, cum speretur grauibus per hoc posse obuiare periculis et bonum multiplex procurari, auctoritate apostolica dispensamus. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostre dispensationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se nouerit in-

cursurum. Dat. Lugduni, VI. idus Decembris. Pontificatus nostri anno secundo.

E Regesto Innocentii IV. anni II. epist. 2. in tabulariis Vaticanis.

LVIII.

Innocentius papa IV. cum Joanne, rectore ecclesiae Šlapanicensis, super defectu natalium dispensat. Dt. Lugduni, XII. Kalendas Januarii, 1244.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. Dilecto filio Iohanni diacono rectori ecclesie de *Slapanice* Olomucensis diocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Constitutus in presentia nostra humili nobis insinuatione monstrasti, quod cum auctoritate literarum felicis recordationis Gregorii pape predecessoris nostri super defectu natalium quem pateris de presbytero genitus et soluta, per bone memorie R.(obertum) Olomucensem episcopum tecum fuerit dispensatum, ut posses ad superiores ordines promoueri et ecclesiasticum obtinere beneficium, etiam si curam habet animarum annexam, postmodum ecclesia Olomucensi a suis persecutoribus perturbata episcopo predicto defuncto, dispensationis tue literas cum rebus tuis aliis amisisti. Unde nobis humiliter supplicasti, ut ne in posterum contra te aliquid detractionis possit inpingi, prouidere tibi paterna sollicitudine curaremus. Quia igitur per viros fide dignos apud Sedem apostolicam existentes nobis de dispensatione huiusmodi plena extitit facta fides: nos tuis supplicationibus inclinati, quod factum est ab eodem episcopo prouide in hac parte, ratum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostre confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Lugduni, XII. Kal. Ianuarii. Pontificatus nostri anno secundo.

E Regesto Innocentii IV. anni II. epist. 333. in tabulariis Vaticanis.

LIX.

Idem fratres hospitalis Hierosolymitani a solutione quintae partis Moguntino archiepiscopo absolvit. Dt. Lugduni, XII. Kalendas Januarii, 1244.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. Venerabili fratri . . archiepiscopo Maguntino. Salutem et apostolicam benedictionem. Sua nobis dilecti filii . . magister et fratres hospitalis Ierosolimitani in Boemia petitione monstrarunt. quod cum vniuersis ecclesiarum prelatis et clericis prouincie Maguntinensis nostris dederimus litteris in mandatis. ut quintam partem ecclesiasticorum prouentuum tibi soluant. tu ipsos pro eo quod tibi quintam partem de suis prouentibus non soluebant post appellationem ab eis ad nos interpositam excommunicationis sententiam promulgasti. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus. quatinus si est ita sententiam ipsam sine qualibet difficultate relaxans. eos super hoc de cetero non molestes. Datum Lugduni XII. Kalendas Ianuarii. Pontificatus nostri anno secundo.

Ex originali in arch. Melitensium Pragae.

LX.

Wenceslaus, Boëmiae rex, confirmat transactionem inter monasterium Welehradense et Sifridum orphanum de molendino in Bulgarn (Pulgram). Dt. Pragae, 1244.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. amen. Ego Wencezlaus dei gracia Boemorum rex. omnibus tam moderni quam futuri temporis inperpetuum. Inter innumera que de alta iudiciorum dei abysso presentis exilii uiator patitur homo. hoc quoque ad cumulum incommodorum accedit quod obliuione memoria confunditur. ut res necessarias cum necesse non sit cominus amplectatur. et easdem tempore oportuno quasi longinquo relegatas exilio alieno uix amminiculo queat inuestigare. Eapropter que inpresenciarum geruntur commoda et utilia. modernis et eorum successoribus profutura. scripti conuenit monimentis stabiliri. Cum igitur nostra regalis potestas quam iuxta apostolum nonnisi a deo nobis credimus collatam. ad

hoc semper intendat et fauorabiliter sit exposita ut cum omnium. tum maxime ecclesiarum iura ausu illicito conuulsa reformare. et inconuulsa pari fauore regali sub clementia confouere. maxime ecclesiam Welegradensem. in terra nostre dicionis nostro in tempore a piis progenitoribus nostris deuotissime constructam. ac magnifice dotatam et ditatam. propensiori decernimus studio manutenere et contueri. dicteque ecclesie fautoribus uultum nostre maiestatis ostendere sereniorem. Nouerint igitur uniuersi presentes et futuri. quod nobilem nostrum sifridum dictum orphanum. gracia uberiori amplexantes. hereditates quasdam *in terminis* moranie eidem contulimus imperpetuum possidendas. *Bulgarn* uidelicet. et *nideke* et *ysgrube*. promittentes ut easdem sue accomodas redderet utilitati. quod cum sine preiudicio adiacentis hereritatis (sic) ecclesie Welegradensis que *Priklub* dicitur. fieri res minime postularet propter fundum molendini in Bulgar suum. quo exstructo. tempore inundationis aque alueum proprium excedentis. prefate hereditati in agris pratis pascuis siluis. incommoda non modica ac dampna generare conprobantur. Qua de causa uenerabilis abbas Welegradensis communicato prudentum uirorum consilio. dictum orphanum sifridum interpellauit. quatinus in suorum remissionem peccaminum iam dictam molendini aream et aqueductum in iniurias sue hereditatis. iure licet communi iam tercio destructum. exstrui non pateretur et exerceri. In quibus cum dictus orphanus suos sibi diminui redditus causaretur. tandem placuit utrimque ut dictus abbas data summa pecunie hoc est XX. marcis in aliquam estimati dampni recompensationem. cum per duorum annorum curricula pluris sit. inde proueniens emolumentum. mansum cuius limitibus aqueductus cum suprahabita molendini area includitur ac omnibus attinentiis sibi uendicaret. omni sopita contradictione perpetuo possidendum. Ne uero res acta alicuius calumnia seu praua machinatione possit in irritum duci temporis processu. utriusque rogatu abbatis uidelicet et sifridi dicti orphani hanc eorum conuentionis paginam sigilli nostri serenitate fecimus roborari. Datum anno gratie M. CC. XL. IIII. Prage per manum prothonotarii nostri Reimbotonis.

Ex originali cum sigillo consueto bilaterali in archivo ejusdem monasterii. — Item in codice Welehradensi sec. XV. initiantis f. 32.

LXI.

Margaretha de Myslice jus patronatus ecclesiae in Myslice cum decimis monasterio Oslowanensi confert. **1244.**

In nomine sancte trinitatis amen. Notum sit omnibus tam presentibus quam futuris. presentem paginam inspecturis. Quod ego Margareta cum filio meo Hartlebo una cum pueris suis ius patronatus ecclesie in *Myrzlaus.* cum decimis et omnibus adtinenciis. et cum decimis duarum uillarum in *Wolfgers* et in *Podoliz* cum quatuor laneis abbatisse et conuentui *Ozlawensi* pro remedio animarum nostrarum et omnium parentum nostrorum perpetuo iure contulimus. Et ne aliqua temeritas successorum nostrorum hanc donationem posset retractare sigillo nostro et magnatum qui presentes fuerunt uoluimus communiri. Huius rei testes sunt. Ratiborius de Dobilin. Rvto. Sifridus orphanus. Hermannus orfanus. Willehalmus pincerna. Luppoldus pincerna. Wichardus de Thyrnach. Lupus de Nashmeriz. Lupoldus Poschil. Stephanus Vngarus. Witego de Mirzlaus. Cochanus. Leo. Volricus. Sifridus de Marchia. Gerungus. et alii quam plures. Datum anno M. CC. XLIIII.

Ex originali in curia Brunensi.

LXII.

Bruno Dei gratia praepositus, Alardus decanus totumque Hamburgense capitulum de decima percepta de terra Oldenburch, quam frater Adolphus *(comes de Schaumburg — frater Brunonis supradicti, mox jam episcopi Olomucensis)* Hamburgensi ecclesiae assignavit, de erectis exinde praebendis et de praesentatione ad earum unam per heredes comitis Adolphi testimonium perhibent. Actum in Hamborch anno gratiae MCCXLV.

Lunig — Reichsarchiv XVI. 3. Abth. 113.

LXIII.

Innocentius papa IV. Pragensi nec non Litoměřicensi praepositis, atque archidiacono Pragensi mandat, ut beneficia canonicis Olomucensibus, qui sedem apostolicam accesserant, temere ablata, ipsis restitui faciant. Dt. Lugduni, V. Nonas Martii, 1245.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis . . Pragensi et . . Lutomiricensi Pragensis diocesis prepositis et . . archidiacono Pragensi, salutem et apostolicam benedictionem. Exhibita nobis dilectorum filiorum W.(ilhelmi) electi, I. decani, B. archidiaconi et magistri I. canonici ecclesie *Olomucensis* petitio continebat, quod cum ad prosequendum electionis negotium de dicto W. in eadem ecclesia celebrate ad Sedem apostolicam accessissent, fuerunt interim suis beneficiis spoliati. Ne igitur eis huiusmodi absentia sit damnosa, presentium vobis auctoritate mandamus, quatenus quicquid post iter arreptum ad eandem Sedem veniendi in eorum preiudicium temere attemptatum, in statum debitum legitime reuocetis, ac eisdem beneficia ipsa cum fructibus medio tempore inde perceptis restitui facientes, in possessionem illorum inducatis eosdem ac defendatis inductos. Si uero aliqui super hoc se duxerint opponendos, eos auctoritate nostra citetis, ut infra terminum peremptorium competentem a vobis, nostro se conspectui representent, facturi et recepturi quod ordo dictauerit rationis. Quod autem super hoc feceritis, nobis fideliter rescribatis. Quod si non omnes his exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur. Dat. Lugduni, V. nonas Martii. Pontificatus nostri anno secundo.

E Regesto Innocentii IV. anni II. epist. 382. in tabulariis Vaticanis.

LXIV.

Idem canonicis atque procuratoribus ecclesiae Olomucensis apud sedem apostolicam constitutis concedit facultatem contrahendi mutuum super bonis ejusdem ecclesiae. Dt. Lugduni, IV. Nonas Martii, 1245.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis . . decano, Bartholomeo archidiacono et Iohanni canonico et procuratoribus ecclesie

Olomucensis, salutem et apostolicam benedictionem. Ex parte vestra nobis exstitit humiliter supplicatum, quod cum vos pro electionis negotio, que in Olomucensi ecclesia de dilecto filio *Guillelmo* exstitit celebrata, ad Sedem apostolicam venientes et moram ibidem diutinam protrahentes, grauia subieritis onera expensarum, ita ut omnino vobis defecerint iam expense, prouidere vobis super hoc, ne pro necessariorum defectu predictum remaneat negotium inexpletum, paterna sollicitudine curaremus. Vestris igitur precibus inclinati, vobis pro expensis necessariis faciendis ad promouendum dictum negotium contrahendi mutuum super bonis eiusdem ecclesie usque ad summam quadringentarum et sexaginta marcarum sterlingorum, ac obligandi propter hoc bona predicta liberam concedimus auctoritate presentium facultatem. Dat. Lugduni IIII. nonas Martii. Pontificatus nostri anno secundo.

Ex eodem Regesto — epist. 473.

LXV.

Idem episcopo Pragensi et abbatibus Břewnoviensi atque Gradicensi mandat, ut Conradum, episcopum Olomucensem intrusum, peremtorie citent ad comparendum personaliter coram Apostolico. Dt. Lugduni, V. Idus Martii, 1245.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. Venerabili fratri . . episcopo Pragensi, et . . dilectis filiis Breunouensi et . . Gradicensi Pragensis et Olomucensis diocesis abbatibus, salutem et apostolicam benedictionem. Exponentibus coram nobis I. decano, B. archidiacono et magistro I. canonico et procuratore *Olomucensis* ecclesie, quod *Conradus* canonicus Ildesemensis, pro eo quod in Olomucensem ecclesiam se procurauit intrudi et se gerit pro episcopo in eadem, fuit auctoritate nostra citatus, ut nostro se conspectui per se vel procuratorem super his secundum iustitiam responsurus idoneum presentaret: verum quia idem comparere hactenus non curauit, diutius exspectatus, mandamus quatenus auctoritate nostra peremptorie citetis eundem, ut in festo beati Iohannis Baptiste proximo futuro personaliter compareat coram nobis, facturus et recepturus, quod ordo dictauerit rationis. Quod autem super hoc feceritis, nobis fideliter rescri-

batis. Quodsi vero non omnes his exequendis potueritis interesse, tu, frater episcope, cum eorum altero ea nichilominus exequaris. Datum Lugduni V. idus Martii. Pontificatus nostri anno secundo.

Ex eodem Regesto — epist. 384. — Bulla autographa in arch. capituli Olomucensis adservatur.

LXVI.

Idem eisdem mandat, ut Conrado episcopo ab administratione spiritualium et temporalium suspenso, bona episcopatus Olomucensis conservari curent. Dt. Lugduni, V. Idus Martii, 1245.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. Venerabili fratri . . episcopo Pragensi, et dilectis filiis . . Breunovensi et Gradicensi, Pragensis et Olomucensis diocesis, abbatibus salutem et apostolicam benedictionem. Exponentibus coram nobis I. decano, B. archidiacono, et magistro I. canonico et procuratore Olomucensis ecclesie, quod *Conradus, canonicus Ildesemensis,* pro eo, quod in Olomucensem ecclesiam procurauerit se intrudi, et se gerit pro episcopo in eadem, fuit auctoritate nostra citatus, ut nostro se conspectui per se uel procuratorem idoneum presentaret, super hiis secundum iustitiam responsurus. Verum cum diutius exspectatus contempserit comparere, nos indempnitati eiusdem ecclesie precauere uolentes, eam et domos ipsius cum bonis omnibus, que ad ipsam et episcopatum pertinent, sequestranda, et predictum Conradum propter suspicionem dilapidationis ac infamiam intrusionis ortam de ipso, et ne scandalum in eodem populus domini patiatur, ab administratione spiritualium et temporalium duximus suspendendum. Ideoque discretioni uestre per apostolica scripta mandamus, quatinus domos et bona ipsa auctoritate nostra recipere, ac diligenter conseruare curetis, usque ad nostre beneplacitum voluntatis, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Quodsi non omnes hiis exequendis potueritis interesse, tu, frater episcope, cum eorum altero ea nichilominus exequaris. Datum Lugduni V. Idus Martii. Pontificatus nostri anno secundo.

Ex originali in arch. capituli Olomucensis; necnon e Regesto Innocentii IV. anni II. epist. 385. in tabulariis Vaticanis. — Exc. dedit Dobner in Mon. tom. VI.

LXVII.

Rudigerus, episcopus Pataviensis, confert monasterio Zwetlensi unam decimam sitam circa confinia Bohemiae in villa Weichartsdorf, quae sibi vacare coepit *per mortem Hartliebi de Znoym.* Hanc ad instantiam Friderici ducis Austriae confert, quem desuper defensorem nominavit. Data apud S. Yppolitum III. Idus Aprilis, anno domini MCCXLV. indictione III.

Linck — Annales Clarovallens. I. 324.

LXVIII.

Mesco, dux de Opol, recipit villas, in confinio Moraviae sitas, Sonovo (Schönau) et Clyzino (Gläsen). Actum in Ratibor, pridie Idus Aprilis, 1245.

In nomine domini amen. Nos Mesco dei gracia dux de Opol notum facimus vniuersis presentibus et futuris quod pensata commoditate et vtilitate tam nostra quam eciam Lubensis monasterii ordinis Cisterciensis wratislaviensis diocesis de voluntate et maturo consilio baronum ac nobilium nostrorum villarum infra nominatarum tale fecimus concambium. Recepimus siquidem ab eodem monasterio duas villas *in confinio Morauie sitas Sonouo et Clyzino* cum omni vtilitate que ibidem tam in hominibus quam in terris prouenit uel inposterum poterit prouenire. In quarum permutacionem dicto monasterio de nostra proprietate assignauimus villam que Kazimir nunccupatur cum suo pleno circuitu et omnibus pertinenciis iudicio manus et capitis. villasque que Loncouici et Comornici wlgariter nominantur. adiectis nichilominus. pratis. nemoribus. mellificiis earundem villarum et omni vtilitate aquarum in molendinis. piscacionibus. castoribus. et ceteris que ex hiis inpresenciarum proueniunt uel inposterum ex industria ibidem habitancium poterunt prouenire. Incolis autem villarum illarum quas supranominato monasterio in prefata commutacione. pleno iure assingnauimus eam dedimus libertatem ut ab omni expedicione siue exercitu preterquam ad terre defensionem liberi omnes et singuli teutonico iure fruentes ab omni exactione peticione siue collecta et generaliter ab omnibus predialibus siue personalibus prestacionibus que ab aliis simili modo uel alio iure vtentibus fieri consweuerunt uel in futurum forsitan principis voluntate fuerint excogitate

immunes existant. Ita quod omnia iudicia in villis prenominatis que dictum monasterium a nobis permutacionis nomine suscepit ad solum abbatem uel ad eum quem eis idem abbas preposuerit pertineant. et ad ipsum monasterium ex integro perueniat quidquid in eis fuerit deriuatum. Iudicium eciam manus et capitis quod respectum semper habuit ad nos ut pocior nostri sit memoria cum omni vtilitate plenissime indulgemus. Hiis igitur taliter conpletis et fratribus dicti monasterii nomine ipsius in omnium supradictorum inductis possessionem nacta eciam possessione a nobis villarum supranominatarum Sonouo videlicet et Clyzino nos pleniore habita deliberacione tum quia possessiones quas nos a sepefato monasterio recepimus meliores erant illis quas nos pro commutacione sibi contulimus. tum eciam vt in eodem monasterio nostri ac omnium progenitorum nostrorum continua in oracionibus habeatur memoria prefatas villas Sonouo et Clyzino eidem monasterio mera liberalitate quasi restituendo pleno iure contulimus vtilitate siue vsufructu solummodo nobis diebus vite nostre retento. Ita quod post nostrum obitum nominate ville pleno iure eciam iudicio manus et capitis ac cum omni vtilitate ad ius et proprietatem dicti monasterii directe sine cuiuslibet contradictione reuertentur. Vt autem hec nostra permutacio et donacio rata et inuiolabilis perseueret ad perpetuum robor firmitatis et in memoriam gestorum presentem litteram nostro sigillo eidem monasterio contulimus roboratam. Actum in Ratibor. Anno incarnacionis domini Millesimo Ducentesimo Quadragesimo quinto pridie idus Aprilis presentibus Rynoldo archidiacono de Opol. Nicolao archidiacono de Glogow Nicolao canonico et cancellario. Nicolao castellano de Cozle. Dytkone de Butyn castellano Ottone castellano de Ratybor Iarozlauo subcamerario Rasicha thezaurario Guthardo notario. Iacobo. Paulo. Roperto. Marco. Egidio. Ramoldo.

Ex originali archivi r. Wratislav. commun. a D. Stenzel.

LXIX.

Wenceslaus, rex Boëmiae, confirmat literas regis Wladislai anno 1167. monasterio Litomyšlensi datas. Dt. Pragae, VII. Kal. Maji, 1245.

Wenceslaus dei gratia Boemorum rex fidelibus suis religiosis viris abbati et conuentui *Lutomizlensi* salutem et regie serenitatis gratiam.

Cum non solum per circuitum regni nostri plantare sanctam religionem, tanquam princeps catholicus, verum etiam plantatam fouere teneamur, ut sic diem messionis extreme misericordie possimus operibus preuenire, decet serenitatem regiam vigilanti studio prouidere, qualiter religiosi viri, qui vanitatibus seculi renuntiantes elegerunt domino in paupertate nimia ministrare, a vexationibus secularium ac temporalium strepitu sint immunes. Vera namque religio quietem appetit, et dum mundanis dispendiis agitatur, ab executione mandatorum celestium resipiscit turbationum miseriis anxiata. Sane cum iustis petentium desideriis dignum sit nos pium prebere consensum, et vota que a rationis tramite non discordant effectu prosequente complere, iustis petitionibus vestris inclinati ecclesie vestre priuilegium quondam ab auo nostro Wladislao, illustri rege Boemorum secundo, vobis concessum, et per vos serenitati nostre presentatum, quia imminente nimia vetustate eius merito conscriptio poterat pessumdari, ipsum auctoritate regia non viciatum, non cancellatum, nec in aliqua sui parte abolitum duximus innouandum, tenore eius verbo ad verbum nullo addito vel diminuto, presentibus inseri facientes; est autem tenor talis: *In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Ego Wladislaus dei gratia Boemorum rex etc. . . . . (Vide Tom. I. n. CCCII.)* Nos igitur dicti quondam aui nostri priuilegium per nos innouatum et diligenter exemplatum volumus eandem vim cum originali habere, presertim cum originale dicti quondam aui nostri tale sit, sicut nos videmus, quod nullum propter vetustatem defectum patiatur. Quare presentes dictis abbati et conuentui et per ipsos eorum successoribus in perpetuum concedimus sigillorum nostrorum munimine roboratas. Actum in castello veteri anno domini M. CC. XLV. Regni vero nostri anno XVIII. Datum Prage VII. Kalendas Maii per manum magistri Philippi, Wissegradensis prepositi, aule regie cancellarii.

Dobner — Annales T. VII. in MS. — f. 184.

LXX.

Innocentius papa IV. confirmat fundationem monasterii Cellae castitatis Brunae factam a rege Boëmiae Wenceslao. Dt. Lugduni, IV. Kal. Junii, 1245.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. Dilectis in Christo filiabus . . Priorisse ac Conuentui Monasterii Ancillarum christi de *Cella castitatis in Brunna* ordinis sancti Augustini Olomucensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Solet annuere sedes apostolica piis uotis. et honestis petentium precibus fauorem beniuolum impertiri. Cum igitur sicut nobis exponere curauistis. Carissimus in Christo filius noster . . Illustris Rex Boemie diuino intuitu benigno prosequens uos fauore locum in quo uestrum monasterium fundauistis spectantem ad ipsum. pia et prouida liberalitate donarit. nos uestris precibus benignius annuentes. donationem eandem. gratam et ratum habentes ipsam auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere. uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit. indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Lugduni IIII. Kalendas Iunii Pontificatus nostri anno secundo.

Ex originali in archivo Soc. Jesu Brunensis.

LXXI.

Wenceslaus, rex Boëmorum, confert monialibus in Oslowan villam „Potech" pro quibusdam rebus sacris, quas ab eisdem ad usus monasterii s. Francisci Pragae emerat. Dt. Pragae, mense Julio, 1245.

Wencezlaus dei gracia quartus Bohemorum rex religiosis et dilectis in Christo dominabus Abbatisse et conuentui sanctimonialium Cisterciensis ordinis *in Ozlawa* salutem in filio dei uiui. Contractuum sollempnitas non inmerito est a legislatoribus introducta ut per eam cautum sit contrahen-

tibus et uia cauillationibus hominum precludatur quia nichil tam naturale est quam ut ea seruentur inuiolata que homines inter se conuentione uel pacto promiserunt. Prodest etiam non modicum ad futuram rei memoriam si celebrati contractus adhibitis testium sollempnitatibus in scriptis redigantur. quia per hoc omnis sopitur dubitatio. materia litium aboletur et iurgiorum que ipsis contrahentibus uel eorum heredibus seu successoribus ficticiis possent adinuentionibus in posterum pullulare. Sane cum inter nos ex una parte et uos nomine monasterii uestri ex altera sit contractus bone fidei emptionis scilicet et venditionis sollempniter celebratus ipsum propter noticiam tam presentium quam futurorum in sollempne scriptum censuimus redigendum. Nouerint igitur Christi fideles vniuersi quod nos uobis damus in solutum et tradimus villam *Potech* cum omnibus suis pertinentiis inferioribus et superioribus ingressu et regressu iure proprii pro quibusdam rebus sacris uidelicet quadam tabula. aureo calice qui gemmis nobilibus est ornatus duabus etiam ampullis de lapide cristallino quas emimus ad vsus et utilitates monasterii karissime sororis nostre *Agnetis* ancille Iesu Christi quod in ciuitate Pragensi ad honorem sancti Francisci gloriosi confessoris domini situm est. in quo ad laudem diuini nominis institutus est conuentus pauperum inclusarum dominarum ordinis sancti Damiani promittentes duplam euictionis nomine si dicta uilla uel quippiam de suis pertinenciis seu aliqua eius pars euicta fuerit ad cuius solutionem nos nec non heredes et successores nostros vniuersales et particulares non dictam ecclesiam sancti Francisci generaliter et specialiter realiter et personaliter obligamus. Vt autem presens contractus robur sorciatur perpetue firmitatis presens in testimonium ad eternam rei memoriam concedimus litteras sigillorum nostrorum munimine roboratas. Huius rei testes sunt Radyborius cum filiis Hartlybo et Iantzone. Rvoth camerarius Bodscho Cerho cum fratre Tschaztolao Prozstey Wilhelmus et Luipoldus pincerne Sifridus et Kadoldus orphani Wezen Rubinus iudex brunnensis. Marcwardus de Tyntz Marcwardus de Donawitz Iohannes Pypa Bohusch frater eius Zmilo et Iaros filii Rantzyrii Bohusch et fratres sui de Tazzowve Budisch Uictor Beneda Blude Karolus de Ritchan Mylitius Idyk Zleyborius fratres sui et alii quam plures. Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. XL. V. mense Iulyo indictione tercia Datum Prage per manus magistri

Dyonisii pragensis canonici aule nostre vicecancellarii mense et indictione predictis.

Ex originali cum sigillo illaeso in archivo ejusdem monasterii.

LXXII.

Innocentius papa IV. capitulo Olomucensi mandat, se Olomucensi episcopatui providisse de Brunone, quondam praeposito Lubicensi, capellano suo, jubetque ei debitam obedientiam exhiberi. Dt. Lugduni, XII. Kal. Octobris, 1245.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis capitulo *Olomucensi* salutem et apostolicam benedictionem. Cum id quod de *Cunrado* factum fuit in ecclesia Olomucensi tamquam minus legitime attemptatum, per diffinitiuam sententiam duxerimus irritandum, et *Willelmus* canonicus ipsius ecclesie postmodum in manibus nostris spontaneus cesserit electioni de se facte in ecclesia memorata, nos attendentes, quod de dilecto filio *Brunone* quondam preposito Lubicensi capellano nostro, utpote nobiscum laudabiliter conuersato, morum honestate conspicuo, literarum scientia decorato, et prouidentia circumspecto, ac accepto nobis et fratribus nostris, suorum meritorum exigentia, poterat eidem ecclesie utiliter prouideri, de ipsorum fratrum consilio, de illo predicte ecclesie duximus prouidendum, spe uobis proposita, quod auctore illo, qui dans virtutes premia tribuit et gratiam gratie superaddit, non solum prefata ecclesia per diligentie sue studium in spiritualibus et temporalibus, verum etiam persona carissimi in Christo filii nostri . . illustris Regis Boemie et regnum eius in honore ac fructificatione bone operationis et fame, grata suscipient incrementa. Ideoque precipiendo mandamus, quatenus ipsi electo vestro tamquam patri et pastori animarum vestrarum plene ac humiliter intendatis et exhibeatis eidem obedientiam et reuerentiam debitam et deuotam, eius salubria monita et mandata suscipiendo deuote ac inuiolabiliter obseruando. Alioquin sententiam quam etc. usque obseruari. Dat. Lugduni, XII. Kal. Octobris. Pontificatus nostri anno tertio.

In eundem modum clero civitatis et dioecesis Olomucensis.

In eundem modum abbatibus, praepositis, prioribus, decanis, archidiaconis et aliis ecclesiarum praelatis, ecclesiae Olomucensi subjectis.

E Regesto Innocentii IV. anni III. epist. 162. in tabulariis Vaticanis.

LXXIII.

Idem regi Boëmiae Brunonem ecclesiae Olomucensis electum commendat. Dt. Lugduni, XIII. Kal. Octobris, 1245.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. Illustri . . Regi Boemie salutem et apostolicam benedictionem. Cum id quod de *Cunrado* factum fuit in ecclesia Olomucensi . . . *(etc. ut in praecedente epistola capitulo missa, verbis competenter mutatis usque . . .)* incrementa. Ideoque regalem excellentiam attente rogandam duximus et monendam, quatenus eundem *B.(runonem)* electum ecclesie supradicte ac eius procuratores et nuntios, nec non et canonicos qui pro ecclesie iam dicte prouisione ad Sedem apostolicam accesserunt, benigne recipiens et honeste pertractans, ipsos et iam dictam ecclesiam fauore regio prosequendo, habeas propensius commendatos, ac iura et possessiones ipsius ecclesie manuteneas et defendas, molestatores eorum, si necesse fuerit, potestate tibi a domino tradita compescendo, ita quod ex hoc seculorum domino placeas, et nos sinceritatis tue zelum possimus dignis in domino laudibus commendare. Dat. Lugduni XIII. Kal. Octobris. Pontificatus nostri anno tertio.

Ex eodem Regesto — epist. 164.

LXXIV.

In eundem modum „Agneti, sorori charissimi in Christo filii nostri illustris Regis Boemiae ordinis s. Francisci Pragensis" . . *(etc. verbis competenter mutatis usque . . .)* „laudibus commendare. Ideoque deuotionem tuam monendam duximus attentius et hortandam, in remissionem tibi tuarum peccaminum iniungentes, quatenus eundem Regem ad id efficaciter moneas et inducas, ita quod diligentie tue studium appareat per effectum, et nos sollicitudinem tuam merito commendemus. Dat. Lugduni, XII. Kal. Octobris. Pontificatus nostri anno tertio." (1245).

Ex eodem Regesto — epist. 165.

LXXV.

Idem baronibus, militibus et populo civitatis et dioeceseos Olomucensis de eodem scribit. Dt. Lugduni, XIII. Kal. Octobris, 1245.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. Nobilibus viris, baronibus, militibus et populo ciuitatis et diocesis Olomucensis salutem et apostolicam benedictionem. Cum id, quod de *Cunrado* factum fuit in ecclesia Olomucensi . . . *(etc. ut supra n. LXXII. usque . . .)* incrementa. Ideoque uniuersitatem vestram rogandam duximus attentius et monendam, mandantes quatenus eundem *B.(runonem)* electum ecclesie supradicte ac eius procuratores et nuntios recipientes benigne ac honeste tractantes, exhibeatis ei honorificentiam debitam et deuotam, ipsius salubria monita et mandata suscipiendo deuote ac inuiolabiliter obseruando, ita quod vos de filialis deuotionis affectu, sibi a vobis exhibito, possitis a deo et hominibus commendari, eumque ad caritatem et dilectionem vestram abundantius prouocare. Dat. Lugduni, XIII. Kal. Octobris. Pontificatus nostri anno tertio.

Ex eodem Regesto — epist. 166.

LXXVI.

Idem electo Ferrariensi, sedis apostolicae legato, provisionem ecclesiae Olomucensi de Brunone factam notam facit, monetque, ut regem Boëmiae etiam per amicos ejus ad suscipiendum eundem episcopum inducere studeat. Dt. Lugduni, XIII. Kalendas Octobris, 1245.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. Dilecto filio . . electo *Ferrariensi* salutem et apostolicam benedictionem. Cum id, quod de *Cunrado* factum fuit in ecclesia Olomucensi . . . *(etc. ut supra, usque . . .)* incrementa. Unde dictum regem attente rogandum duximus et monendum, ut eundem B. electum ecclesie supradicte ac eius procuratores et nuntios, nec non et canonicos, qui pro ecclesie predicte prouisione ad Sedem apostolicam accesserunt . . . *(etc. ut supra, in ea que mittitur regi, usque . . .)* laudibus commendare. Ideoque mandamus, quatenus quod a nobis de prefato capellano prouisum est prosequens diligenter, eundem Regem ad ea, que ipsum pro dicto electo literis nostris rogamus, tam per te, quam per

dilectos filios nobiles viros . . lantegrauium Thuringie, . . ducem Bauarie, . . Misnensem et . . Brandenburgensem marchiones ac alios prenominati Regis amicos secundum datam tibi a deo prudentiam moneas efficaciter et inducas, ita quod diligentie tue studium appareat per effectum, et nos sollicitudinem tuam merito commendemus. Dat. Lugduni, XIII. Kalendas Octobris. Pontificatus nostri anno tertio.

Ex eodem Regesto — epist. 167.

LXXVII.

In eundem modum „Nobilibus viris Wladizlao et Premizl, natis carissimi in Christo filii nostri . . . illustris regis Boemie . . *(ut supra, usque . . .)* laudibus commendare. Ideoque nobilitatem vestram monendam duximus attentius et hortandam, quatenus eundem regem ad id moneatis efficaciter et inducere procuretis, ita quod diligentie vestre studium appareat per effectum, et nos sollicitudinem vestram commendemus. Dat. Lugduni, XIII. Kal. Octobris. Pontificatus nostri anno tertio. (1245).

In eundem modum „Philippo capellano nostro, nato nobilis viri . . ducis Carinthie, nepoti carissimi in Christo filii nostri . . . illustris regis Boemie" etc. Datum Lugduni, XIII. Kal. Octobris. Pontificatus nostri anno tertio. (1245).

Ibidem — epist. 168.

LXXVIII.

Idem archiepiscopo Moguntino mandat, ut Brunonem sibi commendatum habeat, eique efficaciter assistat. Dt. Lugduni, XII. Kalendas Octobris, 1245.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. Venerabili fratri . . . Archiepiscopo *Maguntino* salutem et apostolicam benedictionem. Cum id, quod de *Cunrado* factum fuit in ecclesia Olomucensi . . . *(etc. ut supra, usque . . .)* incrementa. Ideoque fraternitatem tuam monendam duximus

attentius et hortandam, mandantes quatenus quod a nobis de prefato capellano prouisum est, prompta deuotione amplectens, ac te illi exhibens fauorabilem et benignum, ipsum et comissam sibi ecclesiam habeas propensius commendatos, eis quantum in te fuerit defensionis presidio efficaciter assistendo. Dat. Lugduni, XII. Kal. Octobris. Pontificatus nostri anno tertio.

Ibidem — epist. 169.

LXXIX.

Innocentius papa IV. electo episcopo Olomucensi, licet nondum sit consecratus, concedit usum mitrae et annuli. Dt. Lugduni, Nonis Octobris, 1245.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. Dilecto filio . . electo *Olomucensi* salutem et apostolicam benedictionem. Ob tue probitatis et deuotionis merita tuam volentes honorare personam, vsum mitre ac annuli, non obstante, quod nondum consecratus existis, auctoritate tibi presentium de gratia concedimus speciali. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostre concessionis infringere, uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Lugduni, V. Nonas Octobris. Pontificatus nostri anno tertio.

E codice membr. Olomucensi I. fol. 29.

LXXX.

Libellus historicus fratris Joannis de Plano Carpini, ordinis fratrum minorum, ad *Tartaros* ab Innocentio papa IV. ablegati. 1245.

Fejér — Codex dipl. IV.

LXXXI.

Relatio de missione ad *Tartaros* fratris Ascellini, ordinis praedicatorum, socii Joannis de Plano Carpini. 1245.

Fejér — Ibidem.

LXXXII.

Innocentius papa IV. confirmat donationem Ulrici Nigri monasterio Cellae s. Mariae Brunae factam. Dt. Lugduni, III. Nonas Januarii, 1246.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. Dilectis in Christo filiabus . . Priorisse et Conuentui monasterii *de Cella castitatis in Brunna* ordinis sancti Augustini Olomucensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod iustum est et honestum. tam uigor equitatis quam ordo exigit rationis. ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecte in Christo filie uestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu. personas uestras et monasterium de Cella castitatis in quo diuino estis obsequio mancipate. cum omnibus bonis. que impresentiarum rationabiliter possidet. aut in futurum iustis modis prestante domino poterit adipisci. sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. specialiter aut domos vineas curtes molendinum in *telnich.* et alia bona oppido Brunnensi adiacentia. que *Vlricus dictus Niger* laicus Brunnensis Olomucensis diocesis prout spectabat ad eum pia uobis liberalitate concessit. prout in litteris inde confectis plenius dicitur contineri. sicut illa iuste ac pacifice possidetis. uobis et per uos eidem monasterio auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre protectionis et confirmationis infringere uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit. indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Lugduni III. Nonas Ianuarii. Pontificatus nostri anno Tertio.

Ex originali in archivo Soc. Jesu Brunensis.

LXXXIII.

Idem „Breunouensem et Cladrubensem s. Benedicti, Pomucensem et Placensem Cisterciensis ordinum abbates" exhortatur ad capitula annis singulis celebranda in dioecesi Pragensi et *Olomucensi,* ad tractandum de reformatione ordinis et observantia regulari, juxta constitutiones sacri

concilii etc. Dt. Lugduni X. Kalendas Februarii. Pontificatus anno tertio. (1246).

Palacky's Reise p. 30.

LXXXIV.

Idem electo Olomucensi episcopo concedit facultatem evocandi dioecesanos suos ad se etiam extra dioecesim. Dt. Lugduni, XVI. Kal. Maji, 1246.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. Dilecto filio . . electo Olomucensi salutem et apostolicam benedictionem. Cum sicut te accepimus intimante, absque culpa tua non possis diocesim Olomucensem intrare, ne id tibi cedat in preiudicium et subditis tuis officiat ad salutem, vocandi tam religiosos quam alios clericos seculares dicte diocesis ad locum in quo fueris extra ipsam, et iniungendi eis illa, in quibus tibi tenentur, auctoritate tibi presentium concedimus facultatem. Non obstante constitutione de duabus dietis edita in concilio generali. Datum Lugduni, XVI. Kal. Maii. Pontificatus nostri anno tertio.

E Regesto Innocentii IV. anni III. epist. 460. in tabulariis Vaticanis.

LXXXV.

Idem regem Boëmiae sollicitat, ut adhibeat studium, quatenus electio novi Romanorum regis quantocius celebretur. Dt. Lugduni, XI. Kalendas Maji, 1246.

Ibidem — epist. 632.

LXXXVI.

Idem electo Ferrariensi, Apostolicae Sedis Legato mandat, ut inducat regem Boëmiae ad assistendum potenter et patenter H. regi Romanorum. Dt. Lugduni, III. Nonas Julii, 1246.

Ibidem — anni IV. epist. 922.

LXXXVII.

Idem litem inter monasteria Welehradense et Tišnowicense, atque fratres templi de Čeykowice super decimis in Čejč decidendam mandat. Dt. Lugduni, XII. Kalendas Norembris, 1246.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei . . Venerabili fratri . . episcopo Patauiensi et dilectis filiis . . abbati sancte Marie scotorum in Vienna. necnon . . preposito sancte Marie in Nivmburg Patauiensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Transmissa nobis dilecti in Christo filii *W.(ladislai) filii regis Bohemorum marchionis Morauie* petitio patefecit. quod inter . . abbatem et conuentum de *Welegrade* et . . abbatissam et sorores de *Thusnowicze* et *fratres domus militie templi de Cheyekouich* Olomucensis diocesis exorta litis causa super decimis. censu et aliis rebus in *Cheyce* fine debito non potuit terminari. Ideoque discretioni vestre per apostolica scripta mandamus. quatenus partibus conuocatis audiatis causam et appellatione remota debito fine terminetis facientes quod statueritis per censuram ecclesiasticam firmiter obseruari. Testes autem qui fuerint nominati si se gratia. odio vel timore subtraxerint. per eandem censuram cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse. tu frater episcope cum eorum altero ea nichilominus exequaris. Datum Lugduni XII. Kalendas Nouembris. Pontificatus nostri anno quarto.

Ex originali monasterii Welehradensis.

LXXXVIII.

Idem Wladislao, filio regis Bohemorum, marchioni Moraviae, recommendat fratrem Gotfridum, ordinis praedicatorum. Dt. Lugduni, VIII. Kal. Decembris, 1246.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. Dilecto filio Nobili uiro *W.(ladislao)* nato Carissimi in Christo filii nostri . . Illustris Regis Boemie salutem et apostolicam benedictionem. Cum dilectum filium fratrem Godefridum ordinis fratrum predicatorum capellanum et penitentiarium nostrum

nobis et fratribus nostris probitatis sue meritis carum admodum et acceptum ad partes tuas pro quibusdam ecclesie Romane et Terre sancte negotiis destinemus. Nobilitatem tuam rogamus et hortamur attente per apostolica tibi scripta mandantes. quatinus eumdem cum ad te uenerit pro reuerentia beati Petri et nostra recipiens ilariter et benigne super eisdem negotiis sibi tribuas oportunum auxilium et fauorem. ita quod nos id gratum possimus habere tueque deuotionis affectum cum actionibus gratiarum exinde commendare. Datum Lugduni VIII. Kalendas Decembris. Pontificatus nostri anno quarto.

Ex originali in archivo capituli Olomucensis.

LXXXIX.

Bruno, episcopus Olomucensis, monasterio Rayhradensi secunda die post consecrationem confert indulgentias. Dt. Modřice, 30. Decembris, 1246.

Anno gracie. M. CC. XLVII. Quarto Kalendas Ianuarii. die uero dominica in festo Innocentium. Nos *Bruno* miseratione diuina episcopus ecclesie *Olomucensis*. In nomine sancte et indiuidue trinitatis. et in honore uictoriosissime crucis. ac intemeratissime dei genitricis. semperque uirginis Marie. omniumque celestium uirtutum. beatorum spirituum. patriarcharum. prophetarum. apostolorum. martirum. confessorum atque uirginum. monasterium in *Rayhrath* duximus consecrandum. Illud tali specialis prerogatiue titulo decorantes. quod in omni anniversario dedicationis eiusdem omnibus uere penitentibus et confessis. illuc tunc deuote accedentibus. de omnipotentis Dei misericordia. et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi sexaginta dies de iniuncta sibi penitentia misericorditer relaxamus. Eodem eciam die in prenominato monasterio duo altaria consecrauimus. quorum tituli principalis et superioris uidelicet altaris. beatis apostolis. Petro et Paulo. inferioris uero sancte et gloriosissime cruci specialiter annotantur. Vt autem hiis litteris et que in eis continentur fides adhibeatur et credentia. Nos eas sigilli nostri appensione duximus confirmandas. Datum Moderiz secunda die post dedicationem eiusdem monasterii. Pontificatus uero nostri anno primo.

Ex originali ejusdem monasterii.

XC.

Idem monasterio Cellae s. Mariae Brunae indulgentias elargitur. Dl. Modřice, V. Idus Januarii, **1247.**

Bruno dei gratia Olomucensis episcopus vniuersis Christi fidelibus hanc paginam audituris, in uero salutari gaudium et salutem. Quoniam, ut ait apostolus, omnes astabimus ante tribunal Christi recepturi, prout in corpore gessimus, siue bonum fuerit, siue malum, oportet nos diem messionis extreme misericordie operibus preuenire, ac eternorum intuitu seminare in terris, quod reddente domino cum multiplicato fructu recoligere debeamus in celis; firmam spem fiduciamque tenentes, quoniam, qui parce seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet uitam eternam. Cum igitur claustrum dominarum ad *Cellam sancte Marie infra muros in Brunna* pauper sit, in redditibus non habundans, ita quod ad alimenta et alias necessitates corporis ipsis dominabus ibidem domino iugiter famulantibus nondum proprie suppetant facultates, uniuersitatem uestram rogamus, monemus in domino attentius et hortamur, in remissionem uobis peccaminum iniungentes, quatenus de substantia a deo uobis collata pias elemosinas et grata eis caritatis subsidia erogetis, ut per uestram subuentionem adiute iugibus ibidem ualeant orationibus insudare, et uos illarum participes fieri mereamini apud deum, et per hec et alia bona, que domino inspirante feceritis, post huius mundi transitum ad eterne possitis felicitatis gaudia peruenire. Nos itaque de omnipotentis dei misericordia, et beatorum Petri et Pauli, apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus uere penitentibus et confessis, qui predictis dominabus manum porrexerint caritatis, triginta dies de iniuncta sibi penitentia misericorditer relaxamus. Datum Moderiz anno MCCXLVII. quinto Idus Ianuarii; ordinationis nostre anno primo.

E transumto ejusdem episcopi absque anno in archivo S. J. Brunensis.

XCI.

Innocentius papa IV. regem Romanorum, ut ad Austriam occupandam Belae regi, salvo jure regis Boëmiae et sui nati, consilium et auxilium praestet, hortatur. Dt. Lugduni, IV. Kal. Februarii, **1247.**

Innocentius episcopus seruus seruorum dei . . Regi Romanorum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Cum ad occupandum ducatum Austrie aspiret tuus et ecclesie persecutor, ipsumque ducatum charissimus in Christo filius noster . . Rex Ungarie illustris, salvo in omnibus iure ac honore tuo et Imperii, et carissimi in Christo filii nostri . . Regis Boemie illustris natique sui ac aliorum amicorum tuorum, velit ad manus suas recipere ac tenere: quia per hoc predicti persecutoris ac ei adherentium potentiam minui credimus, et honorem tuum non diminui sed augeri, Celsitudinem tuam rogandam duximus attentius et hortandam, quatenus eidem regi Ungarie prestes ad hoc consilium, auxilium et fauorem. Datum Lugduni, IV. Kal. Februarii. Pontificatus nostri anno quarto.

E Regesto Innocentii IV. anni IV. epist. 956. in tabulariis Vaticanis.

XCII.

Bruno, episcopus Olomucensis, confirmat donationem Ulrici Nigri monasterio Cellae s. Mariae Brunae factam. Dt. Olomucii, pridie Idus Februarii, **1247.**

Bruno dei gratia Olomucensis episcopus omnibus Christi fidelibus presentem paginam inspecturis in uero salutari gaudium et salutem. Consuetudinem iuri consentaneam et rationi subnixam laudabiliter imitamur, cum ea, que locis religiosis intuitu pietatis donantur, scriptis autenticis roboramus, ut intemeratum seruetur in terris, per quod acquiritur eterna merces in celis. Proinde notum esse cupimus vniuersis presentem paginam inspecturis, quod *Vlricus ciuis Brunnensis cognomine Niger* libere ac sine omni cauillatione claustro, quod dicitur *cella sancte Marie* infra muros in Brunna domum et aream, in qua idem claustrum est constructum, et aream unam in platea obposita, domum unam, in qua ipse Vlricus moratur,

item duo macella et curiam unam in *Cunisueld* et unum molendinum in *antiqua Brunna* et duos laneos in *Poherlicz* et omnia, que habet ciuitati adiacentia in areis, pratis, ortis pretaxato claustro contulit in anime sue remedium et salutem. Ne quis autem hanc donacionem, quam ipsi claustro presentibus confirmamus, uiolenter presumat infringere, uel et (sic) ausu temerario contraire sub anathematis interminacione districtius inhibemus. In uerum etiam huius donacionis et nostre confirmacionis argumentum presentem paginam sigilli nostri karactere roboratam prenotato claustro duximus concedendam. Datum Olomuz anno domini MCCXLVII. pridie idus februarii. Pontificatus nostri anno primo.

Ex originali in archivo c. r. aulico Vindobonae.

XCIII.

Ulricus, dux Carinthiae nec non Břetislaviensis (Landenburg), monasterio Gradicensi in Kygow (Gaja) et omnibus praediis ejusdem villae exemtionem ab onere thelonei, tributorum aliarumque exactionum concedit. Dl. XIII. Kal. Martii, 1247.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis amen. Vlricus dei gratia dux Karinthye et *Breciszlawensis* monasterio *Gradicensi* premonstratensis ordinis. Olomucensis dyocesis. et fratribus tam presentibus quam futuris regularem uitam ibi professis inperpetuum. Cum munifica principalis auctoritatis clementia omnibus benefacere debeat. maxime domesticis fidei ac iuris approbate religionis uitam et habitum professis qui die noctuque pro statu matris ecclesie gubernatori omnium supplicando deuotius famulantur, manum pie consolationis ac iuste defensionis clipeum ratione tenetur specialius ac propensius exhibere. Ea propter presens nouerit etas. et sciat futura. quod nos prefato monasterio et fratribus ibidem degentibus ad ampliorem eorum sustentationem et ob ipsorum orationum recompensationem statuimus irrefragabiliter obseruandam (sic) in *Kyo* et omnibus prediis eiusdem ville cum omni iure attinentibus. ut ab omni thelonii onere. uel tributorum. uectigalium. collectarum. aliarumque exactionum. ad nos uel beneficiarios nostros quoquo modo nominentur spectantibus. quibus a nostrorum

progenitorum uel predecessorum concessione libera prius exempti sev etiam non exempti fuerant. decetero de nostre pietatis magnitudine emancipari plenius dinoscantur. Vt hec firmitatis robur obtineant. et perpetuo maneant inconcussa. nostre sigillo beniuolentie duximus eternare. Huius rei testes ex parte nostra sunt. videlicet dominus Hartmannus abbas totusque conuentus suo ordine de Welgerat. Dominus Woytich prepositus de Doboronik. Ierhnev camerarius noster. Dominus Rutschke miles de Stehenitz. dominus Gotfridus de Ramenstein dictus. Ian de Grvnenberch. Hertlo filius Wecen. Iurik filius Prieborowitz. Ex parte uero abbatis et conuentus Gradicensis dicti monasterii sunt hii. videlicet dominus Wittego. dominus Cerho. et frater ipsius dominus Schastolo. dominus Zvdemer. dominus Zlawo. Wlschet villicus de Kyo. et Ottelo filius sororis eiusdem. Sepanus. et Woyetz filius eiusdem. Raden. Hirzo. qui sunt omnes de Kyo. et alii quam plures. quorum hic non sunt nomina anotata. Acta sunt hec anno domini Millesimo. CC. XL. VII. Indictione septima. XIII. Kalendas Martii.

Ex originali ejusdem monasterii. — Sigillum avulsum.

XCIV.

Přemysl, marchio Moraviae, adjudicat in judicio Brunae habito monasterio ad s. Petrum Olomucii villam Slatina. Dt. Brunae, VI. Kal. Aprilis, 1247.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis amen. Qvoniam que geruntur in tempore ne labantur cum tempore. necesse est ea testimonio et litteris roborare. Ad resecandum igitur tocius ambiguitatis scrupulum. noscat tam presens hominum etas. quam in Christo futura posteritas. quod nos *Premizl dei gratia Marchio Morauie.* Wencezlai quarti regis Bohemorum filius cum presedissemus iudicio super decisione litis que inter *sorores olomucenses de sancto petro* ex una parte. et nepotes domini Semizlai Zauisam uidelicet et fratrem eius ex altera super uillam nomine *Zlatina* uerteretur dictis sororibus asserentibus. et testibus earum uelle probantibus. quod eis dominus Semizlaus dictam uillam contulisset in suorum remedium peccatorum. dicti uero nepotes domini Semizlai contrarium asserebant quod

eis prius et semper predicta bona contulerit. et testes super eisdem bonis producebant. Nos autem uisis et auditis rationibus et iuribus utriusque partis testes dictarum sororum ad iuramentum duximus admittendos. qui etiam intrepide super sacris reliquiis iurantes testimonium perhibebant. nos autem diffinitiuam sententiam proferentes. dictis sororibus uillam adiudicauimus supra dictam iure perpetuo et hereditario possidendam. Vt autem examen nostri iudicii robur habeat firmitatis. et sorores in Christo dilecte pacifica et quieta possessione congaudeant presentem litteram conscribi. et sigilli nostri munimine fecimus roborari. Acta sunt autem hec VI. Kalendas Aprilis. presentibus hiis testibus. Witcone Olomucensi castellano. Milicio. Sobezlao. Slauiborio. Egidio. Pardusone. Twircsone. Sudumiro. Swezlao. Cerhone. Czastolao. Hrutone. Budisone. Alberto. Wilhelmo. Lupoldo. Martino. Andrea subcamerario. Nagrado. Karulo. Lamberto. Wirchozlao. Predborio. Henrico filio uitconis. Hermanno filio Sobezlai. Hermanno filio uocconis. Ones filio bycen. Bludone filio onsonis. Preborio. onsone vocconis. Pause. Elya. Lascone. Krale. Anno domini M. CC. XL. VII. Datum in Brunna per manus Priznoborii nostre curie notarii.

Ex originali in archivo capituli Olomucensis. — Sigillum laesum appendet equestre, cujus insigne est leo bicaudatus.

XCV.

Idem confert monasterio Rayhradensi in restaurationem post destructionem Tartarorum integros thelonei proventus in Brod et Kunowice ad quinque annorum spatium. Acta Brunae, III. Nonas Aprilis, **1247.**

In nomine domini amen. Ne ea que aguntur in tempore simul cum tempore labantur. necesse est ea litterarum testimonio roborare. Ad obuiandum igitur tocius ambiguitatis scrupulo noscant tam presentes quam in Christo successuri. quod nos Premizl. dei gratia marchio Morauie serenissimi regis Boemorum Wencezlai quarti filius. ad petitionem deuotorum in Christo fratrum *de Raygrad. quorum monasterium proh dolor! tempore obsidionis ciuitatis nostre Brunnensis per imanes Tartaros destructum erat.* ad reparationem eiusdem remedium inuenimus speciale per quod et pre-

fatorum fratrum succurritur inopie et anime nostre et predecessoris nostri *Wladizlai marchionis Morauie.* fratris quondam nostri karissimi consulitur peccaminum leuamini. Concedimus igitur de innata maiestatis nostre clemencia fratribus prefatis de Raygrad talem in elemosine prestationem gratiam. ut prouentus thelonei nostri in *Brod.* quorum decimam ex antiqua fundacione percipere noscuntur ex nunc per annorum quinque spacium percipiant uniuersos et plenos nullo theloniariorum nostrorum contradicente. additis etiam plenis prouentibus thelonei nostri in *Cunouicz.* in eodem temporis curriculo. Si quis autem nostre elemosine donationem uiolare presumpserit rebus suis priuetur in satisfaccionem condignam lesorum. In cuius rei testimonium presentem paginam conscribi et sigilli nostri munimine fecimus roborari. Testes autem sunt hii. Witco de Noua domo. Olomucensis castellanus. Parduz. Cerh purgrauius de Meydeberch. Castolaus. Hruto. Budis. Wilhelmus. Lupoldus. Nagrad. Lambert de Bozkouiz. Blud filius Onsonis. Ctibor. Voyteh de Bystrice. Stepanus de Zubri. Lasco. Andreas filius Benes. et alii quam plures. Acta sunt hec in Brunna III. Nonas Aprilis anno incarnacionis domini MCCXLVII. Datum per manus Priznoborii curie nostre notarii.

Ex originali in archivo archiepiscopali Olomucii. — Sigillum idem, quod in praecedente diplomate.

XCVI.

Ulricus, filius ducis Carinthiae et sororis regis Boëmiae, Welehradensi monasterio capellam Popowice in monte juxta Kunowice et piscationes in Kostelan confert. Acta IV. Kal. Maji, 1247.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Ego *Vlricvs filius ducis Karinthie. ac filius sororis inclili regis boemie.* omnibus presens scriptum inspecturis in perpetuum amen. Recordationi et noticie presentium et futurorum ratione huius scripti debita significari dignum duximus. quod nos in remedium animarum predictorum parentum nostrorum uidelicet serenissimi regis boemorum ac felicis memorie sororis sue matris nostre et omnium progenitorum eorundem et eisdem in generatione succedentium contulimus

claustro sacratissime dei genitricis et uirginis marie in *Welegrat* et venerabili conuentui. deo ibidem famulanti iugiter capellam *popowiz* sitam in monte iuxta Chvonewiz constructam in honore beate et prefate semper uirginis marie cum iure patronatus et omnibus attinentiis ac cum omni antiquo iure et iusticia domorum agrorum pratorum ortorum theloneorum fructetorum. camporum cultorum et incultorum perhenniter possidendam. Sub prefato etiam pretextu placuit altissimo nos conferre predicto claustro piscatores et piscationes in *Costelan* cum omnibus antiquis terminis et iure aquarum silvarum agrorum pratorum. domorum ortorum et omni attinentia. cui quasi summo regi parere studuimus. offerentes hec super altare beate ac sepius memorate marie. uirginis pie. donatione perpetua cum duobus laneis in *Radichowiz*. sicut fecimus semel et pariter capellam superius memoratam. Ne autem hec deuotionis nostre donatio irrita fiat et inanis presentem paginam sigilli nostri munimine studuimus roborare. Presentibus nobilibus. Ieronimo camerario. Predeborio. Ruschone filio Ninechonis. Andrea Zobeherdi filio. Drizlao filio Zudwoy. Nynichone de Mysteriz. Bohusse filio Zerronis. Zmylone filio Gerhardi. Nycolao filio Petri. Woizlao de thieschenowe. et aliis quam pluribus. Acta sunt hec anno ab incarnatione domini. M. CC. XL. septimo. IIII. Kalendas Maii quod tunc erat in die dominico.

Ex originali monasterii Welehradensis. — Sigillum „Vlrici ducis Karinthie" appendet bene conservatum cum insigni ducatus Carinthiae.

XCVII.

Přemysl, marchio Moraviae, civibus de Opavia in reparationem civitatis post destructionem Tartarorum forum annuale concedit, et mercatores ad id venientes a theloneo per terram suam eximit. Dt. Brunae, V. Nonas Maji, **1247.**

In nomine domini amen. Que labuntur in tempore. ne labantur cum tempore. necesse est ea testimonio. litteris roborare. Ad resecandum igitur tocius ambiguitatis scrupulum. nouerint vniuersi presentes inspecturi. Quod Nos *Premisl.* dei gracia Marchio Morauie. serenissimi Regis Wencezlai quarti Bohemie filius. ad peticionem fidelium ciuium nostrorum de *Opauia*.

qui pro nobis. et honore Regni nostri nullatenus formidant exponere pluries res et corpus. et prosperitate *nostre terre. que in magna parte per destructionem Tartarorum est destructa.* ad reparacionem sui remedium inuenimus speciale. per quod et honor et decus nostre maiestatis augeatur. et ciues predicti dante domino de inopia ad opes subleuentur. Damus et concedimus eis annuale forum in festo Natiuitatis Beate Virginis in omni libertate statuendum. Ad maiorem autem securitatem omnibus de terris alienis uenientibus ad nundinas eorum septem dies ueniendi. et septem dies in foro predicto mercimonia pertractandi sine quolibet impedimento. sine qualibet exactione. septem dies abeundi permittimus per nostre Maiestatis dexteram libertatem. Adicientes eisdem. ut sint liberi et securi in omnibus uiis terre nostre. in omnibus theloneis. in omnibus pacem et securitatem habentes. que ad eorum comodum excogitari possunt. donec deo comite peractis negociacionibus ad propria reuertantur. Si quis autem predictas libertates uiolare presumpserit. capite priuabitur. et cum rebus eius leso condignam satisfactionem. uidelicet duplum restituendo faciemus. In cuius rei testimonium presentem paginam conscribi. et sigilli nostri munimine fecimus roborari. Testes autem sunt hii. Witko. de Noua domo. Pardus. noster camerarius. Nagrad. Andreas camerarius. Milich. et Idik. frater eius. Beneda. Cerh. purgrauius de Meydberh. et alii quam plures. Datum in Brunna. per manus Prisnoborii. curie nostre notarii. Acta autem sunt hec. Anno incarnacionis domini M. CC. XL. VII. et Quinto Nonas Maii.

Ex originali in curia Opaviensi. — Sigillum laesum appendet equestre et consuetum.

XCVIII.

Idem civitati Freudenthal in restaurum post destructionem a Tartaris factam usum thelonei et quinti stollonis argentifodinarum in Benešow concedit. Dt. Brunae, IV. Nonas Maji, 1247.

In nomine domini amen. Nos Premisl dei gracia marchio Morauie serenissimi regis Wencezlai quarti Bohemie filius omnibus Christi fidelibus in perpetuum. Notum facimus quod nos de innata nobis clementia innotescentes. quomodo fideles nostri ciues de *Freudenthal* pro nobis et honore

regni nostri nullatenus formidarunt pluries res et corpus exponere et *in generali terre nostre per Tartarorum incursum vastatione etiam eorum ciuitas maxima ex parte destructa.* et ipsi ad egestatem non modicam sunt perducti ad reparationem itaque eorum remedium inuenimus speciale per quod et honor et decus nostre maiestatis augeatur et ciues predicti dante domino de inopia ad opes subleuentur. Concedimus itaque ipsis ut theloneum nostrum quod soluitur a negotiantibus transeuntibus *e Polonia* versus *Olomuc.* per *Kirnow.* et *Freudental.* recipiant per viginti quinque annorum spatium in reparationem ciuitatis ipsorum salva tamen via que ducit per *Opaviam.* Item amplius largitatis manum extendentes ipsis de argentifodinis nostris in *Benesoue. quando ad pristinum statum peruenerint* usum quinti stollonis preter decimam concedimus in perpetuum. Si quis autem predictas liberalitatis donationes infringere presumpserit capite priuabitur. et cum rebus eius lesis condignam satisfactionem videlicet duplum restituendo faciemus. In cuius rei testimonium presentem paginam conscribi et sigilli nostri munimine fecimus roborari. Testes autem sunt hii. Witco de Noua domo. Pardus camerarius noster. Nagrad. Andreas camerarius. Milic et Ydik frater eius. Beneda. Crho purgrauius de Meydeberch et alii quam plures. Datum in Brunna per manus Priznoborii. curie nostre notarii. Acta autem sunt hec. Anno incarnationis domini. M. CC. XLVII. et quinto Nonas Maii.

E copia sec. XV. in curia Opaviensi.

XCIX.

Innocentius papa IV. Petro cardinali, apostolicae sedis legato committit, ut ad petitionem regis Boëmiae Conrado ab ecclesia Olomucensi amoto possessiones quaedam conferantur. Dt. Lugduni, V. Idus Maji, 1247.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. P. sancti Gregorii ad velum aureum diacono cardinali, apostolice Sedis legato salutem et apostolicam benedictionem. Ex parte carissimi in Christo filii nostri . . Regis Boemie illustris fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum *Conradus,* quem ab ecclesia *Olomucensi* iamdudum amouimus, castra et alia, que de bonis

episcopatus Olomucensis habebat, libere duxerit resignanda, eidem C., qui in partibus illis nobilis est et potens, villam *Cholso* et de *Opauia* et de *Gelz* possessiones cum earum pertinentiis ad episcopatum Olomucensem spectantes usque ad valentiam trecentarum marcarum argenti annis singulis concedere de benignitate solita curaremus. Quocirca mandamus, quatenus super his auctoritate nostra facias, quod videris expedire. Contradictores auctoritate nostra appellatione postposita compescendo. Datum Lugduni, V. Idus Mai. Pontificatus nostri anno quarto.

E Regesto Innocentii IV. anni IV. epist. 700. — in tabulariis Vaticanis.

C.

Idem Brunoni, electo Olomucensi mandat, ut collationem quarumdam ecclesiarum, a Conrado amoto factam, propter regis Boëmiae favorem ratam habeat. Dt. Lugduni, VIII. Kalendas Junii, 1247.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. Dilecto filio . . *electo Olomucensi* salutem et apostolicam benedictionem. Cum sicut ex parte carissimi in Christo filii nostri . . Regis Boemie illustris fuit propositum coram nobis, *Conradus* quem ab ecclesia Olomucensi amouimus, ante latam in ipsum sententiam, S. Petri in *Ghelz*, S. Marie in *Mohelz*, S. Pantaleonis in *Pustemir*, S. Petri in *Iectare* et S. Martini in *Zenzans* ecclesias, ad collationem episcopi Olomucensis spectantes, duxerit personis idoneis conferendas nos volentes eidem Regi in hac parte gratiam facere specialem, mandamus quatenus collationem ecclesiarum earundem factam ab ipso ratam habeas et acceptam. Non obstantibus aliquibus literis super hoc a Sede apostolica impetratis et processibus habitis per easdem. Datum Lugduni, VIII. Kalendas Iunii. Pontificatus nostri anno quarto.

Ex eodem Regesto — epist. 722.

CI.

Idem abbati Plasensi mandat, ut sententiam suspensionis ab archiepiscopo Bremensi in episcopum Pragensem latam auctoritate apostolica relaxet. Dt. Lugduni, Kalendis Junii, 1247.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. Dilecto filio . . Abbati Placensi, ordinis Cisterciensis, Pragensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Ex parte carissimi in Christo filii nostri . . Regis Boemie illustris fuit propositum coram nobis, quod cum venerabili fratri nostro . . archiepiscopo Bremensi nostris dederimus literis in mandatis, ut ipsum quod dilectum filium *B.(runonem) electum Olomucensem* pacifica possessione episcopatus Olomucensis gaudere permitteret, moneret attentius ac inducere procuraret, idem archiepiscopus mandati formam excedens, eodem Rege non monito nec inducto, venerabili fratri nostro . . Episcopo Pragensi mandauit, ut pro eo quod prefatus B. pacificam possessionem ipsius episcopatus nancisci non poterat, totum regnum Boemie ecclesiastico supponeret interdicto, et quia idem episcopus id efficere noluit absque mandato Sedis apostolice speciali, dictus archiepiscopus tulit suspensionis sententiam in eundem, super cuius obseruatione sententie prefatus electus ab Apostolica Sede literas impetrans, dilecto filio Gottifrido penitentiario et capellano nostro, quem ad partes illas transmisimus, dari obtinuit in mandatis, ut eundem episcopum faceret per prefatum regnum suspensum publice nuntiari. Quocirca mandamus, quatenus sententiam ipsam infra octo dies post receptionem presentium, premissis non obstantibus, sine difficultate qualibet studeas relaxare, maxime cum prefatus electus episcopatus predicti possessione gaudeat pacifice et quiete. Dat. Lugduni, Kalendis Iunii. Pontificatus nostri anno quarto.

Ibidem — epist. 762.

CII.

Bruno, episcopus Olomucensis, confirmat collationem ecclesiae s. Hippolyti, quae adjacet castro Znoymensi, hospitali s. Francisci Pragae factam per Wenceslaum, regem Boëmiae. Dt. 9. Junii, 1247.

Bruno, dei gracia Olomucensis electus, omnibus hanc paginam inspecturis in vero salutari gaudium et salutem. Quoniam dominus Wenceslaus, illustris Boemorum rex quartus, *ecclesiam sancti Hyppoliti, que adiacet castro Znoimensi,* cum omnibus attinentiis suis pro remedio anime sue liberaliter contulit hospitali *s. Francisci Pragensi* ad usus pauperum et infirmorum confluentium ibidem perpetuis temporibus profuturam: Nos donationi tam pie, qui, licet immeriti, diocesanus existimus, gratum ac liberum impertimur assensum, iuribus nostris et archidiaconi nostri per omnia nobis saluis. In argumentum nostri consensus presentem chartam sigilli nostri munimine consignantes. Testes autem huius rei sunt: Nicolaus prepositus. Marquardus, Pragensis scholasticus. Bartholomeus archidiaconus. Simon. Gerardus. canonici Olomucenses. Votek, prepositus de Dubrane. Magister Iohannes de Barchin. Frater Bertholdus et frater Theodoricus de ordine Minorum fratrum. Conradus, magister hospitalis, et frater Fridericus ordinis eiusdem, et alii quam plures. Datum anno M. CC. XL. VII. sequenti die beatorum martyrum Primi et Feliciani.

E copia simplici ejusdem praepositurae.

CIII.

Innocentius papa IV. Brunoni, electo Olomucensi, mandat, ut dispenset cum clericis terrae regis Boëmiae in Budišjn, qui metu ejusdem regis durante interdicto divina officia celebraverant. Dt. Lugduni, II. Nonas Julii, 1247.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. Dilecto filio . . *electo Olomucensi* salutem et apostolicam benedictionem. Ex parte carissimi in Christo filii nostri . . Regis Boemie illustris fuit propositum coram nobis, quod cum terra eius in Budsin pro eo quod pacificam possessionem epi-

scopatus *Olomucensis* nancisci non poteras, fuisset auctoritate nostra ecclesiastico supposita interdicto, clerici eiusdem terre metu ipsius Regis diuina officia durante interdicto huiusmodi temere celebrarunt. Quare predictus Rex nobis humiliter supplicauit, ut cum multitudo sit in causa, prouidere ipsis super hoc paterna sollicitudine curaremus. Quocirca mandamus, quatenus cum eisdem clericis, illis dumtaxat exceptis, qui fuerunt huiusmodi transgressionis actores, auctoritate nostra dispenses super irregularitate quam exinde contraxerunt, iniuncta eis penitentia salutari. Dat. Lugduni, II. nonas Iulii. Pontificatus nostri anno quinto.

E Regesto Innocentii IV. anni V. epist. 14. — in tabulariis Vaticanis.

CIV.

Idem episcopo Pataviensi mandat, ut compellat fratres hospitalis s. Mariae Teutonicorum in Starkenberg ad restituenda privilegia Margarethae et Gertrudi viduabus, per quae in ducatu Austriae hereditario jure succedere debent. Dt. Lugduni, III. Nonas Septembris, 1247.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. Venerabili fratri . . episcopo Patauiensi salutem et apostolicam benedictionem. Ex parte nobilis mulieris M.(argarethe) relicte quondam H.(einrici) nati F.(riderici) dudum imperatoris, et *G.(ertrudis) relicte quondam W.(ladislai)* nati carissimi in Christo filii nostri . . regis Boemie illustris nobis est oblata querela, quod fratres hospitalis S. Marie Teutonicorum in Starkemberch Patauiensis diocesis quedam priuilegia, per que ipse in ducatu Austrie hereditario iure succedere debent, contra iustitiam detinent et eis reddere contradicunt. Quocirca mandamus, quod si est ita, dictos fratres quod eisdem mulieribus huiusmodi priuilegia restituant ut tenentur, monitione preuia, per censuram ecclesiasticam appellatione remota iustitia mediante compellas. Dat. Lugduni, III. nonas Septembris. Pontificatus nostri anno quinto.

Ex eodem Regesto — epistola 249.

CV.

Idem fratribus domus Teutonicorum castra „Starkemberch et Gotenstein" tenentibus mandat, ut illa curent custodire, ne ad manus Friderici quondam imperatoris deveniant. Dt. Lugduni, V. Idus Octobris, **1247.**

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis . . fratribus domus Teutonicorum de Starkemberch et de Gotensten castra tenentibus salutem et apostolicam benedictionem. Presentium vobis auctoritate in virtute obedientie firmiter precipiendo mandamus, quatenus de Starkemberch et de Gotenstein castra, que clare memorie . . dux Austrie tamquam inexpugnabilia ad tempora longa muniuit, curetis cum omni diligentia et sollicitudine, ita quod ad manus F. quondam imperatoris vel fautorum ipsius peruenire non valeant, custodire, mandatum nostrum in hac parte taliter impleturi, quod studium vestrum non immerito commendantes, teneamur vobis proinde ad merita gratiarum. Dt. Lugduni, V. Idus Octobris. Pontificatus nostri anno quinto.

Ex eodem Regesto — epist. 240.

CVI.

Idem Petro cardinali, apostolicae sedis legato, mandat, ut archiepiscopos et episcopos Friderico quondam imperatori adhaerentes Romam citet, nobiles vero censuris ecclesiasticis ab illo revocet. Dt. Lugduni, VII. Kalendas Novembris, **1247.**

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. P. sancti Georgii ad velum aureum diacono cardinali, Apostolice Sedis Legato, salutem et apostolicam benedictionem. Dolet et dolere debet ecclesia generalis, et nos cum ea, et pro ea dolemus plurimum et turbamur, cum audimus prelatos, qui persecutorum flammas, quibus exuritur ecclesia in presenti deberent extinguere, non solum nolle defensionis manum persecutionum ignibus adhibere, verum etiam quodammodo ignes accendere ignibus, eandem ecclesiam multipliciter persequendo. Cum enim . . Magdeburgensem archiepiscopum et . . Patauiensem ac . . Frisiensem episcopos velut nobilia

membra ecclesie adeo deberet comedere zelus eius, ut non possent opprobria illi exprobrantium et usurpantium iura eius equanimiter sustinere, iidem quod non absque amaritudine cordis accepimus, non solum non assistunt ipsi ecclesie eorum matri contra malitiam eam persequentium, ut deberent, opponendo se murum pro ea ascendentibus ex aduerso, sed etiam diuino timore ac humano pudore postpositis et pontificali grauitate neglecta, nec non et clauibus ecclesie damnabiliter vilipensis, Friderico quondam imperatori excommunicato et dei et ecclesie inimico prestant manifeste auxilium, consilium et fauorem, per quod dictam ecclesiam ut hostes publici persecuntur, eodem Magdeburgensi matrimonium inter ipsum F. et filiam .. ducis Saxonie procurante. Accepimus siquidem, quod .. Marchio Misnensis, .. Bawarie ac .. Saxonie duces et filia ipsius ducis Saxonie, nec non et nobiles de Austria et Stiria, et H. de Euurstein, qui pro ipsorum nobilium capitaneo nomine dicti F. se gerit, viri nobiles genere, sed suis peruersis artibus ignobilitantes se ipsos et in reprobum sensum dati, prefato F. contra deum et ipsam ecclesiam assistunt viriliter et potenter. Ideoque mandamus, quatenus predictos archiepiscopum et episcopos auctoritate nostra citans, prefigas eis terminum peremptorium competentem, quo personaliter ad presentiam nostram accedant pro meritis recepturi. Alias vero iam dictos nobiles, ut ab eodem F. penitus recedentes, non prestent ei auxilium, consilium et fauorem, ac ad unitatem sancte matris ecclesie reuertantur, monitione preuia per censuram ecclesiasticam appellatione remissa cogas, si videris expedire. Dat. Lugduni, VII. Kal. Nouembris. Pontificatus nostri anno V.

Ibidem — epist. 337.

CVII.

Bela .. Hungarie rex . . . ad sustentationem sororum beati Francisci in uilla *Tyrna* contulimus villam Baralad cum omnibus pertinentiis suis . . . quam nos a dilecta sorore nostra *Constantia, regina Bohemorum* illustri, comparauimus. . . . Datum anno Domini MCCXLVII. Idus Nouembris.

Fejér — ad annum.

CVIII.

Wjtek de Novadomo confert monasterio Zabrdowicensi duos laneos cum pomerio in Řjš (Reusch). Dt. Brunae, III. Idus Decembris, **1247.**

Nos Witigo de noua domo castellanus Olomucensis. Vniuersis hanc litteram inspecturis. presentibus et futuris. Ne ea que ad diuini nominis cultum ampliandum piis locis et personis Deo iugiter famulantibus liberalitate copiosa in eleemosine modum conferuntur tempore succedente malignante malorum dolo auferantur. necesse est ut scripture perhennitate et testium subscriptione roborentur. Hinc est quod hoc scripto et bona fide protestamur. quod nos Witigo ad leuamen inopie fratrum s. *Kunegundis de Zabirdouic* duos laneos et pomerium in uilla *Rush.* quos a nobili uiro Wilhalmo filio nobilis uiri Voluerami modo iusto et parata pecunia coemimus. cum omnibus suis attinentiis prefatis fratribus in perpetuum possidendos contulimus. In cvius nostre donationis euidentiam memoriam et cautelam presentem litteram sigilli nostri munimine fecimus insigniri. Actum in Brunna anno domini M. CC. XL. VII. III. idus decembris et datum presentibus viris nobilibus Milicio. Slauiborio. Cerhone. Chaztolao. Zvdemiro. Parduz. Lupoldo. Lamberto. Predbor. Voiteh. Ones filio bicen. et aliis fide dignis.

Ex originali monasterii Zabrdowicensis. — Sigillum avulsum.

CIX.

Přemysl, marchio Moraviae, confert monasterio Gradicensi in restaurationem post destructionem Tartarorum proventus in Hayčjn, et Uwalno (Lobenstein) in provincia Opaviensi. Actum in Wyškow, **1247.**

Premisl dei gratia marchio Morauie omnibus Christi fidelibus in perpetuum. Notum facimus quod nos attendentes *destructionem monasterii sancti Stephani secus Olomuc, tempore obsidionis prefate ciuitatis per atrocissimam Tartarorum gentem miserrime factam* eidem monasterio commiserantes prouentus nostros, qui e medietate ville *Haychin* ad idem spectantis monasterium et e villa *Vualno* in districtu Opauiensi sita ad cameram nostram

prouenire dinoscuntur in perpetuum possidendos assignauimus. In cuius rei testimonium et firmitatem presentem pagellam sigillo venerabilis patris Cuonradi, episcopi Olomucensis communiri curauimus. Actum in Wischow anno domini M. CC. XLVII.

E copia simplici in archivo ejusdem monasterii.

CX.

Alramus, judex Brunensis, attestatur, Joannem militem ultimo testamento villam Němčice monasterio Welehradensi legasse. Acta Brunae, 1247.

Ego Alramus iudex et ciuis Brunnensis omnibus presens scriptum inspecturis inperpetuum. Amen. Notum fieri cupimus presencium tenore presentibus et posteris, quod ego Alramus iudex et ciuis Brunnensis intereram ultimo testamento domini Iohannis militis beate memorie filii Bertheri, quod ante mortem suam condidit et inter alia, que testatus est, tale testamentum fecit domui et dominis *Welegradensibus*, videlicet, quod omnia bona que habet *in Nemscicz* iure ciuili sub solucione trium talentorum, que illis de hiis soluebat annis singulis tam in vinetis, agris, pratis, piscacionibus et vniuersis attinenciis post mortem ipsius iure perpetuo et vxoris sue absoluta et liberrima donacione contradidit possidenda, tali scilicet condita condicione: si eadem vxor sua contraheret cum viro aliquo, statim prefati domini Welegradenses sine omni obstaculo et contradiccione possessionem predictorum bonorum obtinerent libere ac pacifice pro remedio ipsius Iohannis et pro debito XXX marcarum et triginta talentorum, in quibus prefatus Iohannes iisdem dominis iam dudum fuerat obligatus, presente filia fratris et aliis amicis suis consencientibus et in nullo contradicentibus huius modi testamento. Et vt hoc salubre testamentum inconcussum et illibatum permaneat sigillo omnium decreuimus roborari. Acta sunt hec anno domini MCCXLVII in domo prefati in ciuitate Brunnensi coram me et aliis honestis viris, videlicet domino Friderico plebano de Ruochwan, Henrico Sweller, Petro auunculo Rubini, Francone, Petro filio Symonis, Brendelino filio Muolsaci, Henrico de Aldemarc, Siffrido dicto coler et aliis quam pluribus.

Codex Welehradensis sec. XV. fol. 39.

CXI.

Přemysl, marchio Moraviae, dotem ecclesiae b. Michaëlis Brunae, in qua nunc fratres ordinis Praedicatorum oratorium construxerunt, confirmat. Dl. Brunae, 1247.

In nomine domini amen. Ut nostris temporibus gesta immota permaneant, et ne de rebus decisis arbitrio, vel sententia aliqua iudiciali determinatis, iterum calumpnia possit exoriri, solent litterarum custodia mancipari. Notum igitur facimus vniuersis tam presentibus quam futuris, quod nos *Premisl*, dei gratia *marchio Morauie*, Wenceslai, inclyti regis quarti Boemie, filius, ad petitionem dilecti capellani nostri *Alberti de monte s. Petri in Brunna* tres laneos cum molendino et quosdam piscatores cum ipsorum attinentiis in *Zwitauia*, iuxta Brunnam sita, qui ad beneficium dapiferi pertinebant, quos etiam marchio felicis memorie, patruus noster *Premisl* in recompensationem ecclesie s. *Michaëlis*, filie ecclesie s. Petri de monte dicte eidem contulit, et beate memorie dominus Rubertus, Olomucensis episcopus suo priuilegio per sententiam excommunicationis roborauit, in qua nunc dilecti *fratres ordinis Predicatorum oratorium construxerunt*, damus eidem ecclesie et concedimus predicta bona, confirmamus libere possidenda. Ne quis autem successorum nostrorum hanc commutationem valeat infringere, presentem paginam conscribi, et sigilli nostri munimine fecimus roborari. Huius autem rei testes sunt: Witko de noua domo. Milic et Idik frater eius. Pardus camerarius. Cerh castellanus de Meidverk. Artleb et Ianec frater eius. Wilhelmus. Andreas camerarius, et Avus frater eius. Marquard de Cinnenwerk. Ulricus ciuis Brunnensis. Arlauus, ciuis eiusdem ciuitatis et Crucis burgensis (?) magister monete. Acta sunt hec anno domini MCCXLVII. Datum in Brunna per manus Prisnoborii curie nostre notarii.

E copia simplici monasterii quondam Praedicatorum Brunae. — In apographo in Pessinae Marte Moravico — tom. II. MS. — annus MCCXXXIX. erronee scribitur.

CXII.

Innocentius papa IV. Petrum cardinalem, apostolicae sedis legatum, operam dare jubet, ut Gertrudis ducissa Austriae, *vidua Wladislai, marchionis Moraviae,* matrimonium contrahat cum tali viro, qui et ea sit aptus et ecclesiae Romanae devotus. Dt. Lugduni, XII. Kal. Februarii, 1248.

Palacky — Reise p. 32. — e Regesto Innocentii epist. 524.

CXIII.

Idem episcopo Olomucensi, ut auxilio adsit ducissae Austriae, et loca ducatus ejus, quorum habitatores se Friderico quondam imperatori contra ecclesiam juramento adstrinxerunt, interdicto supponat, mandat. Dt. Lugduni, X. Kal. Februarii, 1248.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. Venerabili fratri . . episcopo *Omolucensi* (sic) salutem et apostolicam benedictionem. Cum sicut accepimus dilecta in Christo filia nobilis mulier . . Ducissa Austrie zelo fidei et deuotionis accensa et feminee cogitationi masculinum animum inserens, inimicis ecclesie opponere se intendat, Fraternitatem tuam rogamus, monemus et hortamur attente mandantes, quatenus et in hoc ei ac in iure suo exhibeas te fauorabilem et assistas viriliter et potenter; ad hec volumus et mandamus, ut loca ducatus Austrie, quorum habitatores se Fr. quondam imperatori contra ecclesiam iuramenti vinculo astrinxerunt, supponas ecclesiastico interdicto, contra ipsos habitatores alias tam spiritualiter quam temporaliter processurus. Dat. Lugduni, X. Kal. Februarii. Pontificatus nostri anno quinto.

E Regesto Innocentii IV. anni V. epist. 526. — in tabulariis Vaticanis.

CXIV.

Idem — praeposito et capitulo Neuburgensi mandat, ne faciant permutationem de castro suo „Obalenberch" munitissimo, ad quod Gertrudis, ducissa Austriae, sese receperat. Dt. Lugduni, X. Kalendas Februarii, 1248.

Palacky — Reise p. 32. ex eodem Regesto, epist. 527.

CXV.

Idem — Petro cardinali, apostolicae sedis legato, mandat, ut compellat fratres domus Teutonicorum in Austria ad reddenda Gertrudi, ducissae Austriae, castra, thesaurum et alia bona eidem a patruo ejus, quondam duce Austriae, concessa. Dt. Lugduni, V. Kalendas Februarii, 1248.

Ibidem — epist. 523.

CXVI.

Idem regem Boëmiae hortatur, ut Gertrudem, ducissam Austriae, contra hostes adjuvet. Dt. Lugduni, V. Kal. Februarii, 1248.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. Carissimo in Christo filio nostro . . illustri regi Bohemie salutem et apostolicam benedictionem. Cum sicut accepimus, dilecta in Christo filia G. nobilis mulier ducissa Austrie zelo fidei et deuotionis accensa inimicis ecclesie opponere se intendat, serenitatem regiam rogamus, monemus, et hortamur attente, quatenus dictam nobilem habens pro nostra et apostolice sedis reuerentia propensius commendatam, eidem necessitatis tempore, cum ab ea requisitus fueris tam in iure suo, quam contra ipsos inimicos assistas, ita quod ipsa preces nostras sibi apud te sentiat profuisse, nosque sinceritatis tue zelum merito commendemus. Datum Lugduni, V. Kalendas Februarii. Pontificatus nostri anno quinto.

Dobner — in Annalium Tomo VII. MSS.

CXVII.

Conradus, episcopus quondam Olomucensis, monasterio Welehradensi contulit de praedio suo, quod ipsi rex Boemorum junior Přemysl dedit, nemus „Zwerchin" (Swrčjn) situm inter Břest et Žálkowice. Acta V. Kalendas Martii, 1248.

Chvnradus dei gracia episcopus uniuersis hanc paginam inspecturis. salutem in omnium saluatore. Cum gesta priorum ex defluxu temporis.

posterioribus obliuionem generent. eo quod omnibus Ade filiis. ineuitabilis moriendi indicta sit necessitas. pia subsidia fidelium que in abolicionem suorum peccaminum ecclesiis conferunt necesse est annotari litteris. sigillis quoque et testibus confirmari. Nouerint igitur tam presentes quam futuri quod nos Chvnradus Episcopus de predio quod nobis inclitus *iunior Bohemorum Rex contulit. Primizel* nomine. ecclesie Welgradensi contulimus iure pleno et perpetuo. uidelicet nemus *Zwerchin* quod situm est inter *Priezl* et *Svkowiz*. Hanc nostram donacionem. sigilli nostri roborantes munimine et testimonio. testium subscriptorum. Zvdomirus camerarius prouincie Breschizlauiensis. Stephanus filius Nycolay cognomento. Ban. Andreas de Chwaschiz. Petrus uillicus prouincie Olomuncensis. Martiasch filius Petri. Chislinch uillicus in Hvlin. Waltherus. Ienich. Herwicus et alii quam plures. Acta sunt hec anno domini M. CC. XLVIII. V. Kal. Marcii.

Ex originali in archivo ejusdem monasterii. — Item in codice Welehrad. MS. fol. 61.

CXVIII.

Philippus, archiepiscopus Salisburgensis, sedis apostolicae legatus, monasterio Cellae s. Mariae Brunae indulgentias elargitur. Dl. Brunae, XVI. Kal. Aprilis, 1248.

Phylippus dei gratia ecclesie Salzburgensis Electus, apostolice sedis legatus. Vniuersis Christi fidelibus, ad quos hec littera peruenerit, salutem in salutis et gratie largitore. Quoniam, ut ait apostolus, omnes astabimus ante tribunal Christi, recepturi, prout in corpore gessimus, siue bonum fuerit, siue malum, oportet nos diem messionis extreme misericordie operibus preuenire, ac eternorum intuitu seminare in terris, quod reddente domino cum multiplicato fructu recolligere debeamus in celis, firmam spem fiduciamque tenentes, quoniam, qui parce seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet uitam eternam. Cum igitur claustrum dominarum ad *Cellam sancte Marie infra muros in Brunna* pauper sit in redditibus, nec ad sustentationem earum ibidem

domino iugiter famulantium proprie suppetant facultates, uniuersitatem uestram rogamus, monemus in domino attentius et hortamur, in remissionem uobis peccaminum iniungentes, quatenus de bonis vobis a deo collatis, pias elemosinas et grata eis caritatis subsidia erogetis, ut per uestram subuentionem adiute iugibus ibidem ualeant orationibus insudare, et uos illarum participes fieri mereamini apud deum, et per hec et alia bona, que domino inspirante feceritis, post huius mundi transitum ad eterne possitis felicitatis gaudia peruenire. Nos itaque de omnipotentis dei misericordia et beatorum Ruodberti et Virgilii patronorum nostrorum auctoritate confisi, omnibus uere penitentibus et confessis, qui predictis sanctimonialibus manum porrexerint caritatis, viginti dies criminalium et decem dies venialium de iniuncta sibi penitentia misericorditer relaxamus. Datum in Brunna anno domini Millesimo ducentesimo XL octauo. XVI. Kalendas Aprilis.

E transumto Brunonis episcopi absque anno in archivo S. J. Brunensis.

CXIX.

Ulricus, Secoviensis episcopus, eidem monasterio indulgentias decem annorum elargitur *(literae cum praecedenti conformes, omissis solummodo verbis*: — et beatorum Ruodberti et Virgilii patronorum nostrorum —). Dt. in Brunna, XVI. Kalendas Aprilis, 1248.

Ex eodem transumto.

CXX.

Philippus, archiepiscopus Salisburgensis, sedis apostolicae legatus, domui fratrum Praedicatorum Brunae noviter fundatae indulgentias elargitur. Dt. Brunae, 1248.

Philippus dei gratia ecclesie Salzburgensis episcopus et apostolice sedis legatus. Uniuersis Christi fidelibus ad quos hec littera peruenerit salutem in eo, qui est vera salus. Quoniam, ut ait apostolus omnes astabimus ante tribunal Christi, recepturi, prout gessimus in corpore siue bonum fuerit siue malum, oportet nos diem messionis extreme misericordie operibus

preuenire, ac eternorum intuitu seminare in terris quod reddente domino cum multiplicato fructu colligere debeamus in celis firmam spem fiduciamque tenentes, quoniam, qui parce seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet vitam eternam. Cum ergo *domus fratrum ordinis predicatorum apud Brunam nouiter sit fundata*, nec absque fidelium adiutorio, presertim cum ipsis fratribus proprie facultates non suppetant, valeat consummari: uniuersitatem vestram rogamus, monemus in domino attentius et hortamur, in remissionem vestrorum peccaminum iniungentes, quatenus de bonis vobis a deo collatis in eiusdem domus subsidium studeatis pias charitatis eleemosinas erogare, ut per hec et alia bona, que domino feceritis inspirante in eterna recipiamini tabernacula messuri centuplum et vitam perpetuam possessuri. Hoc etiam attendentes, quod particeps bonorum efficitur, qui se pii operis statuit adiutorem, de omnipotentis dei clementia et sanctorum Ruberti et Virgilii patronorum nostrorum auctoritate confisi omnibus, qui de suis facultatibus prefate domui aliquod impenderint subsidium charitatis, si vere contriti fuerint et confessi, viginti dies criminalium, et decem venialium de iniuncta sibi penitentia misericorditer relaxamus. Datum Brune anno domini M. CC. XLVIII.

Ex analectis MSS. monasterii Rayhradensis.

CXXI.

Innocentius papa IV. Ratisponensi et Misnensi episcopis mandat, ut barones et nobiles Boëmiae, qui contra regem suum assistere praesumant Friderico quondam imperatori, ad obsequium regis sui et ecclesiae reducere studeant.

Dt. Lugduni, III. Nonas Maji, 1248.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. Venerabilibus fratribus . . Ratisponensi et . . Misnensi episcopis salutem et apostolicam benedictionem. Significante carissimo in Christo filio nostro . . illustri Rege *Boemie* nobis innotuit, quod cum ipse pro deuotionis feruore ac fidei puritate, quam ad nos et Rom. ecclesiam habere dinoscitur, F. quondam imperatori eiusque fautoribus se potenter opposuerit et opponat pro defendenda ecclesiastica libertate, at nonnulli barones et nobiles regni sui, qui contra eundem F. aliosque inimicos ecclesie receperant signum crucis in

reprobum sensum dati, sicut canes ad vomitum redeuntes, dicto F. eiusque sequacibus prestare presumunt in proprie salutis dispendium, consilium, auxilium et fauorem: mandamus quatenus barones et nobiles supradictos, quod eiusdem F. relicta perfidia ad gremium matris ecclesie reuertentes, eisdem ecclesie ac regi potenter ac patenter assistant, monere diligentius ac inducere procuretis. Quod si forte monitis vestris non acquieuerint in hac parte, idque propter metum regis eiusdem se forte asserant non audere, ad huiusmodi occasionis materiam amputandam, tam a rege predicto, quod in personis vel rebus ipsos aliquatenus non offendat, quam etiam ab eis, quod premissa obseruent, iuratoria et fideiussoria cautione receptis, ipsos auctoritate nostra ab excommunicationis sententia, quam propter hoc incurrisse noscuntur, iuxta formam ecclesie absoluatis. Alioquin eos excommunicatos publice nuntietis ac faciatis ab omnibus artius euitari, supponentes terras eorum ecclesiastico interdicto, ita ut preter paruulorum baptismata et penitentias morientium nullum in eis penitus diuinum officium celebretur aut exhibeatur ecclesiasticum sacramentum, ad hoc, si necesse fuerit inuocato auxilio brachii secularis. Contradictores auctoritate nostra appellatione postposita compescendo. Dat. Lugduni, III. nonas Maii. Pontificatus nostri anno quinto.

E Regesto Innocentii IV. anni V. epist. 814. in tabulariis Vaticanis.

CXXII.

Idem sorores monasterii Cellae s. Mariae Brunae curae magistri et prioris fratrum Praedicatorum committit. Dt. Lugduni, III. Idus Julii, 1248.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. Dilectis in Christo filiabus . . Priorisse et Conuentui monasterii *de Cella sancte Marie in Brunna* ordinis sancti Augustini. Olomucensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Apostolice sedis benignitas prudentes uirgines que se parant accensis lampadibus obuiam sponso ire. tanto propensiori debet studio prosequi caritatis. quanto maiori propter fragilitatem sexus indigere suffragio dinoscuntur. Cum igitur. sicut ex parte uestra fuit propositum coram nobis uos incluse corpore. in castis claustralibus mente tamen libera

deuote domino famulantes. de institutionibus fratrum ordinis predicatorum illas que uobis competunt. hactenus laudabiliter duxeritis obseruandas. ac committi . . . Magistro et . . Priori Boemie. ipsius ordinis affectetis. nos pium uestrum propositum in domino commendantes. deuotionis uestre precibus inclinati. uos et monasterium uestrum. auctoritate presentium Magistro et Priori committimus supradictis. eadem auctoritate nichilominus statuentes. ut sub magistrio et doctrina Magistri et Prioris Prouincialis Boemie. qui pro tempore fuerit decetero maneatis. illis gaudentes priuilegiis. que ordini predicto concessa sunt. uel in posterum concedentur. ipsique Magister et Prior contraria consuetudine ipsius ordinis uel indulgentia ab apostolica sede obtenta. uel etiam obtinenda. nequaquam obstantibus animarum sollicitudinem gerentes et curam. ac uobis de constitutionibus eiusdem ordinis. illas que uobis competunt. sine difficultate qualibet exhibentes eidem Monasterio per se uel alios fratres sui ordinis. quos ad hoc idoneos uiderint quotiens expediret officium uisitationis impendant. corrigendo et reformando ibidem tam in capite quam in membris. que correctionis et reformationis officio nouerint indigere. nichilominus instituant et destituant. mutent et ordinent. prout in aliis Monasteriis Monialium eiusdem ordinis fieri consueuit. Electio tamen Priorisse libere pertineat ad conuentum. confessiones uestras audiant. et ministrent uobis ecclesiastica sacramenta. Et ne pro eo quod in Monasterio uestro ipsi ordinis fratres residere continue non tenentur. pro defectu sacerdotis possit periculum imminere. predicti Magister et Prior. ad confessiones in necessitatis articulo audiendas et ministranda sacramenta predicta. uobis deputent aliquos discretos et prouidos capellanos. Ad hoc liceat uobis redditus et possessiones recipere. ac ea libere retinere. Non obstante contraria consuetudine uel statuto ipsius ordinis confirmatione sedis apostolice aut quacumque firmitate alia roborare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam concessionis et constitutionis infringere uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit. indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Lugduni III. Idus Iulii. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Ex originali archivi S. J. Brunensis. — In apographo Regesto Innocentii IV. epistola 30. in tabulariis Vaticanis bulla haec sub Idus Julii data reperitur. —

CXXIII.

Idem magistro et priori provinciali Boëmiae, ordinis fratrum Praedicatorum, notum facit, easdem sorores curae ordinis ipsius esse commissas. Dt. Lugduni, Idibus Julii, 1248.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis . . magistro et priori prouinciali *Boemie* ordinis fratrum Predicatorum salutem et apostolicam benedictionem. Apostolice sedis benignitas prudentes virgines, que se parant accensis lampadibus obuiam sponso, tanto propensiori debet studio prosequi caritatis, quanto maiori propter fragilitatem sexus indigere suffragio dinoscuntur. Cum igitur, sicut ex parte dilecte in Christo filie priorisse et conuentus monasterii de *Cella S. Marie in Brunna* ordinis S. Augustini Olomucensis diocesis fuit propositum coram nobis, eedem incluse corpore in claustralibus castris, mente tamen libera deuote domino famulantes, de institutionibus fratrum Predicatorum illas, que vobis competunt, hactenus laudabiliter obseruarint et committi vobis affectent: nos pium earum propositum in domino commendantes, ipsarum deuotionis precibus inclinati, eas et idem monasterium vobis auctoritate apostolica duximus committenda; eadem auctoritate nihilominus statuentes . . . *(etc. ut in praecedente bulla verbis competenter mutatis, usque . . .)* roborato. Quocirca mandamus, quatenus omnia premissa ad ministerium vestrum spectantia curetis diligenter et sollicite iuxta commissionis et constitutionis nostre tenorem, sublato cuiuslibet difficultatis dispendio adimplere. Dat. Lugduni, idus Iulii. Pontificatus nostri anno sexto.

Ex apographo Regesto Innocentii IV. anni VI. epist. 31. fol. 6. in tabulariis Vaticanis.

CXXIV.

Idem jura et possessiones monasterii Cellae s. Mariae Brunae confirmat. Dt. Lugduni, VII. Idus Augusti, 1248.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. Dilectis in Christo filiabus . . Priorisse *de cella sancte Marie in Brunna* eiusque sororibus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis inperpetuum.

Religiosam uitam eligentibus apostolicum conuenit adesse presidium ne forte cuiuslibet temeritatis incursus aut eas a proposito reuocet. aut robur quod absit sacre religionis eneruet. Eapropter dilecte in Christo filie uestris iustis postulationibus clementer annuimus et ecclesiam *de cella sancte Marie in Brunna* Olomucensis diocesis in qua diuino estis obsequio mancipate. sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti priuilegio communimus. In primis siquidem statuentes. ut ordo canonicus qui secundum deum et beati Augustini regulam in eadem ecclesia institutus esse dinoscitur perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur. Preterea quascunque possessiones quecunque bona eadem ecclesia impresentiarum iuste ac canonice possidet aut in futurum concessione pontificum. largitione regum uel principum. oblatione fidelium seu aliis iustis modis prestante domino poterit adipisci firma uobis et eis que uobis successerint et illibata permaneant. In quibus hoc propriis duximus exprimendi (sic) uocabulis. Locum ipsum in quo prefata ecclesia sita est cum omnibus pertinentiis suis. Grangias quas habetis in de *Chungesuelt* et de *Telniz* villis cum omnibus pertinentiis earundem. Grangiam domos. ortos. uineas. redditus et molendinum que habetis in villa que dicitur *Brunna*. vineas quas habetis in de *Puzramis* et de *Vzpersch*. villis. terras et domos. quas habetis in villa que dicitur *Monisi*. nec non et alias possessiones uestras cum terris pratis uineis. nemoribus. usuagiis et pascuis. in bosco et plano. in aquis et molendinis. in viis et semitis. et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis. Sane noualium uestrorum que propriis sumptibus colitis. de quibus aliquis hactenus non percepit. siue de uestrorum animalium nutrimentis. nullus a uobis decimas exigere uel extorquere presumat. Liceat quoque uobis personas liberas et absolutas e seculo fugientes ad conuersionem recipere. et eas absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli sororum uestrarum post factam in ecclesia uestra professionem fas sit sine Priorisse sue licentia. nisi artioris religionis obtentu de eodem loco discedere. Discedentem uero absque communium litterarum nostrarum cautione. nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terre fuerit liceat uobis clausis ianuis exclusis excommunicatis et interdictis non pulsatis campanis uoce suppressa diuina officia celebrare. dummodo causam non dederitis interdicto. Crisma uero. oleum sanctum.

consecrationes altarium seu basilicarum. benedictiones canonicarum a diocesano suscipietis Episcopo. siquidem catholicus fuerit. et gratiam et communionem sacrosancte Romane sedis habuerit et ea uobis uoluerit sine prauitate aliqua exhibere. Prohibemus insuper ut infra fines parrochie uestre nullus sine assensu diocesani Episcopi et uestro capellam seu oratorium de nouo construere audeat saluis priuilegiis Pontificum Romanorum. Ad hec nouas et indebitas exactiones ab Archiepiscopis et Episcopis. Archidiaconis seu Decanis aliisque omnibus ecclesiasticis secularibusue personis a uobis omnino fieri prohibemus. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus ut eorum deuotioni et extreme uoluntati qui se illic sepeliri deliberauerint. nisi forte excommunicati uel interdicti sint. aut etiam publice usurarii. nullus obsistat. salua tamen iusticia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Decimas preterea et possessiones ad ius ecclesiarum uestrarum spectantes que a laicis detinentur. redimendi et legitime liberandi de manibus eorum. et ad ecclesias ad quas pertinent reuocandi. libera sit uobis de nostra auctoritate facultas. Obeunte uero te nunc eiusdem loci Priorissa uel earum aliqua que tibi successerit. nulla ibi qualibet surreptionis astutia seu uiolentia preponatur nisi quam sorores communi consensu uel sororum maior pars consilii sanioris secundum deum et beati augustini regulam prouiderint eligendam. Paci quoque et tranquillitati uestre paterna in posterum sollicitudine prouidere uolentes. auctoritate apostolica prohibemus. ut infra clausuras locorum seu grangiarum uestrorum nullus rapinam seu furtum facere. ignem apponere. sanguinem fundere. hominem temere capere uel interficere. seu uiolentiam audeat exercere. Preterea omnes libertates et immunitates a predecessoribus nostris Romanis Pontificibus ecclesie uestre concessas. nec non libertates et exemptiones secularium exactionum a Regibus et Principibus uel aliis fidelibus rationabiliter uobis indultas auctoritate apostolica confirmamus. et presentis scripti priuilegio communimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prefatam ecclesiam temere perturbare aut eius possessiones auferre. uel ablatas retinere minuere seu quibuslibet uexationibus fatigare. sed omnia integra conseruentur earum pro quarum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. salua sedis apostolice auctoritate et diocesani Episcopi canonica iustitia.

Siqua igitur in futurum ecclesiastica secularisue persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere uenire temptauerit secundo tertioue commonita nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit. potestatis honorisque sui careat dignitate. reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat. et a sacratissimo corpore ac sanguine dei et domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat. atque in extremo examine districte subiaceat ultioni. Cunctis autem loco sua iura seruantibus. sit pax domini nostri Iesu Christi. quatinus et hic bone actionis percipiant et apud districtum iudicem premia eterne pacis inueniant Amen Amen Amen. Ego Innocentius. catholice ecclesie Episcopus. Ego Petrus tituli sancti Marcelli. presbyter cardinalis. Ego Willelmus Basilice duodecim Apostolorum presbyter cardinalis. Ego frater Iohannes sancti Laurentii in Lucina presbyter Cardinalis. Ego Iohannes. sancti Nicolai in carcere Tullian. Diaconus Cardinalis. Datum Lugduni per manum Magistri Marini sancte Romane Ecclesie Vicecancellarii. VII. Idus Augusti. Indictione VI. Incarnationis dominice Anno M. CC. XLVIII. Pontificatus vero domini Innocentii pape IIII. anno sexto.

Ex originali in archivo S. J. Brunensis.

CXXV.

Decisio litis inter monasterium Lucense et fratres hospitalis s. Joannis in Kaunice de decimis in Rakwice. Act. Znoymae in octava nativ. B. M. V. 1248.

H. dei miseratione dictus abbas *Lucensis* et Frater C. commendator de *Hosnewiz*. vniuersis Christi fidelibus ad quos littere presentes peruenerint salutem in omnium salutari. Presentium tenore tam presentibus quam futuris declaramus quod questio super decimis in *Rachuwiz* inter ecclesiam Lucensem respectu parrochie in *Scrilluwiz* ex una. et fratres *hospitalis de Cuniz* ex altera parte iam dudum uentilata. in hunc modum per amicabiles arbitros viros relligiosos et fide dignos uidelicet. Hermannum prepositum de Grus. fratrem Conradum de Brvnna. et fratrem Egidium ordinis fratrum minorum. ac de Hospitali fratrem Nicolaum sacerdotem

et fratrem Ortulfum laycum finaliter est decisa. quod ecclesia Lucensis respectu parrochie in Scrilluwicz singulis annis predialium decimarum. que maiores uocantur medietatem. et decimas que minores dicuntur ex integro sine omni contradictione quiete ac pacifice percipiat in futurum. Acta sunt hec anno domini M. CC. XL. VIII. in Octaua natiuitatis Beate virginis in Ecclesia Sancti Nicolai in Znoym coram testibus quorum hec sunt nomina. Wipertus prepositus Sancti Ypoliti. Hermannus prepositus de Grus. Gerardus prior Lucensis. Rodlo Cvllerarius. Olricus vicarius in Znoym. Hermannus Scolasticus ibidem. Frater Conradus de Brunna et frater Egidius ordinis fratrum minorum. frater Nicolaus Sacerdos. et frater Ortulfus laycus de hospitali. Vt autem hec compositio rata sit et firma presens scriptum sigillis nostris et Hermanni prepositi de Grus ac fratris Conradi de Brunna ordinis fratrum minorum duximus roborandum.

Ex originali in archivo monasterii Lucensis.

CXXVI.

Innocentius papa IV. confirmat Hermanno, marchioni Badensi, donatum sibi inter vivos a Gertrude ducissa ducatum Austriae. Dt. Lugduni, XVIII. Kalendis Octobris, 1248.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. Nobili viro Hermanno marchioni de Baden. Illa, quam ad apostolicam sedis habes, deuotio promeretur, ut tuis petitionibus eo fauorabilius annuamus, quo plenius iustitie sapiunt debitum, et equitatem iuri consonam noscuntur apertius continere. Hinc est, quod nos deuotionis tue precibus inclinati ducatum siue principatum Austrie cum omni honore, districtu et iure ipsius tibi donatum rite ac liberaliter inter viuos a nobili muliere *G.(ertrude) ducissa Austrie*, uxore tua, ad quam idem ducatus per successionem hereditariam secundum antiquam et approbatam ipsius terre consuetudinem, nec non per summos pontifices, imperatores et reges Romanorum, ut asseris, confirmatam, dicitur legitime deuolutus, auctoritate tibi apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostre confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attemptauerit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Lugduni, XVIII. Kalendas Octobris. Pontificatus nostri anno sexto.

Dobner — Annales T. VII. MSS. — In Regesto Innocentii IV. epist. 141.

CXXVII.

Idem sententiam episcopi Olomucensis in lite monasterii Tišnowicensis et fratrum domus Teutonicorum in Nowosedlice (Austerlitz) latam, confirmari vel infirmari mandat. Dt. Lugduni, Kalendis Octobris, 1248.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei dilectis filiis preposito Bartholomeo archidiacono et magistro Marcohardo canonico ecclesie Olomucensis salutem et apostolicam benedictionem. Sua nobis Abbatissa et conuentus monasterii de *porta celi* Cisterciensis ordinis petitione monstrarunt. quod cum inter ipsas ex parte una et magistrum ac fratres domus sancte Marie Theotonicorum *de Nowzeliz* Olomucensis diocesis ex parte altera super quibusdam decimis et rebus aliis coram venerabili fratre nostro Olomucensi episcopo auctoritate ordinaria questio uerteretur idem episcopus in causa procedens iniquam tulit diffinitiuam sententiam contra eas a qua eedem ad nostram audientiam appellarunt. Ideoque discretioni uestre per apostolica scripta mandamus quatinus in appellationis causa legitime procedentes sententiam ipsam confirmare uel infirmare appellatione remota curetis sicut de iure fuerit faciendum. Quodsi non omnes hiis exequendis potueritis interesse duo uestrum ea nichilominus exequantur. Dat. Lugduni Kalendis Octobris Pontificatus nostri anno sexto.

Ex originali monasterii Tišnowicensis.

CXXVIII.

Wenceslaus, rex Boëmiae, Brunoni, episcopo Olomucensi, indulget, ut decimas per totam Olomucensem dioecesim accipiat et exigat. Acta Brunae, III. Idus Decembris, 1248.

Wencezlaus, dei gratia quartus Boemorum Rex. Dilecto fideli suo, uenerabili in Christo patri *Brunoni, Olomucensi episcopo,* eiusque succes-

soribus in perpetuum. Ad promerendam eterne vite beatitudinem tanto debent regnorum rectores et prouinciarum principes studiosius anhelare, quanto in terris a Rege Regum eterno pre ceteris sunt temporalibus diuitiis prediti, et excellentioris potentie tytulis insigniti; quia, dum a suo creatore, quam habent potentiam, deuote recognoscunt, sua felicitius altissimi virtute Regni possident gubernacula, et ad regni celestis gloriam diuina suffulti clementia possunt facilitius peruenire. Inter huiusmodi sane nostrarum considerationum curas, quibus semper altissimo creatori nostro placere proponimus pietatis operibus, prout ipsius misericordia nobis promittit, altiori mente reuoluimus, qualiter ecclesias diuino cultui deputatas, et uiros ecclesiasticos, qui in ipsis ecclesiis Christi sanguine libertate donatis uelut splendor fulgent firmamenti beneficiorum nostrorum munificentiis honoremus, ut tempore messionis extreme cum multiplicato fructu recolligamus in celis. quod in terris pie deuotionis affectu ob eterni regis reuerentiam seminamus. Sane et si catholicus quilibet vniuersa legis precepta diligenter attendere debeat, multo fortius hoc facere tenentur principes, qui in se ipsis debent ostendere, qualiter eorum subditi in oculis possint diuine maiestatis complacere, et sic per bona transire temporalia, vt eterne glorie fructu non priuentur. Cum igitur diuine legis sit preceptum: Honora deum de tua substantia, quod de solutione decimarum fore dictum euidenter intelligit, qui prudenter attendit. Dominus enim ac redemptor noster, qui suis vniuersa misericorditer tribuit creaturis, sibi decimas in signum vniuersalis dominii reseruauit, quas per totum orbem terrarum in suorum personis seruitorum a populo sine contradictione qualibet recipit christiano. Sunt enim decime tributa egentium animarum et subsidia extollentium organa diuine laudis, quas qui clericis, immo uerius ipsi deo subtrahit, uel soluere contradicit, sacrilegium euidenter incurrit, et improbum furti crimen non euadit, quia rem contractat alienam inuito domino dominorum. Nos igitur, qui ex suscepte dignitatis officio vniuersis ecclesiis, in districtu domini nostri constitutis, debitam seruare tenemur libertatem, et nostros a sceleratis actibus subditos cohibere, uobis et successoribus uestris imperpetuum ius Olomucensis ecclesie ac omnium aliarum declarando, per presentes litteras indulgemus, ut *per totam dyocesim Olomucensem* decimas secundum formam canonum recipiatis et exigatis ex integro, inuocato ad hoc, si necesse

fuerit, auxilio nostre potestatis, quam ex nunc uobis et successoribus uestris per nos et heredes ac successores nostros dare in fide, qua deo tenemur, promittimus, quotiescumque fuerimus requisiti, non obstante praua et peruersa consuetudine Morauorum, qua se dicunt ad solutionem decimarum non teneri, quia longo tempore non soluerunt, non attendentes, quod talis consuetudo est peruersa corruptela, quia christiani nomen et signum christianitatis abolet, nec temporis in delictis prodest diuturnitas, quia tanto grauiora sunt crimina, quanto diutius infelices animas detinent alligatas. Hanc autem nostre concessionis et declarationis seriem, inspectis uestre deuotionis seruitiis, que nobis et corone nostre nec non sancte Romane ecclesie in persona nostra incessanter exhibetis, ut de rebus penitus taceatur, uite uestre pro nobis non parcentes, volumus et petimus ad euidentiorem cautelam per sedem apostolicam confirmari. Acta sunt hec in Brunna, presentibus hiis testibus: Alberto preposito sancti Petri in Brunna. Erkenberto, burcrauio de Starkenberch. Borsone marscalco nostro. Ieros pincerna nostro. Ieros et Hugone fratribus de Waldenberch. Hirzone coquine nostre magistro, et aliis quam pluribus. Datum per manum magistri Dyonisi Wissegradensis prepositi, regni nostri cancellarii. Anno domini M. CC. XL. VIII. III. Idus Decembris. Indictione secunda.

E codicibus MSS. Cremsiriensi C. V. et Olomucensi I. membr. fol. 59.

CXXIX.

Idem donat eidem episcopo jus patronatus et jurisdictionem temporalem in monasterio Rayhrad. Acta Brunae, III. Idus Decembris, 1248.

Wencezlaus, dei gracia quartus Boemorum rex. Dilecto fideli suo, uenerabili in Christo patri *Brunoni, episcopo Olomucensi,* eiusque successoribus in perpetuum. Inter ceteras et preclaras uirtutum sedes non immerito locum sibi munificentia vendicat specialem, que, licet munificum quemlibet faciat uirtuosum, clariori tamen luce refulget in principe, dum, quanto sublimius habitat, tanto prolixius radios sue claritatis extendit. Habet in se preterea regalis munificentia quoddam speciale, quia de dantis aceruo non minuit, nec largientis emolimenta debilitat; sed cum aliquos

beneficiis sibi reddit obnoxios, regnantium erigit solia, firmat imperia, nec minus egregie thezaurizat. Inter huiusmodi sane nostrarum considerationum curas, quibus semper viris venerabilibus et discretis serenitatis nostre dominium, tamquam columpnis fulcire proponimus inmobilibus, altiori mente reuoluimus, qualiter vos et alios viros litteratos, nobiles et discretos ad nostre serenitatis seruitia promptos semper habere possumus et paratos, quod nusquam facilius efficere possumus, quam si nostris ipsos serenitate regii vultus precedente beneficiis preuenimus. Nos igitur fidelitatis uestre deuotionem, quam erga nostram personam incessanter geritis, iuxta nobilitatem, qua nos exaltauit alti gloria sanguinis, prout nobis et quam pluribus plenius constat mundi principibus, studiosius attendentes, liberalitate regia uobis et episcopatui Olomucensi donamus, conferimus, damus et tradimus *ius patronatus et omnem iurisdictionem temporalem, quam habemus in monasterio et uilla de Raygrad,* in perpetuum pleno iure ita, quod nulli vnquam supanorum uel alicui hominum, quocunque nomine censeatur, liceat in prefato monasterio uel eius bonis hospitari, uel aliquid aliud contra iustitiam agere absque nostra licentia speciali. Ut autem hec nostra donatio firmitatem obtineat pleniorem, hanc nostre celsitudinis paginam super eo conscribi, et sigillorum nostrorum appensionibus iussimus roborari. Acta sunt hec in Brunna presentibus testibus: Alberto preposito s. Petri in Brunna. Erkenberto burcrauio de Starkenberch. Borschone marschalco nostro. Geros pincerna nostro. Hugone et Geros fratribus de Waldenberk. Hyrzone coquine nostre magistro, et aliis quam pluribus. Datum per manum magistri Dyonisii Wissegradensis prepositi, regni nostri cancellarii. Anno domini millesimo ducentesimo XLVIII. Tertio Idus Decembris. Indictione secunda.

E codice Cremsiriensi B. VIII. — Originale ipsum Cremsirii servatur.

CXXX.

Idem eidem episcopo theloneum in Wyškow concedit. Acta Brunae, III. Idus Decembris, 1248.

Wencezlaus dei gratia quartus Bohemorum rex dilecto fideli suo venerabili in Christo patri *Brunoni Olomucensi episcopo.* eiusque succes-

soribus in perpetuum. Cum licitum sit cuilibet catholico principi. rem immobilem ecclesie. cum alia meliore uel simili permutare. iure permittente Nos damus et tradimus. uobis et successoribus uestris titulo permutationis in perpetuum iure proprii theloneum in *Wisschowe* pro quadam parte ciuitatis Olomucensis. que ad ius et proprietatem episcopatus Olomucensis pertinebat. presentes uobis ad rei memoriam sempiternam litteras concedendo. Acta sunt hec in Brunna presentibus his testibus. Alberto preposito sancti Petri in Brunna. Eckenberto burcrauio de Starkenbuorch. Bursone marscalco nostro. Ieros pincerna nostro. Ieros et Hugone de Waldenberch. Hirzone coquine nostre magistro et aliis quam pluribus. Datum per manum magistri Dyonisii Wissegradensis prepositi. Regni nostri cancellarii. Anno domini millesimo ducentesimo XLVIII. III. Idus Decembris. Indictione secunda.

Ex originali in archivo Cremsiriensi. — Item in codice Olomucensi. I. membr. fol. 31.

CXXXI.

Idem concedit eidem episcopo, ut forum rerum venalium, quod est in Mėnjn (Mönitz), reducatur ex nunc in villam ejus Začany. Acta Brunae, III. Idus Decembris, 1248.

Wencezlaus dei gracia quartus Boemorum Rex dilecto fideli suo venerabili in Christo patri *Brunoni Olomucensi episcopo.* eiusque successoribus inperpetuum. Inter ceteras et preclaras uirtutum sedes non inmerito locum sibi munificentia uendicat specialem. que licet munificum quemlibet faciat uirtuosum. clariori tamen luce refulget in principe dum quanto sublimius habitat. tanto prolixius radios sue claritatis extendit. Habet in se preterea regalis munificencia quoddam speciale. quia de dantis aceruo non minuit. nec largientis emolumenta debilitat. sed cum aliquos beneficiis sibi reddit obnoxios. regnantium erigit solia firmat imperia nec minus egregie thezaurizat. Inter huiusmodi sane nostrarum considerationum curas quibus semper uiris uenerabilibus et discretis serenitatis nostre dominium tamquam columpnis fulcire proponimus inmobilibus altiori mente reuoluimus qualiter uos et alios uiros nobiles litteratos et discretos ad nostre sereni-

tatis seruicia promptos semper habere possimus et paratos. quod nusquam facilius efficere possumus quam si nostris ipsos serenitate regii uultus precedente beneficiis preuenimus. Nos igitur fidelitatis uestre deuocionem quam erga nostram incessanter personam geritis iuxta nobilitatem qua nos exaltauit alti gloria sanguinis prout nobis et quam pluribus plenius constat mundi principibus studiosius attendentes. Concedimus uobis ut forum rerum uenalium quod est in *Meneins* reducatur ex nunc in uillam uestram *Schezans* sicut fuit ab antiquo et ibidem in perpetuum firma stabilitate perseueret. in cuius rei memoriam sempiternam presentes litteras concedimus sigillo nostre celsitudinis concedimus insignitas. Acta sunt hec in Brvnna presentibus his testibus. Alberto. preposito sancti Petri in Brvnna. Erkenberto burcrauio de Starkenberch. Borscone marscalco nostro. Geros pincerna nostro. Hvgone et Geros. fratribus de Waldenberch. Hyrzone coquine nostre magistro. et aliis quam pluribus. Datum per manum magistri Dionisii. Wissegradensis prepositi regni nostri cancellarii. Anno domini M. CC. XLVIII. III. idus decembris. Indictione secunda.

Ex originali in archivo eodem. — Item in codicibus Cremsiriensi E. III. et Olomucensi I. membr. fol. 17.

CXXXII.

Innocentius papa IV. O. cardinali legato, ut dispenset cum Ulrico, duce Carinthiae et Břeclaviensi, et Agnete relicta ducis Austriae de contrahendo matrimonio, mandat. Dt. Lugduni, XVI. Kal. Decembris, 1248.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. Venerabili fratri O. sancte Marie in via lata diacono cardinali, Apostolice Sedis Legato, salutem et apostolicam benedictionem. Cum sicut carissimus in Christo filius noster . . illustris *rex Boemie,* ac dilectus filius nobilis vir . . dux Karinthie nobis significare curauerunt, de contrahendo matrimonio inter dilectum filium nobilem virum Vlricum natum ipsius ducis, et nobilem mulierem A.(gnetem) relictam quondam . . ducis Austrie sit tractatum, quia dictus V. tertio affinitatis gradu A. contingit eandem, non prius duxerunt ad confirmationem ipsius matrimonii procedendum, quam super hoc recursus

ad Sedem apostolicam haberetur. Quare fuit ex parte ipsorum regis et ducis nobis humiliter supplicatum, ut cum huiusmodi matrimonium ad sedandas capitales inimicitias inter parentes et vassallos utriusque peccatis exigentibus iam exortas et reformanda inter eos pacis foedera plurimum operetur, salubre consilium apponere curaremus. Attendentes igitur, quod urgens necessitas et euidens utilitas dispensationem exposcunt, de fratrum nostrorum consensu deuotioni tue mandamus, quatenus recepta prius ab eisdem duce et nato eius et A. nec non ab aliis quos videris expedire, de assistendo ecclesie Romane ac deuotis eius contra Fredericum quondam imperatorem ac fautores eius, persecutores ipsius ecclesie, viriliter et patenter, ac de perseuerando immobiliter in eiusdem ecclesie deuotione ac fide, tam iuratoria quam alia sufficienti et idonea cautione, cum prefatis V. et A. per te vel per alium auctoritate nostra, si videris expedire, dispenses, quod ad inuicem contrahere possint si velint, impedimento huiusmodi non obstante. Dat. Lugduni, XVI. Kalendas Decembris. Pontificatus nostri anno sexto.

Ejusdem tenoris bulla ad eundem verbis solummodo „dilectus filius „nobilis vir . . dux Karinthie" *in* „venerabilis frater noster . . patriarcha „Aquilegensis" *mutatis additisque post Agnetem* „neptem ipsius patriarche." Dt. Lugduni, X. Kalendas Ianuarii (1248).

Ex apographo Regesto Innocentii IV. anni VI. epist. 310. et 504. in tabulariis Vaticanis.

CXXXIII.

Idem dispensat cum Marquardo de Turri (Hradek) et Ludmila de Novadomo, ut in matrimonio contracto possint remanere. Dt. Lugduni, III. Idus Decembris, 1248.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. Venerabili fratri . . episcopo Vironensi etc. Ex parte dilecti filii nobilis viri *Marquardi de Thur.* fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum idem cum nobili muliere *Ludemina* (sic) Olomucensis diocesis, ipsum contingente quarto affinitatis gradu, matrimonium in facie ecclesie duxerit contrahendum, et iam pluribus ex

ea filiis procreatis, non possit inter eos absque multorum scandalo diuortium celebrari: prouidere ipsorum in hac parte saluti misericorditer curaremus. Mandamus itaque, quatenus si est ita, cum eisdem M. et L. ut licite possint in sic contracto matrimonio remanere, gradu huiusmodi non obstante, auctoritate nostra dispenses. Datum Lugduni, III. Idus Decembris. Pontificatus nostri anno sexto.

Ex eodem Regesto — epist. 250.

CXXXIV.

Bruno, episcopus Olomucensis, monasterio Cellae sanctae Mariae Brunae indulgentias elargitur. 1248.

Bruno dei gratia Olomucensis episcopus. vniuersis Christi fidelibus presentem paginam inspecturis salutem in omnium saluatore. Cum proh dolor. propter pronitatem malicie ab adolescentia omnis caro fere per peccata uiam suam corruperit. nisi dominus ad patriam uere tendentibus tabulam post naufragium reliquisset penitentiam iam non saluus fieret omnis homo. Quia igitur saluator omnium homo deus totius gratie et solatii multifariam olim loquens patribus in prophetis sermone in prophetico peccata elemosinis facit redimere. sciens eternus ab eterno quod hiis datis munda sunt omnia. dilectionem uestram presentibus rogamus amonemus et exhortamur in domino in remissionem peccatorum iniungens. quatinus in salutem uiuorum et mortuorum circa feminas religiosas de domo nouella *Celle sancte Marie in Brunna.* misericordie intendatis operibus et eis pro quantitate facultatum uestrarum elemosinas porrigatis ut per uos possint perficere monasterium inchoatum ad conditoris gloriam. et uos de mamona uite presentis in obitu uestro in eterna recipiamini tabernacula beatorum. Nos uero cognoscentes quod sicut aqua ignem ita peccatum extinguit elemosina. de omnipotentis misericordia omnibus qui predictis dominabus et domui in quocunque subuenerint triginta dies indulgentie erogamus. Datum anno gratie ab incarnatione domini MCCXLVIII. Pontificatus nostri anno primo.

Ex originali in archivo S. J. Brunensis.

CXXXV.

Přemysl, marchio Moraviae, Heinrico de Lichtenstein ob merita sua donat oppidum Nicolsburg, si Wilhelmus et Hermannus de Drnoholec suo in id juri renuntiaverint. Dt. Brunae, XVIII. Kal. Februarii, 1249.

Premisl dei gracia Illustrissimi Wencezlai Bohemorum Regis filius, marchio Morauie omnibus hanc paginam inspecturis in perpetuum. Censemus conueniens, et honestum, ut eorum, qui se circa serenitatem domini et patris nostri Illustris Regis Wencezlai et nostram exhibuerunt fideles et deuotos recompensemus seruicia beneficiis, et gracia singulari. Ea propter deuota et fidelia seruicia, que fidelis noster vir nobilis Henricus de Lichtenstein domino et patri nostro ac nobis exhibuit, oculo largitatis intuentes, cum dignitatem nostram dona sua deceat promere magnifice ac habunde, villam *Niclaspurg* cum ipsius attinenciis in proprietatem donamus ab eo et heredibus suis omni cessante impedimento, donec Wilhelmus de Dyrnholz cum fratre suo Hermanno eidem ville voluntarie renunciauerit, prefatum Henricum et heredes suos pro ipsa deinceps non impediturus, perpetuo possidendam. Et ut hec prouida nostra nobilitatis donacio effectum consequatur pleniorem: statuimus, firmissime precipientes, ne quis ipsum et heredes suos in iam dicta villa de cetero impedire debeat, seu aggrauare. Ut autem ea, que predicimus, apud posteros perpetuo rata et inconcussa permaneant, presentem paginam sigilli nostri munimine fecimus roborari. Acta hec sunt in Brunna presentibus his testibus: Domino Brunone episcopo Olomuzensi, Comite Otthone de Plawen, Hawlone de Lewenberk, Sdezlao de Sternberk. Item Nobilibus nostris de Morauia. Witkone de Krawar, Hadoldo fratre, Voyslao, Hartlebo et Ienzone fratribus, Hermanno de Ninicz, Hincone de Ieromirz, Wilhelmo de Uztopesch, Ceiczone et Sdezlao fratribus. Nobilibus vero de Austria: Pilgrimo de Schwarzeno, Friderico de Gerlochs, et fratre suo Conrado, Albertone, Henrico et Diethmaro fratribus de Boumgarten, et quam pluribus aliis. Datum in Brunna per manum Magistri Wilhelmi curie nostre notarii. Anno Domini MCCXXXXIX. XVIII. Kalendas Februarii.

Dobner — Monumenta IV. 262. ex apographo archivi domus Lichtensteiniae.

CXXXVI.

Innocentius papa IV. injungit episcopo Ratisbonensi, ut Bavariae ducem Friderico imperatori adhaerentem compescat. Dt. Lugduni, VIII. Idus Februarii, 1249.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. Venerabili fratri Alberto Ratisbonensi episcopo salutem et apostolicam benedictionem. Cum tibi dicamur nostris dedisse literis in mandatis, ut ducem Bauarie, nisi a te monitus infra festum assumptionis beate Marie proximo preteritum rediret ad ecclesiasticam unitatem, gratiis et indulgentiis sibi a felicis recordationis G. papa predecessore nostro concessis auctoritate nostra priuares, licet idem dux post monitionem tuam, quod contra ecclesiam in nullo precesserat proprio iuramento firmauit, ac se promiserit per iuramentum huiusmodi processurum nullatenus contra eam, ipse tamen, sicut accepimus, iuramenti religione contempta, prioribus peiora committens et Friderici quondam imperatoris, persecutoris ecclesie in partibus Austrie gerens vicem, ipsi ecclesie ac eam adiuuantibus plurimum aduersatur. Ideoque fraternitati tue per apostolica scripta in virtute obedientie districte precipiendo mandamus, quatenus, si est ita, eundem ducem auctoritate nostra priuatum esse denuncians gratiis et indulgentiis supradictis, in ipsum et in sua peruersitate adherentes eidem excommunicationis et in terram eius interdicti sententias non differas promulgare, eas tamdiu singulis diebus dominicis et festiuis, pulsatis campanis et candelis accensis per ciuitatem et diocesim tuam solemniter publices et facias publicari, donec vexatione intellectum suo auditui tribuente, ad unitatem ecclesiasticam reuertatur, et contra predictum F.(ridericum) tanquam aduersarium fidei et libertatis ecclesiastice subuersorem recipiens signum crucis, ecclesiis, monasteriis et aliis piis locis ac clericis earundem ciuitatis et diocesis iniuste ablata restituat, et de damnis et iniuriis irrogatis satisfactionem competentem exhibeat, ut tenetur. Ad hoc volumus et tibi auctoritate presentium districte iniungimus, ut contra ipsum ducem tanquam aduersus ecclesie aduersarium manifestum in dictis ciuitate et diocesi verbum crucis predices et facias predicari eam illis, qui crucis assumpto signaculo precesserint contra eum in huiusmodi nequitia persistentem, suorum peccatorum veniam concedendo,

que transeuntibus in terre sancte subsidium in generali concilio est concessa. Datum Lugduni, VIII. Idus Februarii. Pontificatus nostri anno sexto.

Lunig — Reichsarchiv XIX. pag. 686.

CXXXVII.

Idem regi Romanorum scribit, ut uxorem marchionis Badensis *(Gertrudem)* de ducatu Austriae investiat. Dt. Lugduni, Idibus Februarii, 1249.

Palacky — Reise p. 33. — e Regesto Innocentii epist. 336.

CXXXVIII.

Bruno, episcopus Olomucensis, Gallo de Löwenberg feudum in Chotun et Přetoka in Boëmia confert. Acta et dt. in „Gauela", VIII. Kal. Martii, 1249.

Bruno dei gratia Olomucensis episcopus. Vniuersis hanc paginam inspecturis in domino salutem. Ut ea que per nos deliberatione prouida. et recordatione digna geruntur. processu temporis non tollat obliuio. aut questionibus friuolis immutentur. scriptis autenticis censuimus utiliter annotari. Eapropter ad presentium et futurorum presenti pagina dirigimus intellectum. quod nos domino Gallo de Lewenberch. uiro nobili et strennuo morumque honestate preclaro. quem meritorum suorum gratia nobis gratum constituit et acceptum fecit illa quam circa nos gerit amicicia specialis. duas uillas in Bohemia sitas Cothun uidelicet et Prethoca. iure pheodali cum uniuersis earum attinentiis contulimus liberaliter et libenter. Insuper decimas villis suis in Morauia sitis. Lessen uidelicet et aliarum uillarum huic proprietati sue attinentium. que nostre debentur ecclesie. ipsi iure contulimus prenotato. Et ut hec robur obtineant firmitatis. presentem paginam super eo conscribi. et sigilli nostri munimine iussimus roborari. Acta sunt hec in Gauela. anno domini millesimo ducentesimo XLVIIII. VIII. kalendas Martii. Presentibus hiis testibus. Vlrico de alta fago.

Herbordo dapifero nostro. Helemberto marscalco nostro. Luduwico de Medeuiz. Symone de Opauia. Alberto Stangone militibus nostris. Heydolpho capellano nostro et aliis quam pluribus. Datum per manum Conradi notarii nostri die et loco prefatis.

Ex originali in archivo Cremsiriensi. — Item in codice Olomucensi II. chartacco fol. 106.

CXXXIX.

Innocentius papa IV. episcopo Misnensi mandat, ut filium regis Boëmiae patri rebellem excommunicet. Dt. Lugduni, X. Kal. Maji, 1249.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. Venerabili fratri . . episcopo Misnensi. Paterne benedictionis auctoritas deuotum filium erigit in sublime, ac eius contrarium erectum subito crudeliter eradicat. Unde Ioseph accrescens filius nuncupatur et Chanaan cum sua progenie subicitur seruituti. Absolon quoque in quercu suspenditur et Salomon culminis recipit diadema. Hec et quod in sacra pagina legitur: Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longeuus super terram. Si nobilis vir *natus carissimi in Christo filii nostri illustris regis Boemie* prout conuenit, diligenter attenderet, ipsum regem patrem suum tanquam filius benedictionis paternam hereditatem cupiens honoraret et ab eius offensa penitus abstineret. Sed idem quorundam baronum regni Boemie, qui bona pacis oderunt, et in malis discordiarum exultant, ductus iniquis persuasionibus et seductus una cum ipsis, sicut accepimus, crudeliter predictum regem persequitur et hostili persecutione impugnat in detrimentum persone ac status ipsius regni cum Corrado, nato Fr.(iderici) quondam imperatoris, duce Bauarie et aliis ecclesie persecutoribus fedus amicitie ac societatis damnabiliter iniendo, in quibus omnibus episcopi Pragensis et quarundam aliarum personarum ecclesiasticarum eiusdem regni dicitur esse manus. Ne igitur tantum malum, si ei obuiatum non fuerit, inualescat, mandamus quatenus natum et barones eosdem, ut ab iniquitate huiusmodi penitus desistentes ad deuotionem prefati regis, a qua sine nota infamie et animarum periculis non possunt recedere, redeuntes, ei ut tenentur, intendant, attentius moneas

et inducas. Quodsi monitis tuis acquiescere nunquam curauerint, ipsos omnes eis in hac iniquitate fautores auctoritate nostra, sublato appellationis impedimento, excommunices et terras eorundem subiicias districtissimo interdicto, ita quod preter baptismata paruulorum et penitentias morientium nullum in eis celebretur diuinum officium, aut exhibeatur ecclesiasticum sacramentum, faciens huiusmodi excommunicationem et interdictum sententias singulis diebus dominicis et festiuis, pulsatis campanis et candelis accensis, per loca, in quibus expedire videris, solemniter publicari, inuocato ad hoc, si necesse est, auxilio brachii secularis. Eundem uero episcopum, quia excommunicatus a dilecto filio fratre Gottifrido de ordine predicatorum penitentiario nostro ad partes illas destinato a nobis, nostra exigente iusticia, diuina officia, sicut dicitur, celebrare, immo quantum in eo est, uerius prophanare presumpserit et contra ipsum regem una cum eius filio conspirare, eadem auctoritate nostra prefigas ei terminum peremptorium competentem, quo personaliter nostro se conspectui representet pro meritis recepturus. Cum autem sicut nostris est auribus intimatum, nonnulli prepositi, decani, canonici et rectores ac alii canonici ecclesiarum regni predicti fouendo et adherendo supradictis nato regis et baronibus persecutoribus ecclesie contra eam beneficiis ecclesiasticis reddiderint se indignos, et dignum sit, ut indeuoti ex indeuotione iacturam et deuoti ex deuotione commodum assequantur, uolumus et mandamus, ut prepositos, decanos et alios antedictos, si tibi eos constiterit tales esse, personatibus et dignitatibus ac beneficiis, que ab ecclesiis obtinent, eadem auctoritate perpetuo priuans, facias ei conferri per illos, ad quos ipsorum collatio pertinet, si tamen sunt deuoti ecclesie Romane, alioquin tu conferas hac uice personis idoneis et ecclesie predicte deuotis, contradictores etc. Datum Lugduni, X. Kalendas Maii. Pontificatus nostri anno sexto.

E Regesto apographo Innocentii IV. anni VI. epist. 466. in tabulariis Vaticanis. — Excusum in Baluzii Reg. l. VII. pag. 489. — in Lunigii cont. Spicil. I. (T. XIX.) 836.

CXL.

Idem mandat eidem episcopo, ut absolvat regem Boëmiae a juramento, super cessione regni filio suo praestito. Dt. Lugduni, VIII. Kal. Maji, 1249.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. Venerabili fratri . . episcopo Misnensi salutem et apostolicam benedictionem. Cum carissimus in Christo filius noster . . illustris *Rex Boemie,* nobili viro . . *nato eius* una cum nonnullis baronibus regni Boemie contra ipsum nequiter insurgente ac eum impugnante hostiliter, iuramentum super cessione dicti regis (sic) eisdem nato et baronibus coactus prestitisse dicatur: mandamus quatenus, si est ita, auctoritate nostra ipsum regem absoluas ab huiusmodi iuramento, concessa tibi eiusdem regis obtentu absoluendi iuxta formam ecclesie ab excommunicationis sententia omnes illos, qui eidem in recuperatione regni et honoris sui assistendo contra predictos pro incendiis dictam sententiam incurrerunt, et iniungendi eis quod de iure fuerit iniungendum, auctoritate presentium facultate; prouiso, quod iidem incendiarii, quibus dampna intulerunt per incendia, satisfaciant competenter. Dat. Lugduni, octauo Kal. Maii. Pontificatus nostri anno sexto.

Ex eodem Regesto — epistola 469.

CXLI.

Wenceslaus rex Bohemorum . . ecclesie sancte Marie in Doxan et sororibus ibidem pro remedio anime patris Ottacari . . et uxoris sue Cunegundis concedit varias exemtiones et libertates. Huius rei testes sunt: Hermannus prepositus Luthomericensis. Otto prepositus Melnicensis. Cuno prepositus Boleslauiensis. Castolaus de Syttauia, et Henricus filius eius. Borso aule nostre marescallus. Gallus de Lewenberg. Ierossius de Scliwene. Zmilo de Syttauia. Ioannes Lozzos. Ludohldus iudex de Luthomeric, et alii quam plures. Datum in Lutomeritz per manum Herbordi Pragensis canonici, curie nostre notarii. anno domini MCCXLIX. X. Kal. Augusti.

Hugo — Annales Praemonstrat. in probationibus.

CXLII.

Idem monasterio Gradicensi villam Hagčjn confert, limitesque ejus determinat; item de speciali gratia concedit judicium de culpis liberum cum aliis juribus, tabernasque claustro nominetenus confirmat. Dt. IX. Kal. Septembris, **1249.**

In nomine domini amen. Nos Wencezlaus, dei gracia quartus rex Boemie, ecclesie beate Marie uirginis, sanctique Stephani prothomartyris et abbati eiusdem loci eiusque successoribus, Olomucensis dyocesis, Premonstratensis ordinis, ac fratribus ibidem professis et in futurum profitendis in perpetuum. Cum scriptura ponat in statu solido, quod non erat sine quo subsidio valiturum, dignum est et consentaneum racioni, gestas res litterarum testimonio confirmari, ne processu temporis valeant infirmari. Noscat igitur tam presens hominum etas, quam in Christo posteritas successura, quod nos villam quandam, nomine *Haychin,* iuxta ciuitatem Olomucensem sitam, quam deuotione auorum et progenitorum nostrorumque predecessorum, et maxime uenerabilis antiqui ducis Morauie, Ottonis, fundatoris eiusdem ecclesie didicimus esse collatam, cum omnibus agris, aquis, piscationibus, pratis, rubis, virgultis et pascuis, et cum omni utilitate, que ex eis prouenit, et inposterum poterit prouenire, pro remissione nostrorum peccatorum et salute anime ecclesie prefate concedimus et donamus perpetuo inuiolabiliter et pacifice possidendam. Cuius uille mete et signa hiis terminis exprimuntur. Primi campi iacent inter hortos ciuitatis Olomucensis et uillam nomine Neredyn, et inter duas uias, quarum uiarum una tendit versus uillam nomine Gnewotin, altera versus Namescz, certis terminis uel signis, qui vulgo Kopci dicuntur. Item alii campi iacent ante predictam ciuitatem inter uiam uersus predictum Namescz, et viam versus Chrelow certis suis terminis. Item alii campi iacent inter uiam, que ducit versus predictum Chrelow, et uiam, que ducit versus villam Repsin. Item alii campi iacent ante predictam villam Haychin super litus fluminis, quod vulgo Morauice dicitur, inter uillam prefatam Repsin et hortos ciuitatis predicte, et iam dicti campi cum virgultis et rubis protenduntur usque in Morecz uersus partem occidentem. Flumina vero hiis terminis terminantur ecclesie memorate. Flumen predictum Moravice, quod fluit sub curiam et uillam

predictam Haychin, incipit a predicta uilla Repsin, et fluit inferius, et protenditur usque ad Scalcam cum utraque ripa, de Scalca usque ad Cernice, de Cernice usque ad Babie struha, de Babie struha usque ad Crasnigde, deinde usque in Zesnik, qui fluit sub pontem, et coniungitur fluminibus Moraue et Bistrice per descensum. Item flumen magnum, quod Moraua dicitur, incipit a loco, qui vulgariter dicitur Pregem, et protenditur superius usque in Gezero, et de Gezero superius totum flumen eiusdem Moraue, cum utraque ripa circa claustrum, cum omnibus pratis, virgultis et pascuis, usque in Criniuir uillam, que uilla est ecclesie supradicte; deinde superius usque in Plaz, et de Plaz usque Wstrene superius versus aquilonem. Item a loco predicto qui Pregem dicitur, fluit quidam transitus aque de Moraua inferius versus claustrum ad plagam orientalem, qui dicitur vulgo Hageczka struha, super quem est situm molendinum ecclesie predicte; statim sub eodem claustro et inter Morauam et iam dictum transitum aque omnia uirgulta, prata, pascua, et arudineta et rubi sunt ecclesie memorate. Item predictum flumen Seznik fluit a quodam loco palustri supra claustrum circa et infra usque ad pontem ciuitatis cum utraque ripa. Item omnia pascua, siue prata, siue rubi circa fontem Seznik, qui est situs inter claustrum et uillam Predmoste dictam, protenduntur usque ad hortos iam dicte uille, et usque ad pontem. Item pratum sub molendino predicto ecclesie inter claustrum et castrum circa flumen predictum Seznik largum et spaciosum protenditur usque ad sepe dictum pontem certis signis, que Meze vel kopci in vulgo dicuntur. Item silua, que uulgo dicitur Trinina, sita in superiori parte claustri uersus aquilonem, hiis terminis terminatur, incipiens a loco, vbi oritur sepe dictum flumen Seznik, directe protenditur usque ad Czakanow laz, et deinde recte procedens in Lodiennice flumine terminatur certis signis, que uulgo Kopci uel hranice dicuntur. Prata uero ecclesie supradicte hiis nominibus in vulgari nuncupantur: I. Brezoua. II. Podcruse. III. Zlauicouo. IV. Zabresten. V. Bicouec. VI. Zosice. VII. Plichoua. VIII. Laz. IX. aliud Laz. X. Brezoua alia. XI. Podniue. XII. Crinka. XIII. Brezoua tercia. XIV. Podekcretni. XV. Vhruski. XVI. Srinoue. XVII. Zamorauiczv. XVIII. iterum Zamorauiczv. XIX. Cosarow. XX. nasimnem. XXI. Bohdasino. XXII. Zabrodem. XXIII. Sironow. XXIV. Zadubczem. XXV. Mezirecze. XXVI. Wkutich. et ista predicta,

videlicet Moraua et Morauicze, et circa supra claustrum prefatum ad partem aquilonis. Et ut hec singula iam premissa dicte ecclesie Gradicensi a nostris successoribus in posterum inuiolabiliter obseruentur, in signum renouationis et confirmationis eorundem ipsi damus presentem paginam, nostrorum sigillorum munimine roboratam. Testes autem huius rei fuerunt isti: Parduz camerarius Olomucensis de Wnorow. Vitco castellanus Olomucensis de Hradecz. Onso de Pnouicz. Blud filius eius. Cztibor de Lipnicz. Yenecz de Deblin. Zlauibor de Drenouicz. Milicz frater suus de Namescz. Spitata de Morauiczan. Boczko de Iaroslauicz. Criho de Czeblouicz. Czastolouu frater suus. et alii quam plures. Datum per manus magistri Dyonisii, prepositi Wissegradensis, nostri cancellarii aput Pragam. anno domini M. CC. XLIX. nono Kalendas Septembris. Ceterum de nostra speciali gracia prefate ecclesie Gradicensi, que est domus dei liberrima, et locus refugii miserorum, hanc libertatem presentibus concedimus, imo uolumus communiter ab omnibus in perpetuum inuiolabiliter obseruari, quod, quicunque maleficus quocunque maleficio perpetrato ad ipsam uel claustrum Gradicense uel in aliquam eiusdem claustri curiam confugerit, pacem et libertatem dei et nostram regiam ibidem obtineat, et nec nostri nuncii, nec beneficiarii, nec ciues uel aduocatus quilibet, nec aliqui alii ipsum audeant ausu temerario de claustro uel de curia ad dampnandum excipere uiolenter; et quicunque predictorum pro quacunque re prefato claustro uel alicui curie ad ipsum pertinenti hanc libertatem temerarie infregerit, et aliquam violentiam fecerit, maiores barones terre nostre vel aduocatus quilibet, et ciues maiores nostre cuiuslibet ciuitatis decem marcas auri, humiliores uero marcam auri nobis soluant, et carceris nostri graui custodia macerentur, colla redimentes, prout possunt, et ecclesie prefate statim satisfaciant. Inhibemus etiam, ne aduocatus uel ciues nostri in Olomucz et in aliis ciuitatibus nostris homines ecclesie predicte pro aliqua re in ciuitatibus nostris detineant, uel impignorent, uel incippent; sed si ex euentu hoc contigerit, quod homines ipsorum pro aliqua causa accusentur, iudex uel ciues ad abbatem mittant, quatenus ipse homines suos a quocunque accusatos coram iudicio presentari faciat loco et termino assignato, super sibi obiectis respondendos, et partibus conuocatis fiat iusticie complementum; et siquidem in causa adiuti fuerint uel ceciderint, lesis satisfaciant, prout possunt, et

culpa magna uel parua non iudici nec iuratis uel ciuibus, sed abbati et conuentui et ecclesie cedet totaliter memorate. Hoc autem summopere caueant ciues Olomucenses, ne super curiam uel areas, uel super homines ecclesie memorate, qui in eiusdem areis resident, quas habet in suburbio Olomucensi, vel circa, nullam collectam vel steuram recipiant, que uulgo bernie uel pomocz dicitur, vel aliquam aliam exactionem faciant, per quam eis inferri possit molestia uel grauamen, quia eandem curiam et areas et homines residentes in eisdem ab huiusmodi, imo ab omnibus exactionibus penitus liberamus. Quicunque autem hec statuta nostra et concessiones ac libertates supradictas uiolare presumpserit, et ecclesie prefate statim non satisfecerit, iudex et maiores ciues decem marcas auri, humiliores uero marcam auri soluant nobis, et carceris nostri graui custodia macerentur, colla sua redimentes, prout possunt. Insuper ut omnia hec et alia sepedicte ecclesie firmiter uelimus esse prospera et firma sub pena iam dicta, tabernas ipsorum, in quibus primitus a nostris beneficis uel ciuibus Olomucensibus et aliis impediebantur, liberas esse concedimus omnino, maxime uero illas tabernas, que ad dotem pertinent claustri prefati, et adiacent nostris ciuitatibus Olomucensi Geuicko, Luthowl, Vnichow, Opaua infra miliare uel propius, in uillis Ciethkouicz, Nakel, Lubos, Bunouici, Lasczas, Oldrisoue, Wpreroue, Roscinic, Zlobicich, Bedihosci, Wressouicich, non obstante eo, quod aliis nostris terrigenis prohibuimus ipsas propter nostras predictas ciuitates. Actum et datum ut supra. Anno et die prefatis.

Ex originali in archivo c. r. aulico Vindobonae. — Diploma hoc ex recensione Fr. Palacky, qui idem descripsit, coaevum quidem non tamen caret suspicione, cujus sigillum regium genuinum quidem, ex alio tamen diplomate filis sericeis intercisis satis inepte applicatum est. — Mihi sane, uti plura hujus monasterii diplomata, sub abbate litigiosissimo Budiš ex quocumque demum originali exampliatum esse videtur. — Apographum occurrit in Annalibus Gradicens. MSS.

CXLIII.

Přemysl, marchio Moraviae, monasterio ad sanctum Petrum Olomucii tres terras in Slatina a matrona Střezna collatas confirmat. Dt. apud Olomuc, XVIII. Kal. Octobris, 1249.

In nomine domini amen. Nos Premizl Dei gratia illustris Marchio Morawie dominabus ad *sanctum Petrum in Olmuz* ad rei memoriam sempiternam. Cum omnia que fiunt in tempore cum tempore contingit thabescere prouida necessario adinuenit hominum discretio vt que perpetuis cupit stare successibus ea tanto lucidius scripti testimonio roborare. quanto ea sine nota calumpnie in posterum uult valere. Noscat itaque tam presens hominum etas quam futura in domino. quod quedam matrona Stresna nomine dominarum de sancto Petro conuersationem et statum uite laudabilis considerans earumque orationum participatione cupiens adiuuari. tres terras tribus aratris sufficientes in villa *Zlatinan* maiori contulit iure hereditario libere possidendas dictis dominabus in subsidium et iuuamen. Zelo igitur matrona memorata pietatis ardentius mota nostre se humiliter conferens presentie petiuit vna cum prefatis dominabus et vt iam dictam donationem confirmaremus nobis cum instancia suplicauit. Nos vero iustis vt decuit peticionibus assentientes cum effectu. hanc ipsam donationem horum in presentia Baronum confirmavimus gratiose. qui sunt Witco de novo Castro. Milich. Sobezlaus. Zlawibor. Egidius. Parduz. Twirdse. Zudomirus. Swezlaus. Cirho. Chaztolaus. Hruto. Budis. Albertus. Wilhelmus. Lupoldus pincerna. Martin. Andreas. Karulus. Lambertus. Wirchozlaus. Predbor. Heyricus filius Witconis. Ones filius Bicen. Hermannus filius Woconis. Bludo filius Onsonis. Prebor. Pavsa. Vt autem hec donatio nequeat in irritum reuocari. presentem paginam nostri sigilli munimine iussimus roborari. Acta sunt hec anno dominice incarnationis. Millesimo. Ducentesimo XL. nono. XVIII. Kal. Octobris. Datum aput Olomuz. per manus Prisnobori curie nostre notarii. predilecti.

Ex originali in archivo capituli Olomucensis.

CXLIV.

Idem civitati Gewičko a Tartaris destructae in restaurationem confert silvam ad Šebetow. Act. Brunae, X. Kal. Octobris, 1249.

In nomine domini amen. Nos Premizl dei gratia illustris Marchio Morauie ciuibus nostris fidelibus in *Gewiczko* ad rei memoriam sempiternam. Cum omnia que fiunt in tempore cum tempore contingit thabescere prouida necessario adinuenit hominum discretio, vt que cupit perpetuis stare successibus ea tanto lucidius scripti testimonio roborare. quanto ea sine nota calumpnie in posterum vult valere. Noscat igitur tam presens hominum etas quam futura in domino. quod nos *ad restaurationem ciuitatis nostre Gewiczko a Tartaris destructe* de ingenita nobis benignitate concurrentes siluam nostram spaciosam silue monasterii s. Stephani secus Olomucz, quam ad Sibotonis villam habere ex antiqua donatione ducisse Eufemie dinoscitur conterminam, a venatoribus nostris limitare iussimus, et sic limitatam ciuibus prefatis libere et perpetue possidendam assignari fecimus in subsidium et leuamen ipsorum inopie. In cuius rei testimonium presentem paginam conscribi et sigilli nostri munimine fecimus roborari. Acta sunt hec in Brunna presentibus testibus: Witkone de nouo castro. Bocekone. Hartlibo. Ydic. Chaztolao. Lupoldo pincerna. Wicardo de Tyrna. Andrea. Lamberto et quam pluribus aliis. Anno M. CC. XLIX. X Kalendas Octobris. Datum per manus Prisnobori curie nostre notarii.

E copia monasterii quondam Eremitarum sancti Augustini ibidem.

CXLV.

Idem renuntiatione facta Wilhelmi de Drnoholec pleno jure Heinrico de Lichtenstein tradit Nicolsburgum. Dt. XV. Kalendas Decembris, 1249.

Premysl dei gracia Illustrissimi Wencezlai Boemorum Regis filius, Marchio Morauie omnibus hanc literam inspecturis in perpetuum. Censemus conueniens et honestum, ut eorum, qui se circa serenitatem domini et patris nostri Illustris Regis Wencezlai, et nostram exhibuerunt fideles et deuotos,

recompensemus seruicia beneficiis et gracia singulari. Ea propter deuota et fidelia seruicia, que fidelis noster vir nobilis Henricus de Lichtenstein Domino et patri nostro ac nobis exhibuit, oculo largitatis intuentes, cum dignitatem nostram dona sua deceat promere magnifice ac habunde, villam in *Niclaspurch* cum ipsius attinenciis, quam nobilis noster Wilhelmus de Dyrnholz impetrauit, in nostra presencia constitutus voluntarie liti cessit, ipsi Henrico et heredibus suis conferimus secundum ius et consuetudinem Theutonicam perpetuo possidendam. Et quod prouida nostre nobilitatis donacio effectum consequatur pleniorem statuimus firmissime precipientes, ne quis ipsum et heredes suos in prefata villa deinceps impedire debeat seu aggrauare. Ut autem ea, que prediximus, apud nos perpetuo rata et inconuulsa permaneant, sigilli nostri munimine fecimus roborari. Acta sunt hec in Brunna presentibus his testibus: Gallo de Lewenberk, Ieroscho de Zliuen, Sdezlao de Sternberk. Item Nobilibus Morauie: Bocechone, Hartlibo, Ienczone, Siffrido et Chadoldo orphanis filiis Czieczonis, Wikardo, Ulrico, Friderico de Gerlochs, et quam pluribus aliis. Datum in Brunna per manum magistri Wilhelmi curie nostre notarii. Anno Domini Mill. CCXXXXVIIII. XV. Calendas Decembris.

Dobner — Monum. IV. 263. — Ex apographo archivi domus Lichtensteiniae.

CXLVI.

Wenceslaus, rex Boëmiae, monasterio Tišnowicensi donat villas Selpe et Balyarad in regno Ungariae sitas. Act. Brunae, 13. Decembris, 1249.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen. W.(enceslaus) dei gracia quartus boemorum Rex. Dilectis in Christo abbatisse et conuentui ordinis Cisterciensis *de Porta celi in Tusnowiz* ad rei memoriam sempiternam. Dei filius, cuius misericordie non est numerus, cuius regni meta nullis concluditur terminis, secundum diuisiones linguarum et gentium diuersa sibi regna constituit et ad obseruacionem mandatorum celestium ea diuersis religionum titulis insigniuit, inter quas tanto pre ceteris sanctissimum

vestrum ordinem insigniorem reddidit, quanto potencie diuine miraculum laudabilius in sexu fragili comprobatur. Propter quod Reges terrarum et prouinciarum principes non inmerito pre deuocionis affectu conpuncti, specialem in vobis ad dei misericordiam habentes respectum, vobis et claustris vestris grata defensionis remedia et pia debent karitatis subsidia impertiri, ut cum tuba ipsos angelica ad examen supremi iudicis euocauerit, cum multiplicato fructu recipiant in die messionis extreme, quod in pias causas spe future retribucionis elemosinarum erogacione, filium in hoc intemerate virginis specialiter venerantes in terris, dum viuerent, sunt largiti. Inter huiusmodi sane nostrarum consideracionum curas, quibus semper altissimo creatori nostro placere proponimus, prout ipsius misericordia nos permittit, alciori mente reuoluimus, qualiter monasterium vestrum a clare memorie *Constancia* matre nostra, quondam Regina Boemie, fundatum pio proposito et dotatum; ad ipsius salutem anime et nostre consolacionis remedium elemosinarum largicione attollamus, ut sic pro nobis in eterni Regis oculis pietatis intercedencia opera subpleant, que terrenorum negociorum occupaciones in uita presenti neglexerunt. Vobis igitur et monasterio uestro ob reuerentiam diuine pietatis damus, donamus et tradimus in perpetuam elemosinam villas nostras sitas *in regno Hungarie* in Strigoniensi dyocesi prope Tyrnam, que uulgariter *Selpe* et Balyarad nuncupantur, cum omnibus suis pertinenciis inferioribus et superioribus, ingressu et regressu, pascuis, siluis, pratis, nemoribus, agris cultis et incultis iure proprii. Vt autem hec grata nostre serenitatis donacio perpetuum sorciatur effectum, eam per sedem apostolicam volumus et petimus confirmari. In cuius rei testimonium presentes concedimus litteras sigillorum nostrorum munimine roboratas. Actum in Brunna anno domini MCCXLIX. die XIII. intrante Decembris; presentibus hiis testibus: Venerabili patre domino Brunone episcopo Olomucensi. Alberto Brunnensi preposito. Borsone marsalco. Gerosone dapifero. Hogiro de Wridberc. Heinrico de Lychtenstein. Sifrido orphano et Chadoldo. Genzone et Zlawata. Ratmiro et Paulico regni Boemie nobilibus et aliis. Datum per manus magistri Dyonisii Wissegradensis prepositi, aule nostre cancellarii die et loco prefatis.

Ex originali cum sigillo illaeso in archivo ejusdem monasterii.

CXLVII.

Wenceslaus, rex Boëmiae et Moraviae, et Přemysl, marchio Moraviae, filius ejus, confirmant jura civilia et montana civium Iglaviensium. S. d. (1247 — 9).

In nomine domini Amen. Nos Wencezaus. dei gracia rex *Bohemie et Morauie:* Omnibus presentem paginam inspecturis salutem in perpetuum. Cum regalis dignitas et honestas. tanto diligencius suis fidelibus adesse teneatur, quanto differencius preceteris, quibus regimen atque culmen terreni dominii est donatum. clare prefulget dignitatis nomine et honore. Vnde nos qui nostrorum fidelium cauere uolumus et tenemur indemnitatibus et periculis onerosis. ex plenitudine gracie nostre et fauoris. ad memoriam fieri uolumus sempiternam tam uiuentibus quam uicturis. quot nos regia auctoritate nostra et libera uoluntate dilectis ciuibus nostris in *Iglauia* et montanis ubique in regno nostro constitutis singulis et uniuersis. libertates. jura. nec non et statuta subscripta. per que tranquilitati et comuni utilitati eorum et paci decreuimus prouidendum. ipsis nichilominus et eorum heredibus. successoribus et posteris regia prudencia et hilaritate concedimus indulgemus et confirmamus. Insuper *cum nos dilecto filio nostro Primizloni principatum Morauie contulissemus.* dictos ciues et monthanos nostros sibi paterne donauimus. et ingraciam sue dignitatis. speciali dilectionis affectu fideliter et regaliter de manu ad manum commisimus conseruandos. Et super hiis omnibus confirmandis et conseruandis presentem paginam sigili nostri munimine fecimus roborari. Nos *Primicil dei gracia marchio Morauie.* regiam beneuolenciam et fauorem patris nostri illustrissimi regis Bohemie erga suos fideles Ciues et Montanos et erga alios regie dignitati obsequium prestantes sue uoluntati et paternitati per omnia decreuimus obedire. et presentem paginam sigilli nostri munimine fecimus consignari. Vt *(sic)* igitur libertas et gloria magestatis regie. per aliquos presumptuosos debeat inpungnari. uel irritari. vna cum filio nostro. uolumus et mandamus sub obtentu gracie nostre et rengni. quatinus. nullus. baronum. nobilium. uel militum. aut prouincialium. siue curialium. rengni nostri. aliquam presumptionem uel uiolenciam exercere presumat in aliqua ciuitate nostra. nec aliquem hominem inuadat nec capiat. nec in aliquo negocio suo inpediat.

sine licencia et scitu iudicis ciuitatis et iuratorum. Et quicumque ciues et montani habent homines et possessiones extra ciuitatem uel infra. nullam de ipsis. judex prouincialis uel beneficiarij terre habeant judiciariam potestatem. uel aliquod ius terre. Set si de aliquo ciue uel de aliquo homine ciues habent aliquid conqueri. coram iudice et judicio ciuitatis conquerantur. sicut ceteri homines iusticiam suam exquirentes. Et si aliquis ciuium alicui baroni siue militi bona sua uel merces suas concesserit sub condicione alicujus diei uel temporis coram iuratis uel aliis probis uiris et si dictus baro uel miles illo die uel tempore non soluerit. extunc possit ille ciuis illum baronem uel nobilem aliquem libere pro suis debitis inpingnorare. Ceterum uolumus et mandamus, ut quicquid jurati ciuitatis nostre et iurati montanorum pro bono communi ordinauerint et statuerint. inuiolabiliter ab omnibus obseruari.

* * *

Statuimus ut quicquid urborarij de consilio juratorum Iglauiensium in montibus uel in stollonibus aliquibus concesserint uel dederint sub sigillo communi et vrborariorum, ratum habeatur absque ulla questione. Et ubicunque mons uel stollo inuentus uel elaboratus fuerit. de jure habebit in eo quod dicitur hanghende. quartum dimidium laneum. et in eo quod dicitur lighende unum laneum, altitudo et profundum in equali statura. Siquis autem nouum montem inuenerit. mensurentur ei septem lanei exutraque parte. Dno Regi unus ex utraque parte burgensibus unus. Inuentores uero montis dabunt hiis qui mensurant montem VII solidos breues. Item quicunque laborauerit in meatu in eo quod dicitur stollo. et metallum inuenerit. mensurabuntur ei de ipso loco ubi metallum inuenit. VII lanei et jus aliorum moncium. Si uero ex consensu et de scitu judicis et illius qui montes porrigit aliquis laborare inceperit. in eo quod dicitur stollo, et metallum inuenerit. ab illo loco nemo ipsum per tres laneos et dimidium ante eum uel post eum inpedire debet. Item. Si mons uel stollo qui mensurati fuerint et postea deserti. sex diebus dominicis proclamari debet. ut hi quorum montes sunt laborent. Si uero sexto die dominico transacto non laborauerint. tunc urborarij asumptis juratis proclamatos montes ascendere debent. Et si ipsos desertos inuenerint. predicti urborarij montes

illos libere porrigere possunt cui uolunt. Item Si quis mons alium montem per aquam inpediuerit. judici tribus diebus pronunciari debet. jllis tribus diebus finitis secundum justiciam mons inpediens. inpedito monti relinquetur. Item Si quis in stollone de consensu judicis et ciuium laborauerit. et ad mensuratum montem siue laneum ciuium peruenerit. et ibidem laboratores inuenerint. sine consensu ipsorum non transibit. Si autem consenserint. ad mensuram unius clafter transibit. saluo tamen jure suo. uidelicet quantum ipse cum stollone suo in laneo ciuium super se secauerit. et quantum eo lucri habuerit. absolute tenebit. Ita si prius in predicto laneo fuerat laboratum. In medio eciam lanei super profundius sedebit. et quicquid lucri ferro mediocri subtus se contrahere poterit ad usus suos cedet. Item si burgenses postmodum uel quicunque stollonem suum necessarium habuerit. quartam partem expensis elaborabit et obtinebit. Item ubicunque mons mensurandus fuerit. inpediente laneo montis ciuium. quod ad minus tres laneos et dimidium obtinere non poterit. predicta mensura noui montis in metis lanei ciuium sumet inicium. et sic mensuram debitam obtinebit septem laneorum. postea domno Regi duos. Juratis duos mensurabunt. Si autem infra duos montes mensuratos nouus mons mensurabitur. et debitam mensuram obtinere poterit. scilicet omnium laniorum. tunc mensuretur. Et si abita mensura aliquid superfuerit. scilicet duobus laneis quod dicitur uberscar. ad usus cedet burgensium. Item siquis ut superius dictum est per consensum judicis et juratorum et illius qui montes porrigit stollonem iniciauerit. et alter superueniens ante ipsum extra debitam mensuram trium laneorum et dimidij. per alium stollonem uel per quamcumque foueam prior metallum inuenerit. datis testibus. et examinatis causis mensuram VII. laneorum prior obtinebit. Volumus eciam ut quicunque inuentor noui montis meatum et metallum primus debito modo judici presentauerit uel illi qui montes porrigit. nemo ante ipsum uel post ipsum in spacio unius lanei laborare presumat. qui autem contrafecerit omnis lucri expers erit. et primus in omni jure suo et in justicia manebit. Item quicquid urborarij cum scitu juratorum de Iglauia de juris moncium disposuerint hoc ratum habeatur.

Originale cum sigillis regio et marchionali appensis servatur in curia Iglaviensi. — Excusum dedit Comes Casp. Sternberg in opere suo postumo: Umrisse einer Geschichte der böhm. Bergwerke I. 2. Urkundenbuch 11 — 14.

CXLVIII.

Jura montanorum et montium civitatis Iglaviensis continuata et data sub sigillo civitatis ejusdem. S. d. (1247 — 9).

De iure montanorum et moncium. Statuimus ut quicquid urborarii de consilio iuratorum Iglauiensium in montibus uel Stollonibus aliquibus concesserint uel contulerint sub Sigillo eorum et urburariorum ratum habeatur absque ulla questione, et ubicunque mons uel stollo inuentus fuerit uel elaboratus de iure habebit in eo quod dicitur hangundez volgariter IIIJ laneum et in eo quod dicitur liegundez vnum laneum, altitudo et profundum in equali statura. Siquis autem nouum montem inuenerit, mensurentur ei VII lanei ex utraque parte domino regi vnus ex utraque burgensibus vnus. Inuentores uero montis dent mensuratoribus VII Solidos breues. „Hanc tamen mensuram hiis premissis condicionibus quilibet nouus „mons obtinebit. Si montis inuentor meatum suum a concessore iure de„bito suscepit licet alii circa ipsum metallum inueniant uel habeant, tamen „primus meatum susceptor ius suum obtinebit in eo uidelicet quod meatus „eius primo a iuratis secabitur. Sed si meatus eius mensura dignus non „fuerit ex tunc secundo meatum susceptori uel tercio in eadem minere „laborantibus eodem iure quo primo secabitur meatus et quicunque illorum „plures foueas in fundo per amfractus contiguatos habuerit Si laborantes „contra ipsum carere noluerint ius et ille qui est loco vrbariorum ipsum „compellent iuramento in medio instrumento quod dicitur runboum prestito „optinere, quod illum meatum ex tali fouea suscepit et per hoc obtinebit „quod iurati secent meatum suum et si iurati super fidem suam receperint, „quod in profunditate et in stollone tale metallum viderint et reliquerint „quod sit mensura dignum et examinatum super omnes expensas case det „adminus una calefaccio vnum fertonem, extunc mensuram sicut dictum est „ante debitam obtinebit. Item quilibet mons mensuratus XVI areas de „iure optinebit. Item quilibet mons in VII laneis ad minus tres foueas in „quolibet laneo tres acies. in qualibet concessione unam aciem pro iure „suo requirit nec vlterius compellatur. Et hec iura seruentur in nouis „montibus et stollonibus non hereditariis." Item quicunque laboraverit in latere vnius stollonis non hereditarii et metallum inuenerit mensurentur ei

de ipso loco inuentionis metalli VII lanei ad ius aliorum moncium. si vero ex consensu et scitu porrectoris meatuum et montium aliquis laborare incepit in eo quod dicitur stollo et metallum inuenerit ab illo loco nemo ipsum per IIIJ laneum ante eum et post eum impedire potest. *De stollonibus hereditariis.* Item mons vel stollo qui mensurati fuerint et postea deserti uisi fuerint Sex diebus dominicis proclamari debent ut hii quorum montes fuerint laborent in eis. Si vero VII die dominico transacto non inuenti fuerint laborantes ex tunc vrburarii assumtis iuratis proclamatos montes ascendant. et si ipsos desertos inuenerint vrburarii montes illos libere porrigere possunt cui uolunt absque omni impedimento. *Modus optinendi stollonem.* „Tali autem modo Stollo hereditarius ius suum obti„nebit Si cultor Stollonis aqueductum quod volgo Wazzerseige dicitur „sui Stollonis racionabiliter elaboret et foueas suas debito modo purgauerit „et infra anni spacium ad quantitatem vnius mensure quod claffter dicitur „in capite stollonis sui laborauerit et hoc demonstrare testibus poterit. „Ex tunc stollonem suum omni iure optinebit." Item si quis mons alium montem per aquam impediuerit Judici et magistro montis tribus diebus continue pronuncietur, quibus finitis si non fuerit interceptum mons impediens impedito monti approprietur iusticia requirente. Item si quis in stollone de consensu Judicis ciuium et magistri montis siue porrectoris meatuum laborauerit et ad mensuratum montem siue ad laneum ciuium peruenerit et ibidem laboratores inuenerit sine consensu eorum non transibit. Si autem consenserint ad mensuram vnius lachter transeat. Saluo tamen ivre suo videlicet quantum ipse in laneo ciuium cum stollone suo super se secauerit, et quantum eo lucri habuerit, absolute tenebit. Ita si prius in predicto laneo fuerit laboratum, in medio eciam lanei super profundius sedebit et quicquid lucri ferro mediocri subtus se contrahere poterit ad usus suos cedet. Item si burgenses postmodum Stollonem suum necessarium habuerint uel quicunque alii quartam partem expensis suis elaborans optinebit. Item vbicunque mons mensurandus fuerit impediente laneo ciuium quod ad minus IIIJ laneum optinere non poterit predicta mensura noui montis in metis lanei ciuiumsumat inicium et sic mensuram debitam optinebit VII laneorum. postea domino regi duo juratis duo mensurentur. „Si autem „intra duos montes mensuratos nouus mons inueniatur et debitam mensuram

„optinere possit. scilicet omnium laneorum tunc mensuretur. et si habita „mensura aliquid superfuerit scilicet duobus laneis ciuium quod dicitur „oberschar ad vsus cedat ciuium." Item si quis ut dictum est supra de consensu iudicis iuratorum et porrectoris moncium Stollonem iniciauerit et alter superueniens ante ipsum extra debitam mensuram IIIJ lanei per alium stollonem uel per quamcunque foueam prior metallum inuenerit, datis testibus et examinatis causis mensuram VII laneorum prior optinebit. *De mensura angulari.* Si circa aliquem montem uel Stollonem in ea parte que dicitur hangundez aut ligundez metallum inuentum fuerit de quo sit dubium vtrum infra mensuram VII laneorum uel extra fuerit et inter vtrosque cultores suboriatur concertatio de illo metallo optinendo. eligi debent III honesti uiri qui nec hiis nec illis in partibus communicent et quartus ex parte vrbariorum et hii IIII in cespide superius mensuram angularem deferant et iuste discernant. si litem subortam discutere possint. quod si fieri non poterit oportebit quod circa profundius illi duo meatus contiguentur per anfractum et illo anfractu per dictos IIII electos mensura trahatur angularis et secundum eorum iudicium illorum cultorum concertaciones terminentur. Medio autem tempore tam noui metalli inuentores quam alii pro metallo laborent quod tamen reseruari debet sub custodia ut quibuscunque iure per sepe dictos electos adjudicatum fuerit, illi optineant lite qualibet postergata. *Item ciuitatis Iglauiensis* ius exstat. ut quicquid in montibus circumquaque contigerit iudex montis in causis paruis iudicare habet. Si autem quisquam uolneratus fuerit vel interfectus iudex montis gladiis aut cultellis tantum acceptis alias omnes causas ciuitati resignabit iudicandas. Item quicquid iurati montis iuramentis suis iudici et iuratis ciuitatis presentauerint efficaciam optinebit. Item vrborarii in aliquo stollone hereditario sine consensu et scitu cultorum magistrum montis non instaurent.

Originale cum sigillo civitatis Iglaviensis in archivo ibidem. — Excusum ibidem pag. 15.

CXLIX.

Přemysl, marchio Moraviae, adjungit ecclesiae s. Petri Brunae ecclesiam in Kořjm (Gurein) cum plenis decimis et quibusdam laneis. Dt. apud Brunam, in die s. Blasii, 1250.

In nomine vnius nostri Iesu Christi amen. Premyzel dei gracia Marchio Morauie. Uniuersis Christi fidelibus hos apices inspecturis salutem in eo qui operatur in medio terre salutem. Ad sopiendum tocius ambiguitatis scrupulum noscat tam presens hominum etas quam in Christo successura posteritas quod nos ecclesiarum bona et iura cupientes non diminuere sed pocius adaugere et incrementis salutaribus uberius gaudere *ecclesiam in Churin ecclesie sancti Petri in monte site brunne* per uiolentos detentores olim sequestratam cum plenis decimis et quibusdam laneis dignum duximus perpetualiter adiungendam ita quod simul unite debeant inseparabiles permanere et dicta ecclesia in Churin ecclesie sancti Petri tamquam filia matri debeat subiacere. In cuius rei euidenciam et perpetuam firmitatem presens scriptum sigilli nostri karactere iussimus insigniri. Testes huius rei sunt hii Dominus Botscho Parduz Zudemirius frater suus Cherro Bohvsch filius suus Blvido filius Vnschonis Chadoldus orphanus Zmilo frater botschonis Iohannes pipa Benisch camerarius Lutzlaus de Rischan Theodoricus saxo et alii quam plures. Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. L. indictione octaua. Datum per manus notarii Willehelmi aput Brvnnam in die Sancti Blasii.

Ex originali in archivo monasterii Tiśnowicensis — cum sigillo illaeso.

CL.

Recognitio capituli Olomucensis super vendita cum consensu suo villa Přetoka in Boëmia sita monasterio Sedlecensi. Acta XVII. Kal. Aprilis, 1250.

Iohannes decanus. Nicolaus prepositus. totumque Olomucensis ecclesie capitulum. omnibus Christi fidelibus hanc litteram inspecturis. salutem in domino Iesu Christo. Cum ex racionabili et ordinata disposicione de

uirorum processerit industria prouidorum vt ea que uertuntur sub tempore ne labantur cum tempore. sed pocius perhennem efficaciam sorciantur testibus ydoneis relinquamus. et maxime littere. qwe est baculus memorie. veritatis inditium et certitudinis argumentum. Nouerint uniuersi tam presentis temporis homines quam futuri. quod dominus *Brvno* venerabilis in Christo pater et dominus noster. *Olomucensis* ecclesie episcopus. quodam se ecclesie sue et nostre necessitatis articulo immiscente villam *Prethoca* wlgariter nuncupatam sitam in Boemia. que ad sui episcopatus officium predecessorumque suorum pertinebat. cum omnibus attinentiis suis domino Cristano abbati Sedlecensi et ecclesie sue pro summa septuaginta marcarum de consensu nostro vendidit iure hereditario perpetuo possidendam. In cuius consensus nostri testimonium. ne per aliquos successores nostros hec venditio possit aliquatenus immutari. hoc presens scriptum ecclesie nostre sigillo iam dicto abbati et suis successoribus tradidimus roboratum. Acta sunt hec anno dominice incarnacionis M. CC. L. XVII. Kal. Aprilis. Testes huius rei sunt hii. Henricus abbas de Plaz. Winandus abbas de Ozzek. Bertholdus abbas de Pomuk. Modlik abbas de Hradisch. Paulus abbas de Vellegrad. Bartholomeus archidiaconus. Marquardus archidiaconus Znoymensis. Esav archidaconus Prerowiensis. Herardus. Gregorius. Iacobus. Alexius. Wilhelmus et Benes fratres de Podebrad. Sulizlaus filius Zwest de Pnetluk. Criho de Meidberk. Bochko burchrauius de Znoym. Milich camerarius Olomucensis. et alii quam plures quorum nominibus non est opus.

Ex originali in archivo procurat. fisci Pragae descripsit Fr. Palacky.

CLI.

Přemysl, marchio Moraviae, monasterio Welehradensi universa privilegia et instrumenta confirmat. Acta mense Aprili, 1250.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Amen. Nos Premizl dei gratia marchio Morauie claustro sancte Marie in *Welehrad* Cisterciensis ordinis et omnibus ibidem degentibus inperpetuum. Quoniam generatio preterit et generatio aduenit, et actiones humane sollempniter celebrate propter incertos rerum et temporum euentus solent cum tempore defluere et a memoria resecari, necesse est, vt ea, que sub tempore geruntur, lit-

teris et testibus perhennentur. Noscat igitur tam presens hominum etas, quam successura posteritas, quod nos specialis prerogatiua dilectionis claustrum Welhradense conplectentes, principaliter ob remedium anime nostre et assecutionem felicitatis eterne omniumque predecessorum nostrorum animabus salubriter prouidendo, vniuersa priuilegia aui nostri Premizl, qui et Otakarus, felicis memorie, fratris quoque sui Watizlai recordacionis pie, patris quoque nostri Wentzezlai serenissimi Boemorum regis, patrui nichilominus nostri Primizl, quondam marchionis Morauie, fratris etiam nostri vterini *Watizlai eciam marchionis Morauie*, et omnia instrumenta, que super donatione uel emptione quocunque pacto, quoue contractu haut scribendi modo ex parte episcoporum, clericorum, baronum, militum, aduenarum Welhradensis assecuta est ecclesia, de uerbo ad uerbum, de clausula ad clausulam, de articulo ad articulum iuxta tenorem et formam priuilegiorum et instrumentorum perpetualiter duximus confirmanda; perpetuantes eidem omnes donationes et gracias simulque et libertates, que sibi ex parte omnium predecessorum et consanguineorum pariter sunt inpense. In rei geste euidentiam et robur perpetuum presens priuilegium sigilli nostri karactere consignantes. Testes qui huic actioni interfuerunt, nominetenus subscribendo: Rubertus abbas Gradicensis. Iohannes decanus Olomucensis et frater suus Gerardus. Nycolaus prepositus. Bartholomeus archidiaconus. Gregorius custos. Esav archidiaconus Prerowiensis cum fratre Blascone. Symon. Alexius et alter Alexius Olomucenses canonici. Pardus camerarius Olomucensis. Cirho burgrauius. Zlaua iudex. Stephanus. Chirsic. Blud filius Onsonis. Martinus de Prekas. Beneda. Zpitata. Ratiborius de Belkouic. Hilge. Lambertus cum filiis suis velen et Imrammo Olomucenses. Ianco. Imrammus. Luzlaus. Dywis. Groznata. Woizlaus. Florianus milites curie. Tuirdise. Zudomirus cum filio suo Twrdisa. Bosco burgrauius Znomensis. Zmil. Chuno castellanus de zuzinou. Thomas Olomucensis notarius. Victor plebanus de Noua ciuitate. Gaudentius. Woizlaus. Godfridus. Heinricus capellani curie et alii quam plures. Acta sunt hec anno dominice incarnationis MCC quinquagesimo, mense Aprili, indictione VIII. Datum per manum Willhelmi notarii curie nostre.

Ex originali, cujus sigillum avulsum est, in arch. c. r. aulico Vindobonae. — Codex Welehrad. f. 13.

CLII.

Wenceslaus, rex Boëmiae, monasterio Welehradensi privilegia Roberti, episcopi Olomucensis, super decimis ratihabet et confirmat. Dt. Brunae, in festo s. Francisci, **1250.**

W.(enceslaus) dei gracia rex Boemie viris religiosis abbati et conuentui in *Welegrad* Cysterciensis ordinis anime sue paranimphis. defensionis ac gracie sue omnimodam vbertatem. Qvia largitor omnium bonorum deus. dives in omnes. iuxta largitatis sue moderamen. nos pro fastu seculi quam pluribus prestanciores constituit. collata nobis divinitus beneficia. ad fovendos. et promovendos. ac defensandos dei seruos. merito nos invitant. Ecclesie igitur Welegradensis. que a deuotis progenitoribus nostris. necnon a nobis fontalem trahit originem. fundacionem ac fundacionis libertatem cognoscentes in integrum. venerabilis quoque patris Rvoperti. tunc Olomucensis ecclesie episcopi. necnon et eiusdem loci capituli vnanimi consensu cognito. super decimis. quibus ecclesia Welegradensis cathedrali tenebatur ecclesie. plenum perhibemus testimonium. quod antedictus episcopus. prenotatum quoque capitulum. in remissionem suorum peccaminum et remedium animarum suarum et progenitorum suorum ivri suo, quod in predictis decimis habere videbantur renunciarunt absolute. in fauorem et subsidium ecclesie memorate. Ne igitur aliquis successor domini R.(uperti) quondam Olomucensis episcopi. cuius tempore vestra fundata et consecrata est ecclesia. contra vos in requirendis decimis malignandi sumat materiam. volumus et sub optentv gracie nostre uobis districtissime prohibemus. quatenus nulli hominum metus vel gracie respectu. clerico vel layco. sine nostro speciali consilio. aliquas decimas persoluatis. ne per vestram pusillanimitam ecclesiam adeo liberam contingat aliquatenus ancillari. Sciatis. quod faciendo oppositum. ab auxilio. fauore et regali gracia omnino eritis alieni. Data in Berne anno gracie M. CC. L. in festo sancti Francisci.

Ex originali ejusdem monasterii cum sigillo laeso bilaterali. — Codex Welehradensis f. 41.

CLIII.

Innocentius papa IV. fratribus hospitalis s. Francisci signum crucis et stellae concedit. Dt. Lugduni, IV. Idus Octobris, 1250.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. Venerabili fratri . . episcopo Pragensi salutem et apostolicam benedictionem. Precibus dilecte filie in Christo Agnetis sororis monasterii s. Francisci ordinis s. Damiani Pragensis, de cuius bonis hospitale ipsius monasterii, immediate ad apostolicam sedem pertinens, constructum dinoscitur, benignum impertientes assensum, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus magistro et fratribus eiusdem hospitalis, si expedire videris, deferendi signum congruum, quod tibi videbitur, concedens auctoritate nostra liberam facultatem. Datum Lugduni IV. Idus Octobris; pontificatus nostri anno octauo.

Dobner — Annales T. VII. MSS.

CLIV.

Idem Wissegradensi praeposito mandat, ut monasterium Welehradense adversus invasores tueatur. Dt. Lugduni, XI. Kal. Decembris, 1250.

Innocencius episcopus seruus seruorum dei. Dilecto filio . . decano ecclesie Wissegradensis, Pragensis diocesis salutem et apostolicam benediccionem. Ne dilecti filii . . abbas et conuentus *Welegradensis,* Cisterciensis ordinis, Olomucensis diocesis, a sancte contemplacionis ocio, cui se totaliter deuouerunt, propter sollicitudinem bonorum temporalium, in quibus nonnulli, qui nomine donum recipere in vacuum non formidant, eos multipliciter, vt asserunt, inquietant, desistere compellantur; nos volentes eorundem abbatis et conuentus prouidere quieti et molestancium maliciis obuiare, discrecioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus, ipsis aduersus inuasorum, predonum et raptorum audaciam efficaciter presidio defensionis assistens, non permittas eos contra indulta priuilegiorum sedis apostolice ab aliquibus indebite molestari, molestatores huiusmodi per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Datum Lugduni, XI. Kal. Decembris. Pontificatus nostri anno octauo.

Apographum in codice Welehrad. f. 113.

CLV.

Idem monasterium Welehradense in suam et s. Petri protectionem suscipit, eique omnes libertates et possessiones confirmat. Dt. Lugduni, XV. Kal. Januarii, 1250.

Innocencius episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis abbati monasterii de *Welegrad* eiusque fratribus tam presentibus, quam futuris regularem vitam professis inperpetuum. Religiosam vitam eligentibus apostolicum conuenit adesse presidium, ne forte cuiuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito reuocet, aut robur, quod absit, sacre religionis infringat. Ea propter dilecti in domino filii vestris iustis postulacionibus annuimus et monasterium sancte dei genitricis et virginis Marie de Welegrat, Olomucensis diocesis, in quo diuino estis obsequio mancipati, sub beati Petri et nostram proteccionem suscipimus et presentis scripti priuilegio communimus. Inprimis siquidem statuentes, vt ordo monasticus, qui secundum deum et beati Benedicti regulam ac institucionem Cisterciensium fratrum a uobis post concilium generale susceptam, in eodem monasterio institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur. Preterea quascunque possessiones, quecunque bona idem monasterium inpresenciarum iuste ac canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largicione regum vel principum, oblacione fidelium seu aliis iustis modis prestante domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis: Locum ipsum, in quo prefatum monasterium situm est cum omnibus pertinenciis suis; villasque *Welerat, Maratici, Iarosoue, Cnespole, Popowicz, Sucowicz, Vstenewicz, Babice,* Bebuc (?), *Tisan, Prist, Popowicz, Doloplaz, Roslin, Zetogewicz, Tupici, Ceichowe, Borscicz, Vgest, Wasan, Polisowicz, Costelen, Naconicz, Domanin, Wacenowicz, Misterin, Potwaric, Briduc, Nemscicz, Conowicz, Altbrunna, Otrawicz, Wisew, Vrisan, Lubicz, Wlkowicz, Sliboricz, Ieskendorf, Hlawenicz, Sczadec, Iamenicz, Ekkardisdorf, Hermansdorf, Bratrigsdorf, Mladotsdorf, Turkowe, Clebiczslowe, Hoscicz, Wiczlasic, Cremon, Balaticz, Piscz, Had, Darkendorf, Pauwel, Luscicz et Sibodesdorf* nuncupantur cum omnibus pertinenciis earundem, quas idem monasterium antequam Cisterciensium fratrum instituta susciperet possidebat,

cum terris, pratis, vineis, nemoribus, usuagiis et pascuis in bosco et plano, in aquis et molendinis, in viis semitis et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis. Sane noualium vestrorum, que propriis manibus aut sumptibus colitis, de quibus noualibus aliquis hactenus non percipit, siue de ortis, virgultis et piscacionibus uestris uel de nutrimentis animalium vestrorum nullus a vobis decimas exigere vel extorquere presumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos liberos et absolutos e seculo fugientes ad conuersionem recipere et eos absque contradiccione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum post factam in monasterio uestro professionem fas sit sine abbatis sui licencia de eodem loco discedere; discedentem vero absque communium litterarum vestrarum caucione nullus audeat retinere; quod si quis retinere presumpserit, licitum vobis sit in ipsos monachos vel conuersos regulares sentenciam promulgare. Illud districcius inhibentes, ne terras seu quodlibet beneficium ecclesie vestre collatum liceat alicui personaliter dare seu alio modo alienare absque consensu tocius capituli vel maioris aut sanioris partis ipsius. Si que vero donaciones vel alienaciones aliter, quam dictum est, facte fuerint, eas irritas esse censemus. Ad hec eciam prohibemus ne aliquis monachus siue conuersus sub professione vestre domus astrictus sine consensu et licencia abbatis et maioris partis vestri capituli pro aliquo fideiubeat, vel ab aliquo pecuniam mutuo accipiat ultra precium capituli vestri prouidencia constitutum, nisi propter manifestam domus vestre vtilitatem; quod si facere presumpserit, non teneatur conuentus pro hiis aliquatenus respondere. Licitum preterea sit vobis in causis propriis, siue ciuilem siue criminalem contineant questionem fratrum vestrorum testimoniis vti, ne pro defectu testium ius vestrum in aliquo valeat deperire. Insuper auctoritate apostolica inhibemus, ne ullus episcopus vel alia quelibet persona ad sinodos vel conuentus forenses vos ire, vel iudicio seculari de propria substancia vel possessionibus vestris subiacere compellat, ne ad domos vestras causa ordines celebrandi, causas tractandi, vel conuentus aliquos publicos conuocandi venire presumat, nec regularem abbatis vestri eleccionem impediat, aut de instituendo vel remouendo eo, qui pro tempore fuerit, contra statuta Cisterciensis ordinis se aliquatenus intromittat. Si vero episcopus, in cuius parochia domus vestra fundata est, cum humilitate ac deuocione, qua con-

uenit, requisitus substitutum abbatem benedicere et alia, que ad officium episcopale pertinent, vobis conferre renueret, licitum sit eidem abbati, si tamen sacerdos fuerit, proprios nouicios benedicere et alia, que ad officium suum pertinent, exercere, et vobis omnia ab alio episcopo percipere, que a vestro fuerint indebite denegata. Illud adicientes, vt in recipiendis professionibus, que a benedictis vel a benedicendis abbatibus exhibentur, ea sint episcopi forma et expressione contenti, que ab origine ordinis noscitur instituta, vt scilicet abbates ipsi episcopo saluo ordine suo profiteri debeant, et contra statuta ordinis sui nullam professionem facere compellantur. Pro consecracione vero altarium vel ecclesiarum, siue pro oleo sancto, vel quolibet alio ecclesiastico sacramento nullus a vobis sub obtentu consuetudinis vel alio modo quidquam audeat extorquere, sed hec omnia gratis vobis episcopus diocesanus impendat, alioquin liceat vobis, quecunque malueritis, catholicum adire antistitem graciam et communionem apostolice sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate, vobis quod postulatis impendat. Quod si sedes diocesani episcopi forte vacauerit, interim omnia ecclesiastica sacramenta a vicinis episcopis accipere libere et absque contradiccione possitis, sic tamen, ut ex hoc in posterum propriis episcopis nullum preiudicium generetur. Quia vero interdum propriorum episcoporum copiam non habetis, si quem episcopum Romane sedis, vt diximus communionem habentem et de quo plenam noticiam habeatis, per uos transire contigerit, ab eo benedicciones vasorum et vestium, consecraciones altarium, ordinaciones monachorum auctoritate apostolice sedis recipere valeatis. Porro si episcopi vel alii ecclesiarum rectores in monasterium vestrum vel personas inibi constitutas suspensionis, excommunicacionis vel interdicti sentenciam promulgauerint, siue eciam in mercennarios vestros pro eo, quod decimas non soluitis, siue aliqua eorum, que ab apostolica benignitate vobis indulta sunt, seu benefactores vestros pro eo, quod aliqua vobis beneficia vel obsequia ex caritate prestiterint, vel ad laborandum aduenerint in illis diebus in quibus vos laboratis et alii feriantur, eandem sentenciam protulerint, ipsam tamquam contra sedis apostolice indulta prolatam duximus irritandam. Nec littere ulle firmitatem habeant, quas tacito nomine Cisterciensis ordinis et contra tenorem apostolicorum priuilegiorum constiterit impetrari. Preterea cum commune interdictum terre fuerit, liceat vobis

nichilominus in vestro monasterio exclusis excommunicatis et interdictis diuina officia celebrare. Paci quoque ac tranquillitati vestre paterna in posterum sollicitudine prouidere uolentes auctoritate apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere vel interficere, seu violenciam audeat exercere. Preterea omnes libertates et immunitates a predecessoribus nostris Romanis pontificibus ordini vestro concessas nec non et exempciones secularium exaccionum a regibus et principibus vel aliis fidelibus racionabiliter vobis indultas auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti priuilegio communimus. Decernimus ergo, vt nulli omnino hominum liceat prefatum monasterium temere perturbare aut eius possessiones aufferre, vel ablatas retinere, seu quibuslibet vexacionibus fatigare: sed omnia integra conseruentur eorum, pro quorum gubernacione ac sustentacione concessa sunt, vsibus omnimodis profutura, salua sedis apostolice auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisque persona hanc nostre constitucionis paginam sciens, contra eam temere venire temptauerit, secundo tercioue commonita, nisi reatum suum congrua satisfaccione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore ac sanguine dei et domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte subiaceat vlcioni. Cunctis autem, eidem loco sua iura seruantibus, sit pax domini nostri Iesu Christi, quatinus et hic fructum bone accionis percipiant, et aput districtum iudicem premia eterne pacis inueniant. Amen. Datum Lugduni per manum magistri Martini sancte Romane ecclesie vicecancellarii XV. Kalend. Ianuarii, indiccione VIIII. incarnacionis dominice anno MCCL. Pontificatus vero domini Innocencii pape IIII. anno octauo.

Apographum in codice Welehrad. f. 21.

CLVI.

Přemysl, marchio Moraviae, confirmat ecclesiae Olomucensi emtionem haereditatis Brumowice. Act. Brunae in die b. Thomae, **1250.**

Primuzil. dei gratia Marchio Morauie. omnibus in perpetuum. Quoniam currentium uolubilitas temporum gesta mortalium pleraque. uetustatis nubibus obfuscat. ea que de ordinatione. seu consensu nostro. recordatione digna geruntur. scriptis autenticis. tam ad rei memoriam. quam explanationem. censuimus utiliter annotanda. Proinde presentium tenore notum esse uolumus tam posteris quam modernis. quod venerabilis in Christo pater dominus *Bruno Episcopus Olomucensis. a dilecto fideli nostro. Cononе fratre Bocekonis. hereditatem Brumowiz. quam ipsi pro capliuitate sua. quam in Austria in seruicio nostro pertulit.* contuleramus. ecclesie sue Olomucensi inperpetuum iure proprii. cum attinentiis omnibus. emptionis titulo comparauit. et hoc de nostra et dicti Cononis heredum. conscientia et consensu. Idem eciam Cono precium pro predicta hereditate. videlicet centum et sexaginta marcas argenti. a prefato domino Episcopo se iam recepisse. in nostra audientia est professus. Insuper ad maiorem euidenciam et cautelam. emptionem talem sicut rite facta est de potestate nostra presentibus confirmamus. de liberaliori gratia. omnem iurisdicionem temporalem quam in eadem hereditate obtinuimus. prefato domino episcopo Brunoni suisque successoribus inperpetuum relinquentes. Quod autem premissa omnia robur obtineant perpetue firmitatis. et quod nullus tempore procedente contra confirmationem nostram uenire presumat. presentem paginam inde confectam sigilli nostri munimine iussimus roborari. Actum Brunne. Anno domini Millesimo ducentesimo. quinquagesimo. in die Thome apostoli. Presentibus hiis testibus. Wetigone de noua Domo. Sdizlao de Sterenberch. Bocekone. Cirhone. Parduzone. Beneda. Bohusone. Cirhonis filio. Conrado de Klinghenberc. Martino de Olomuz. et aliis quam pluribus. Datum per manum magistri Willemmi curie nostre notarii. die ac loco prefatis.

Ex originali in archivo Cremsiriensi. — Sigillum appendet equestre consuetum, cujus scuti insigne est leo bicaudatus. — Apogr. in codicibus Olomucensi I. membr. f. 20. et Cremsiriensi D. III.

CLVII.

Idem civibus Olomucensibus donationem suam fratribus Praedicatoribus ibidem factam insinuat. (cc. 1250).

P.(remysl) dei gratia Marchio Morauie Iudici et ciuibus uniuersis aput *Olomucz* constitutis gratiam suam et omne bonum. Quia fratribus predicatoribus pro parentum nostrorum remedio et salute uiam que est a tergo dormitorii contulimus. curias uero que usque ad aquam protenduntur facultatem dedimus redimendi. Inhibemus igitur ne quisquam fratres memoratos super eadem donatione audeat inpetere uel grauare alioquin offensam nostram se grauiter nouerit incurrisse. Et hoc idem comisimus nobilibus nostris Parduzoni camerario et Zlaue iudici prouincie Olomucensis.

Ex originali ejusdem monasterii. — Sigillum avulsum.

CLVIII.

Robertus, abbas Gradicensis, Weljčio et Štědroni de Uhřec confert silvam ad fluvium Skřjpowý jacentem ad locandam villam Weljčina Lhota. Dt. in claustro Hradiště, 1250.

In nomine patris et filii et spiritus sancti amen. Notum sit omnibus, presentem paginam inspecturis, quod nos Robertus, abbas sancti monasterii beati Stephani in *Gradiss,* contulimus iure hereditario duobus fratribus uterinis Welizio et Stedroni in Vhrez uilla residentibus siluam quandam circa fluuium, qui uocatur Skrypouy, iacentem, pro qua uidelicet sylua sepissime certauimus cum domino Hermanno de Letouicz; et ne ulterius certamen oriretur, dedimus auxiliante diuina misericordia, ut predicti duo serui nostri locarent ibidem uillam ipsis, ipsorum filiis et posteris ad utilitatem, et ut eadem uilla *Veliczynalhota* nuncuparetur, et ut libertatem haberet uilla supradicta annis triginta minus duobus, et quotquot ibidem laneos compararent, semper decimus laneus liber esset, et non censuaret. Si autem noster successor, quem deus eligeret, uillam sibi uellet usurpare, tunc pro quolibet libero laneo quinque marcas eisdem seruis uel ipsorum posteris reddet, et ipsi seruirent, cui libere uellent. Et hoc fecimus de

consilio conuentus nostri et fratrum et testium, qui nunc nominabuntur: Andreas prior, supprior Zirak, Twrczan sacrista, Swatosius clauiger, Gregorius camerarius, Thomas plebanus de Naklis, Bohdalcius laicus camerarius, Simon pincerna, Matthias carpentarius. Datum in claustro Gradiscz, anno domini M. CC. L.

Ex Annalibus Gradicensibus MSS.

CLIX.

Přemysl, marchio Moraviae, hospitali domus s. Joannis in Antiqua Bruna confert tabernam exemtam. Dt. apud Znoym, VIII. Idus Januarii, 1251.

†. In nomine domini Amen. Premyzl dei gracia marchio Moravie. Hospitali sancti *Antonii (correctum serius pro s. Spiritus) in antiqua Brunna* et vniuersis degentibus ibidem in perpetuum. Quoniam que geruntur sub tempore labuntur cum tempore et a memoria resecantur principali prouidencie congruit. gesta propria et statuta uoce testium et litteris perhennare. Ad repellendam igitur nebulam tocius ambiguitatis noscant tam presentes quam futuri. quod nos hospitali prefato tabernam in antiqua Brunna perpetualiter indulsimus habendam. et a beneficiariorum infestatione. et a camerariorum citatione. et preconum inpulsatione. et precipue a ciuium Brunnensium. quouis grauamine duximus absoluendam. ab omnibus iniuriis et uiolenciis et collectis eximentes eandem et breuiter possessorem ipsius taberne omnimodo fecimus perpetualiter gaudere libertate. In cuius rei argumentum et perpetuam libertatis concessionem presens scriptum sigilli nostri karactere iussimus insigniri. Testes autem huius rei sunt hii Cyrho Burchgrawius Olomucensis. Bochco Burchgrawius Znoymensis. Zmyl. et Lupus. et Marquardus castellani Znoymenses. Rudgerus miles. Woyzlaus miles. Pyrcos. Stephanus de Medlow. Bvdyzlaus. Wirss. et Bun. fratres. Chazlaus iunior subdapifer. Iohannes Zoff. Fridericus subpincerna. Alter Fridericus subcamerarius. Detricus seruus et alii quam plures. Acta autem sunt hec anno dominice incarnationis Millesimo. CC. L. I. VIIII. indictionis.

Datum apud Znoym per manum Wilhalmi curie nostre notarii VIII. Idus Ianuarii.

Ex originali in archivo Melitensium Pragae. — Sigillum avulsum.

CLX.

Idem monasterio in Plaz confirmat possessionem villae „Schela". Dt. apud Pragam, VII. Kal. Februarii, 1251.

In nomine sancte trinitatis et individue unitatis amen. Nos Premizl dei gracia marchio Moravie. natus Wenczezlay. illustris regis Boemorum. claustro in Plaz. et uniuersis degentibus ibidem. ad rei memoriam sempiternam. Cum mortalium fluxa et labilis sit memoria et propter ambiguos rerum et temporum eventus et causarum diuersitates quibus humana fragilitas a veritate rerum gestarum plerumque deuiet et recedat. modernorum obtinuit consuetudo. utilis et honesta. vt que fiunt racionabiliter. voce testium et litteris perhennentur. Noscat igitur tam presens hominum etas. quam in Christo successura posteritas. quod nos concambium patris nostri Wenczezlay illustris regis Boemorum. quod fecit cum venerabili domino Henrico abbate Plazensi. et toto conventu. de villa Cozlan. quam ipsis contulerat. tum pro ducentis marcis puri argenti quibus eis erat obligatus. tum eciam pro remedio anime patris sui. simul et sue. qua possessione propter nemus venacioni aptum. quia carere de facili nequiuit. nec ipsis hoc idem cautum et vtile perspexit. habito consilio. ad instanciam predicti abbatis et fratrum suorum. aliam possessionem que Schela dicitur. absolute cum pratis. agris. campis. siluis. aquis. piscacionibus. et omnibus attinentiis. eodem modo et causa prelibata. ipsis et eorum vtilitati. in perpetuum deseruiendam manu potestativa simul et supplici. super aram sancte dei genitricis porrecta contulit possidendam. de verbo ad verbum. de clausula ad clausulam. iuxta priuilegium antefati patris nostri. claustro pretacto. iure hereditario duximus confirmandum. Ne igitur tam solempnis confirmacio nostra. in posterum aliquam calumpniam patiatur. presens scriptum sigilli nostri munimine iussimus roborari. Testes autem huius rei sunt hii. Criho. burchrauius Olomucensis. Iarozlaus et Gallus fratres filii Marquardi. Kadoldus orphanus. Smil burch-

rauius Pragensis. Immerammus marsalcus. Magister Dyonisius prepositus Wissegradensis. Henricus frater Castolay. Sobezlaus subdapifer. Neuhlas submarsalcus. Bawarus pincerna. Wecomitus de Wserob. Detricus de Hunchice. De Theutonicis. burchrauius de Aldenburch. Conradus de Steinbach. Heruicus de Dycin. Bernhardus cum fratribus suis Conrado. Rynardo et alii quam plures. Acta sunt hec. anno dominice incarnacionis M. CC. L. I. Indictione IX. Datum apud Pragam. per manum Wilhemmi. curie nostre notarii VII. Kal. Februarii.

Ex originali in archivo c. r. aulico Vindobonae. — Sigillum „Premizl filii regis Boemorum marchionis Morauie" equestre consuetum appendet.

CLXI.

Gertrudis, ducissa Austriae et Styriae, monasterio in Altenburg pro damnis eidem a marito suo quondam Hermanno illatis confert ecclesiam in Rorenbach. Acta Wiennae, feria II. post Purificationem, 1251.

Hormayr — Taschenbuch 1828. pag. 207.

CLXII.

Přemysl, marchio Moraviae, confirmat monasterio Rayhradensi possessionem thelonei et fori in Kunowice et in Brod. Dt. in Němčice, mense Martio, 1251.

In nomine domini amen. Premisl, dei gracia marchio Morauiensis, cenobio in *Raygrade* uniuersisque fratribus deo ibidem seruientibus ad rei memoriam sempiternam. Quoniam discretio mater virtutum est, suadet necessitas, blanditur utilitas, quamlibet actionem legitimam ipsius moderatione gubernari, ut mortalis memorie defectum suppleat viuacis littere testimonium rei seriem representans. Noscat igitur tam presens hominum etas, quam in Christo successura posteritas hos apices inspectura, quod nos donationem thelonei decime septimane et fori decimi in *Chunouitz* et in *Brod* cenobio in Raygrad et fratribus deo ibidem deuote seruientibus a retro longis

temporibus per progenitores nostros collatam pro animarum dictorum progenitorum nostrorum remedio et salute confirmamus libere et liberaliter in perpetuum possidenda. In cuius rei euidentiam et donationis supra scripte nostreque confirmationis perpetuam firmitatem, ne super hiis de cetero possit aliqua calumpnia suboriri, presentem litteram conscribi, et conscriptam nostri sigilli charactere iussimus consigniri. Testes, qui huic facto interfuerunt, presenti scripto inserentes, quorum nomina subsequuntur: Cirh. Buhose filius suus. Bozko cum fratribus suis Zmilone, Chunone et Miculone. Parduz, Olomucensis camerarius, et frater eius Zudomirus. Miliz cum fratribus suis Zlauiboro et Idikone. Beneda. Zlaua. Blico. Lambert. Benes subcamerarius. Gaudentius. Iacob. Lambertus. Woylaus, curie nostre capellani. Acta sunt hec anno gracie MCCLI. Mense Martio. Indictione IX. Datum Nemciz per manum Willhalmi, curie nostre notarii, decimo Kalendas Aprilis.

Ex analectis Prof. Wolný.

CLXIII.

Idem confirmat ecclesiae Olomucensi possessionem quatuor mansorum in Vdrlice, a Zdislao, quondam praeposito Brunensi, legatorum. Dt. in Znoym, XVII. Kal. Junii, 1251.

In nomine sancte trinitatis et indiuidue vnitatis. Premizl, Wenceslai, illustris regis Boemorum filius, dei gracia Marchio Morauorum. Decano et capitulo *Olomucensis* ecclesie imperpetuum. Cum iuxta Salomonis eloquium cuncta, que sub sole mouentur, subiaceant vanitati, solers adinuenit hominum prudencia, vt que geruntur sub tempore, ne tempore pretereunte labantur, viuacis littere testimonio perhennentur. Presentibus itaque seu posteris, scripti huius inspeccionem et copiam habituris, exhibicione huius pagine duximus declarandum, quod ad instanciam honestorum virorum, decani et capituli Olomucensis ecclesie nobis in domino reuerendi, priuilegium patrui nostri felicis recordacionis Premizl, incliti quondam Marchionis Morauorum, super donacione seu recompensacione quatuor mansorum Gradicensium in villa, que *Vdrilice* vulgariter nuncupatur, qui ecclesie Olomucensi ex legato domini Zdislai, quondam prepositi Brunnensis, cesserunt, nec non

ob specialem deuocionem et instanciam Gregorii, dilecti capellani nostri, Olomucensis canonici, qui in eisdem bonis iure canonie successit, huic pagine ad uerbum statuimus inserendum, quod taliter incipitur et finitur: In nomine et cetera. Datum et cetera. Nos igitur pie deuocionis desiderio excitati, donacionem seu recompensacionem quatuor mansorum Gradicensium in villa Vdrilice, prout in nostri patrui Premizl priuilegio super hoc confecto plenius continetur, confisi, de speciali gracia patris nostri Wencezlai, regis incliti Boemorum, Olomucensi ecclesie nostre liberalitatis priuilegio cum appensione sigilli nostri et subscripcione testium imperpetuum confirmamus. Huius rei testes sunt: Pardus, camerarius Olomucensis. Beneda, magister venatorum. Spitata. Slaua iudex. Bludo Olomucensis castellanus. Boceko, castellanus Znoymensis, cum pluribus eiusdem castri castrensibus. Sudomirus, filius Sudomiri, camerarius Brecyslauensis. Ratyborius de Belkouice. Pardus, filius Fabiani. Lasco. Sulizlaus, filius Protiuen ect. Datum in Znoym anno domini Millesimo CC. L. I. XVII. Kalendas Iunii. Indiccione IX. concurrente VI.

E codicibus Olomucensi I. fol. 20. — et Cremsiriensi D. VII.

CLXIV.

Idem monasterio Gradicensi concedit civitatem Hranice locandam cum foro ibidem IV. feria; nec non confirmat possessionem terrae camerariorum in Topolan, quam monasterio Bohuš de Gedownice contulit. Dt. in Znoym, XIV. Kal. Junii, 1251.

In nomine sancte trinitatis et indiuidue unitatis amen. Premisl, dei gracia marchio Morauie, ecclesie *Gradicensi,* ordinis Premonstratensis, Olomucensis diocesis, et fratribus tam presentibus, quam futuris regularem uitam ibi professis in perpetuum. Cum ex nostre principalis autoritatis clementia cunctorum profectui nos extendere debeamus, maxime uero uiris a probitate religionis commendatis et domesticis fidei, qui pro statu matris ecclesie gubernatori omnium iugi famulamine deuotius insistunt supplicando, manum pie consolationis impendere teneamur, quatenus in bonis crescant spiritualibus, progressum accipiant in mundanis. Nouerint itaque vniuersi

presens scriptum inspecturi, quod nos ex nostre principalis liberalitatis gracia prefate ecclesie et fratribus ibidem degentibus ad ampliorem eorum sustentationem, et ob ipsorum orationum recompensationem, quibus participes fieri cupimus, *ciuitatem in Hranicz*, et forum ibidem quarta feria perenniter eis concessimus statuendum; uolentes, ut eiusdem ciuitatis homines, ac ipsa ciuitas eo pleno iure gaudeant, quo omnes ciuitates ad nos uel nostros successores spectantes solent gaudere. Vt autem hec nostre dignitatis concessio robur obtineat firmitatis, et perpetuo maneat inconcussa, hanc nostre beneuolentie paginam sigillo nostro duximus eternandam. Huius rei testes sunt: Bochko, castellanus Znoymensis, et Smil, frater eius. Pardus camerarius, et Bohussa, filius Chergonis, castellanus Olomucensis. Beness, filius Wockonis subcamerarius. Milich cum fratre suo Egidio. Slawa iudex. Bludo castellanus Prerouiensis. Spitata. Stephanus et Iarossius, tunc nuntius de Boemia ex parte domini regis missus ad dominum marchionem, et alii quam plures, quorum nomina presenti in libello scripta non habentur. Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. LI. Indictione decima, decimoquarto Kalendas Iunii. Preterea eodem tempore et die Bohussa de Iedouicz nostri culminis accedens ad presentiam terram camerariorum in *Topolan* ad castellaniam prius Olomucensem spectantem, quam postea Cherho, pater suus pie memorie, pro sue multiplicis fidelitatis seruitio se uiuente sibi et suis heredibus apud nostram graciam promeruit in proprietatem, ipse pro remedio anime patris sui et sui ipsius ac suorum cunctorum progenitorum in memoriale eam ecclesie Gradicensi et usui fratrum ibi degentium obtulit coram nobis et baronibus subscriptis perpetuo possidendam; quod nos ratificantes confirmauimus, et presenti scripto duximus inserendum, adiicientes etiam, quod nullus castrensium, uel beneficiariorum, uel etiam ciuium, uel cuiuscunque conditionis hominum in fluuii Morauе diuisionibus spectantibus ad ecclesiam Gradicensem audeat piscari absque licentia abbatis dicte ecclesie uel sui procuratoris; hoc firmiter statuentes, ut, quicunque huius nostre concessionis uiolatores extiterint, noscant, se in cameram nostram decem marcas argenti. Datum in Znoym per manus magistri Wilhelmi, nostri notarii.

Ex Annalibus Gradicensibus MSs.

esens scriptum inspecturi, quod nos ex nostre principalis liberalitatis
acia prefate ecclesie et fratribus ibidem degentibus ad ampliorem eorum
stentationem, et ob ipsorum orationum recompensationem, quibus parti-
pes fieri cupimus, *ciuitatem in Hrunicz*, et forum ibidem quarta feria
renniter eis concessimus statuendum; nolentes, ut eiusdem ciuitatis ho-
nes, ac ipsa ciuitas eo pleno iure gaudeant, quo omnes ciuitates ad nos
l nostros successores spectantes solent gaudere. Vt autem hec nostre
gnitatis concessio robur obtineat firmitatis, et perpetuo maneat inconcussa,
nc nostre benenolentie paginam sigillo nostro duximus eternandam.
uius rei testes sunt: Bochko, castellanus Znoymensis, et Smil, frater
us. Pardus camerarius, et Bohussa, filius Chergouis, castellanus Olomu-
ensis. Beness, filius Wockonis subcamerarius. Milich cum fratre suo Egidio.
lawa iudex. Bludo castellanus Pruntensis. Spitata. Stephanus et Iaros-
us, tunc nuntius de Boemia ex parte domini regis missus ad dominum
archionem, et alii quam plures, quorum nomina presenti in libello scripta
on habentur. Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. LI.
ndictione decima, decimoquarto Kalendas Iunii. *Preterea eodem tempore*
t die Bohussa de Iedouicz nostri culminis accedens ad presentiam terram
amerariorum in *Topolan* ad castellaniam prius Olomucensem spectantem,
uam postea Cherho, pater suus pie memorie, pro sue multiplicis fidelitatis
eruitio se uiuente sibi et suis heredibus apud nostram graciam promeruit
proprietatem, ipse pro remedio anime patris sui et sui ipsius ac suorum
unctorum progenitorum in memoriale eam ecclesie Gradicensi et suis
atrum ibi degentium obtulit coram nobis et baronibus subscriptis perpetuo
ossidendam; quod nos ratificantes confirmauimus, et presenti scripto duxi-
us inserendum, adiicientes etiam, quod nullus castrensium, uel beneficia-
orum, uel etiam ciuium, uel cuiuscunque conditionis hominum in fluuii
lorane diuisionibus spectantibus ad ecclesiam Gradicensem audeat piscari
sque licentia abbatis dicte ecclesie uel sui procuratoris; hoc firmiter
atuentes, ut, quicunque huius nostre concessionis violatores exiterint,
scant, se in cameram nostram decem marcas argenti. Datum in Znoym
r manus magistri Wilhelmi, nostri notarii.

Ex Annalibus Gradicensibus MSc.

CLXV.

Idem officialibus suis mandat, ut theloneum in Usow civitati Uničow (Neustadl) in reparationem post obsidionem Tartarorum concessum, a negotiantibus euitari non permittant. Dt. Znoymae, Idibus Junii, 1251.

P.(remisl) dei gratia marchio Morauie. Dilectis nobilibus P. camerario. C. burgrauio. Slaue iudici ceterisque beneficiariis prouincie Olomucensis gratiam nostram et omne bonum. Quoniam fidelibus ciuibus nostris de *Vniczoue in reparationem ciuitatis ipsorum per obsidionem Tartarorum admodum lese* aliqualiter succurrentes, eorumque fidelitati in expositione corporum et bonorum pro defensione terre nostre Morauie exhibite recompensare premialiter uolentes prouentum thelonei nostri in *Vsow* ad certum temporis spacium statim in introitu regni nostri contuleramus liberaliter et gratiose, uobis committimus et mandato nostro precipimus, quatinus omnes homines negotiantes cum mercimoniis suis e Bohemia in Olomucz et uiceuersa transeuntes theloneum nostrum predictum euitare uel a uia per *Lutouiam, Vzow,* et *Tribouiam* ducente declinare nullo modo permittatis iniungentes penam V. marcarum in omnes, qui secus facere presumpserint. Datum Znoyme, Idibus Iunii anno domini MCCLI.

E copia sat vetusta in archivo civitatis Olomucensis.

CLXVI.

Bruno, episcopus Olomucensis, Bertholdo famulo suo feudum in „Hirsicz" (Giřice?) confirmat. Dt. Hocemplocz, Kal. Augusti, 1251.

Bruno dei gracia episcopus Olomucensis. dilecto sibi Berhtoldo famulo suo et heredibus suis inperpetuum. Digne agimus. et racione mouemur. vt eorum qui se nobis seruiles exhibent et fideles. recompensemus seruicia fauore ac gracia speciali. vt feruentius nostris insistant seruiciis dum fauorem nostrum sibi senserint affuisse. Hinc est quod inspectis sinceritatis tue seruiciis. que nobis in ecclesie nostre necessitatibus et vtilitatibus non parcendo rebus et persone promptitudine grata iam diucius inpendisti. et intendas in huiusmodi persistere seruiciis incessanter. Quoniam ergo in primo

introitu episcopatus nostri. cum intraremus Morawiam. te in cuiusdam ville possessione dicte *Hirsitz*. que octo laneos obtinet. invenimus. et eandem villam ostendisti per sufficiens documentum. te racionabiliter possidere. Nos tibi. qui te tam fidei puritate. quam seruiciorum exigentia. retribucionis premio dignum reddis damus et conferimus liberaliter et libenter in feodum. capituli nostri accedente consensu. predictam villam in *Hirsitz* cum octo laneis. cum omnibus iuribus. censu. decimis. iudicio. stewris vecturis. prouentibus attinentiis. silvis. pratis. pascuis. et vtilitatibus. que eisdem bonis insunt. vel inesse poterunt in futurum et eandem villam. nullo diminuto vel excepto per te ac heredes tuos filios dumtaxat et non filias titulo feodi. teneas et possideas. ac racione ipsius feodi. ius vasallorum ecclesie Magdeburgensis habeas in omnibus indistinctum. quod omnibus infeodatis a nobis concedimus. quodque heredes tui filii tantum sicut premissum est. gaudeant ipso iure. Datis etiam in recognicionem bonorum eorundem annis singulis canonicis nostris Olomucensibus. de quolibet manso tibi seruiente mensuram tritici quemadmodum alii infeodati dare tenentur. Non dabis etiam mensuram tritici de agris. quos ad vsus tue agriculture. ac famulorum tuorum duxeris deputandos. Quod autem omnia premissa robur obtineant perpetue firmitatis. nos ad rei memoriam sempiternam. presentem paginam inde conscribi. nostrique sigilli iussimus munimine roborari. Testibus ad cautelam nichilominus subnotatis. testes autem. qui aderant sunt: Herbordus dapifer noster de vvllmsteyn. Iohannes filius ipsius. Hellembertus marschalcus noster. Gebhardus de Gels. Ludwicus de Meduiz. Radzlaus advocatus noster de Hozenpla. Allbertus Snypir. Conradus de Bruks. ciues Opawienses. Et nos capitulum Olomucense: Bartolomeus decanus. Herbordus prepositus. Stephanus archidiaconus. Conradus scolasticus. Symon custos. et alii presentes. premissis omnibus consensum nostrum presentibus expressum. liberaliter adhibentes sigillo nostri capituli. ad maiorem evidenciam apendi fecimus huic scripto. Datum in Hocemploz anno domini Millesimo ducentesimo quinquagesimo primo Kalendis Augusti.

E duplici originali in archivo Cremsirіensi. — Apographum in codice Olomucensi I. fol. 82.

CLXVII.

Innocentius papa IV. monasterio fratrum Praedicatorum Olomucii indulgentias concedit. Dt. Mediolani, V. Kal. Septembris, 1251.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis . . priori et conuentui ordinis fratrum predicatorum Olomucen. salutem et apostolicam benedictionem. Licet is, de cuius munere uenit, ut sibi a fidelibus suis digne ac laudabiliter seruiatur, de habundantia pietatis sue, que merita supplicum excedit et uota, bene seruientibus multo maiora retribuit, quam ualeant promereri; nichilominus tamen desiderantes reddere domino populum acceptabilem, fideles Christi ad complacendum ei quasi quibusdam illectiuis muneribus, indulgentiis scilicet et remissionibus inuitamus, ut exinde reddantur diuine gratie aptiores. Cupientes igitur ut ecclesia vestra congruis honoribus frequentetur, omnibus uere penitentibus et confessis, qui eandem ecclesiam in anniuersario die dedicationis ipsius uenerabiliter uisitarint, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi quadraginta dies de iniunctis sibi penitentiis misericorditer relaxamus. Datum Mediolani V. Kal. Septembris; pontificatus nostri anno nono.

In eundem modum indulgentias concedit verbis solummodo „in anni-„uersario die dedicationis ipsius" *mutatis in* „in festo beati Dominici." Dt. Mediolani II. Nonas Septembris. (1251).

Ex originalibus ejusdem monasterii.

CLXVIII.

Přemysl, marchio Moraviae et dux Austriae, confirmat donationes, a se, Bawaro viro nobili, et a matrona domina Dobislawa hospitali s. Joannis Hierosolymitani factas. Dt. apud Netolice, 1251.

In nomine patris et filii et spiritus sancti Amen. Premilz diuina clementia marchio Morauie. et dux Austrie. omnibus in perpetuum. Considerantibus nobis. quod ea. que geruntur sub tempore uetustas obliuionis

consumat. adeo ut factorum presentium non sit aput futuros recordatio. quippe cum in rebus humanis nichil constet esse durabile. placuit et uisum fuit utile. vt subscriptorum seriem gestorum in littera. cui numquam uita deficit. transmittamus memorie posterorum. Cunctis igitur tam presentibus. quam futuris fieri volumus manifestum quod cum dilectus fidelis noster. Bawarus uir nobilis diuino tactus spiritu. villas quasdam subnotatas has videlicet. Ecclesiam et domum hospitalis. Ztraconiz. Horasowiz. Horca. Zuzedowiz. Mutiniz. Lubetiz. Radoseyowiz. Milonowiz. Ptacowiz. Lom. Chirti. cum suis appendiciis. et Matrona domina Dobislaua uillam Lusiz cum suis attinentiis hospitali. et predictus marchio villam Macarow addidit sancti Iohannis baptiste in Irsalem absolute de suis proprietatibus libere contulissent. Ad nostram uenientes presentiam deuote et humiliter nostre magnitudini supplicarunt. quatenus easdem donationes hospitalis predicti domui. procuratoribus tam loci Ztraconiz iure perpetuo seruituras. dignaremur de speciali nostre magnificentie gratia confirmare. Dignum itaque arbitrati iustis ipsorum et honestis postulationibus annuere. donationes predictas ratas et gratas habentes et eas nichilominus. vtpote factas racionabiliter approbantes presentibus confirmamus. Vt autem hec nostra confirmatio robur habeat et perpetuam firmitatem nomina uirorum nobilium huic littere pro habundanti cautela in testimonium iussimus annotari. Vitco de nouo castro. Zawisa filius uitconis. Vitco de Zepecow. Sulizlaus filius Suezt. Iarozlaus frater Galli. Cunradus de Ianowiz. filius suus Burchardus. Wilhelmus de Podebrad. Wocco de Rosental. Zwoysa cum fratre de Bor. Predotha cum fratribus de Blatna. Vlricus filius Bvdizlai. Vlricus Lepus. Zeyzt de Budoywiz. Smilo de Lvochtenburc. cum filio suo. Petrus Ywani de Zeyewiz. Wernherus de Serdow. Ywanus de Repiz cum fratre. Desiderius de Hraniz. Withmar de Sesiz. Bovhuzlaus de Yedsow. Dobez de Bvcovnik Habrec de Dvbrawiz. Gaudencius capellanus marchionis. In huius rei euidentiam presentem litteram predicte domus fratribus duximus conferendam. nostri sigilli munimine roboratam. Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. L. I. Indictione VIII. Datum apud Netholicz per manus notariorum nostrorum Wilhelmi et Gothschalci.

Ex originali in archivo Melitensium Pragae.

CLXIX.

Othakerus dux Austriae et marchio Moraviae monasterio in Paumgartenperg diuersas libertates et exemtiones elargitur. datum anno domini Millesimo CC Quinquagesimo primo. Sexto decimo Kalendas Decembris.

Kurz — Beiträge III. 428.

CLXX.

Idem monasterio Altaich liberam electionem advocati boni ipsius in Abstorf in Austria confirmat. Dt. in Niumburch (Neuburg), VII. Idus Decembris, 1251.

Rauch — Oesterr. Geschichte 3. Th. pag. 96.

CLXXI.

Ottacarus *(Přemysl)* dux Austrie et Stirie et Marchio Moravie confirmat monasterio in Lambach exemtionem ab aduocatia, quam sibi Gundacarus de Starhemberg vendicare voluit. Testes Patauiensis episcopus Perhtoldus. Chunradus comes de Wazzerberch. Otto comes de Hardeke et frater suus Chunradus. Albero Marschalcus de Chunringie. Hadmarus de Werde. Henricus de Schoumberch. Otto de Missawe. Henricus dapifer de Greicenstein. Chunradus de Zekinge. Chunradus de Hintperch. Wolkerus de Parawe. Otto de Perchtoldstorf. Rudolfus de Potendorf. Botsco suppanus de znoym. et alii quam plures. Acta sunt hec apud Nivvenburch. Anno domini MCC. LI. Indictione nona.

Kurz — Beiträge 2. Theil. pag. 456.

CLXXII.

Přemysl, dux Austriae et marchio Moraviae, confirmat donationem ecclesiae Friburgensi a quodam Francone factam. Dt. Wiennae, pridie Idus Decembris, 1251.

Tenzel — Supplementum historiae Gothanae pag. 395.

CLXXIII.

Bruno, episcopus Olomucensis, ecclesiam in Prosměřice monasterio Lucensi in lite cum Spera clerico adjudicat. Actum in Kelč, 1251.

Bruno. dei gracia Olomucensis Episcopus omnibus presentem paginam inspecturis. in domino salutem. Nouerint vniuersi. quod cum inter Abbatem et Conuentum *Lucensem* ex vna. et Speram Clericum ex parte altera. super Ecclesia *Prosmeriz.* questio uerteretur. abbate dicente ipsam Ecclesiam tam in spiritualibus. quam temporalibus ad suum Monasterium pertinere. Spera narrante. quod per Illustrem Principem dominum *P.(remizl) Morauie Marchionem.* ad quem ius Patronatus pertinere dicebat. esset consecutus eandem. in cuius possessione defacto se esse publice fatebatur. super hiis predictis Abbati et Spere ut coram nobis comparerent de suo iure docturi. terminum peremptorium assignauimus. quibus eodem termino in Ghelz coram nobis personaliter comparentibus. prefatus abbas petiit ut sibi de Spera iusticiam faceremus. qui dictam ecclesiam occupatam contra iusticiam. et in Monasterii sui preiudicium detineret. Dictus Spera coram nobis ad hoc nichil respondens aliud. nobis talem cedulam presentauit. *Domine Episcope rogo uos ut detis michi aliquos iudices qui neutri parti sint suspecti. alioquin Romanam Sedem appello. et peto Apostolos. cum michi sitis suspectus in causa uestri clerici Conradi super Ecclesia de Prosmeriz.* et in continenti sic illicentiatus abcessit. Nos uero cum prefatus Conradus nec ageret nec quicquam proponeret contra ipsum. sue non deferentes appellacioni. per duos sacerdotes Heydolfum et Nicolaum capellanos nostros de superhabundanti ipsum fecimus reuocari. ut si quid contra abbatem Lucensem de iure suo docere proponeret. ipsum libentissime audiremus. qui nec rediit. nec aliquem pro se curauit mittere responsalem quare dictum Speram pro tali contumacia excommunicauimus iusticia exigente. Postmodum non semel. sed sepius citatus peremptorie non uenit nec misit. Adhuc tamen ad conuincendam ipsius duriciam dedimus ei de exuberanti gracia terminum peremptorium usque ad proximum sequentem diem post Iacobi. citantes ipsum publice. ita quod citatio ad ipsum poterat peruenire. ut ad ipsum ueniret terminum super causa predicta diffinitiuam sentenciam auditurus. ad quem eciam mittere et uenire contempsit. Quia igitur in hiis omnibus ipsum inobedientem inuenimus. auditis etiam litteris

quas dominus P. Marchio super eadem causa in hec uerba nobis scripsit. *In Christo patri Reuerendo domino B. Olomucensi Episcopo. P. dei gracia Marchio Morauie. Cum debita reuerentia paratam ad queuis beneplacita uoluntatem Paternitatem uestram rogandam duximus omni precum instantia qua ualemus. quatinus dilecto capellano nostro. domino Abbati de Bruckhe de Ecclesia in Prosmeriz quam a predecessoribus nostris collatam. domus et Conuentus loci memorati multis annis quiete ac pacifice possedit. nostri seruitii et nostre dileccionis intuitu iusticiam faciatis. Datum in Znohem anno domini Millesimo Ducentesimo LI.* Hac eciam de causa quia dominus Marchio presentationi que tamen nullum sibi ius tribuit cum nunquam spiritualia recepisset per hanc litteram cedere videbatur. ad sentenciam diffinitiuam. eius absenciam diuina replente presentia processimus. dictamque Ecclesiam in Prosmeriz prefato Spere sententialiter abiudicauimus. et Abbati sepedicto. suoque Monasterio et conuentui tam in spiritualibus quam temporalibus adiudicauimus pleno iure prenotato Spere ab inpeticione qualibet silentium inponentes. In cuius rei testimonium presentem sigilli nostri munimine iussimus litteram roborari. Actum in Ghelz. Anno domini Millesimo Ducentesimo L. I.

Ex originali monasterii Lucensis duplici, in quorum altero post „silentium inponentes." finis sic audit: „Visis etiam instrumentis sufficientibus et ydoneis. tam ex parte domini Otakari Bohemorum Regis qui Iuspatronatus Ecclesie in Prosmeriz abbati et Conuentui Lucensis Monasterii. ordinis Premonstratensis tribuit. et concessit. quam ex parte domini Gregorii pape. qui et ipsis iuspatronatus eiusdem Ecclesie confirmauit. que ad maiorem declarationem presentibus fecimus annotari. predicto abbati. suoque Conuentui. ac eorum Monasterio eandem ecclesiam cum iure predicto sententialiter adiudicamus. sub anathematis interminatione districtius inhibentes. ne quis in eorum preiudicium et grauamen. in iurepatronatus eiusdem Ecclesie quicquam decetero attemptare presumat. Actum in Ghelz Anno domini M. CC. LI. Hec autem sunt instrumenta." *Quorum prius videas sub n. CLXVIII. tomi secundi; alterum vero sic audit:* „Gregorius episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis . . abbati et conuentui monasterii *Lucensis* premonstratensis ordinis Olomucensis diocesis. salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod iustum est et honestum. tam vigor equitatis quam ordo exigit rationis. ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecti in domino filii uestris iustis postulationibus grato concurrentes consensu ius patronatus de *Primetiz*. et de *Prosmeriz*. ecclesiarum. quod carissimus in Christo filius noster Bohemorum Rex illustris. tunc patronus ipsarum venerabilis fratris nostri Olomucensis episcopi diocesani ipsarum et capituli sui accedente consensu. monasterio uestro pia liberalitate concessit. sicut illud iuste ac pacifice obtinetis. uobis et per uos eidem monasterio auctoritate apostolica confirmamus ei presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc presumpserit attemptare. indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Laterani VI. Nonas Iulii. Pontificatus nostri anno quintodecimo."

Albero de Chunringen. Dapifer de Velsperch. Ulricus de Habspach. Heinricus de Hockenberch. Wolfkerus de Parowe Teutonici. Potsco. Houl. Borsso. cmilo. et Chuno fratres. Bohus filius Cerronis. Benis camerarius curie nostre. Ianczo et Hartlibus fratres. Milits. Rugerus longus et alii quam plures. Acta sunt hec anno dominice incarnationis MCCLII. decime indictionis. Datum apud Heimburch. per manus magistri Willehalmi notarii. XIIII. Kalendas Marcii.

Kurz — Beiträge IV. 461.

CLXXVI.

Wenceslaus Bohemorum rex . . capellam sancti Laurentii cum villa Cholecz eripit prepositis Wissegradensibus propter neglectam solutionem census papalis, et tradit decano et capitulo eiusdem ecclesie. Testes: Bruno venerabilis Olomucensis episcopus. frater Cunradus dictus de Wormatia et Theodoricus frater de ordine minorum in Praga. Magister Iredo. Heribordus notarius. Acta sunt hec in Lysan. anno MCCLII. pridie Idus Aprilis per manus Arnoldi notarii.

Hammerschmidt pag. 184.

CLXXVII.

Nicolaus, episcopus Pragensis, ex mandato Innocentii papae IV. cruciferis hospitalis s. Francisci Pragae pro signo stellam rubeam cum signo crucis rubeae destinat. Dt. Pragae, XV. Kal. Junii, 1252.

Dobner — Annales T. VII. MSs.

CLXXVIII.

Otakarus, qui et Přemysl, dux Austriae et Styriae, ac marchio Moraviae, ecclesiae s. Hippolyti in Hradiště (Pöltenberg) ceterisque ecclesiis in Moravia ad hospitale s. Francisci Pragae pertinentibus diversas libertates concedit. Dt. apud Znoymam, VIII. Idus Junii, 1252.

In nomine Domini nostri amen. Nos Otacharus, qvi et Premizl, dei gracia Dux austrie, Stirie, et Marchio Morauie. Vniuersis Christi

fidelibus imperpetuum. Cum invicti Regis filius, Iesus Christus, in terris cum hominibus conuersatus sectari uerbo simul et opere docuerit ospitalitatem, non indigne indicat mens humana, eos differentius confoveri, qui pre ceteris ipsum Virginis filium imitantur feliciter in premissis. Et ecce in unum hiis collectis ordinibus invenimus, ordinem hospitalis Sancti Francisci tanto amplius hospitalitate precellere vniuersos, quanto magis vita ipsorum et conversatio est conformis ei, qui sua nos inopia divites esse fecit. Igitur non solum manum defensionis, sed et consolationis eis adhibere cupientes innotescimus tam victuris quam viventibus, quod nos *ecclesie sancti Ypolili in Gradizch* ceterisque ecclesiis, possessionibus, hominibus, pertinentibus ad hospitale sancti Francisci in praga, hanc concedimus libertatem: Ut nullus hominum in possessionibus eiusdem ecclesie vel etiam in possessionibus aliarum ecclesiarum seu villarum ab alico nostrorum iudicum aut preconum ad iudicium citari debeat, nec coram alico seculari vel spirituali iudice super causis aliquid respondere; sed tantum coram rectore, seu procuratore et fratribus dicti hospitalis debent omnes cause, que circa dictos homines emerserint, ventilari. Item quod uulgariter vocatur Mecze, Kyg, Woda, zelezo, naroch, zwod, nocleh, powoz, berne, castrorum edificationem, ab hiis omnibus eos duximus absolvendos. Item si homines dicti hospitalis coram aliquo iudice provinciali vel etiam civitatum suas deposuerint qverimonias, et defecerint in probatione, pena, que per eos solvi deberet, iudici cedet hospitali. Item si aliquis hominum hospitalis memorati in ipso facto maleficii alicuius, tam homicidii quam vvlnerati, seu furti, seu latrocinii, vel cuiuscunque maleficii fuerit deprehensus, de corpore malefactoris fiat, quod lex precipit; bona vero eiusdem debent cedere hospitali: si vero effugerit manum iudicum, ita ut ultra rivulum, qvi gradnicze dicitur, veniat, si iudex vel inimici ultra riuulum memoratum ipsum fuerint insecuti, bannum nostrum se incurrisse noverint, et insuper decem talenta ecclesie sancti Ypoliti solvent. Item si maleficus qualiscunque dictum riuulum transierit causa refugii, debet ibidem tribus diebus confoveri, qui si infra triduum gratiam lesi non obtinuerit, XXX denarios dabit ad usum ecclesie, et conducetur extra terminos ecclesie sepedicte. Item cum collecta in Znoymensi prouincia colligitur generalis, notarius ecclesie de iure delentios tollet, et a uiduis collecta plenaria

tolletur, nisi de gracia remittatur. Item civili iudicio notarius ecclesie debet presidere, et decimum denarium tollere ad usum ecclesie; insuper et delentios. Item de omnibus prouentibus tam ciuitatis Znoymensis quam totius prouincie, qui proueniunt de metreta, de Sale, de ductoribus vasorum de loco ad locum, decimam sancti Ypoliti percipere uolumus, ad usum et subsidium infirmorum. Ad hec nec in ciuitate nec in prouincia homines memoratos teneri uolumus ad theloneum persoluendum. Item memorate ecclesie hanc concedimus libertatem, ut nullus nostrorum camerariorum super quacunque causa homines ipsorum citare vel tenere, quod vulgariter wrnach dicitur, audeat sine fratrum nuntio speciali. Ee autem possessiones et bona ecclesie, quibus premissam concessimus libertatem, quam extendi volumus ad vniuersas possessiones, quas ex donatione fidelium qvorumlibet in futurum: villam *Gradizch* cum suis attinentiis. *Brezowe* cum omnibus. *bescowe* cum suis pertinentiis. *Vschewie* cum suis. *Popowiz* cum vineis. *Nesulowic* cum pertinentiis. *Reznowic* cum suis. *Masowic* cum suis. molendinum *innesahleb* cum orto et agro. in *wrbonice* ager, pratum, wilchker. Item alia ecclesia sancti Ypoliti in *Rochvchwic* cum omnibus pertinentiis, videlicet *Paulowic, Raticowic,* tres lanei in *holawich,* et duo prata *Raczsicz.* Item bona empta apud zungelmum allodium in *cechnic* cum silua, et prato, et molendino, et uinea, et domo in *Znoyma.* Ad hec ortos, prata, agros, piscationes, venationes, siluas, uineas, que ad hospitale pertinent memoratum, omni premissa gaudere uolumus libertate. Ut autem singula et vniuersa premissa perpetua gaudeant firmitate, presens instrumentum in euidens testimonium et cautelam cum subscriptione testium mandauimus sigillorum nostrorum munimine roborari. Hii sunt testes: Posco cum fratribus, et alii qvam plures. Actum et datum apud Znoym. Anno Domini Millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo. Octauo Idus Iunii. undecime Indictionis.

E copia vidimata in registratura c. r. Gubernii Moravici.

CLXXIX.

Innocentius papa IV. monasterium Sarense in protectionem suscipit, ejusque possessiones confirmat. Dt. Assisii, VII. Idus Junii, 1252.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis . . abbati et conuentui Monasterii *de cella beate virginis* Cisterciensis Ordinis.

nucensis diocesis. salutem et apostolicam benedictionem. Iustis peten- desideriis dignum est nos facilem prebere consensum, et uota que tionis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter cti in domino filii uestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, sonas uestras et locum in quo diuino estis obsequio mancipati, cum ibus bonis que impresentiarum rationabiliter possidetis aut in futurum is modis prestante domino poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra ectione suscipimus. Specialiter autem domos, terras, possessiones, a, pascua, silvas et alia bona uestra sicut ea omnia iuste ac pacifice sidetis, uobis et per uos monasterio vestro auctoritate apostolica con- amus, et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino inum liceat hanc paginam nostre protectionis et confirmationis infrin- e, uel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare pre- pserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli stolorum eius se nouerit incursurum. Datum Asisii VII Idus Iunii tificatus nostri anno decimo.

Ex originali in archivo Nicolsburgensi.

CLXXX.

rgaretha, ducissa Austriae et marchionissa Moraviae, spoliatae per aros ecclesiae Ardacensi sua jura conservari praecipit. Dt. in Chrems, 16. Junii, 1252.

Nos Margaretha dei gratia Romanorum quondam Regina. Ducissa trie et Stirie ac Marchionissa Morauie omnibus presens scriptum in- tibus imperpetuum. Post infelicem obitum friderici fratris nostri, qui Dux Austrie et Stirie, ac Dominus Carniole, terra Austria cepit in simo statu esse, quod caruit defensore. Eodem quippe tempore homines is Bauarie ecclesiam Ardacensem, sacrarium, Clericos et homines liarunt, auferentes de sacrario ornamenta, libros calices et priuilegia, bus eadem ecclesia habundabat, propter quod dilectus Capellanus noster poldus, eiusdem ecclesie prepositus, nobis supplicauit, quatenus iura consuetudines, que dicta ecclesia tempore patris et fratris nostri, habuit

per terram et per aquam sibi et ecclesie confirmare dignaremur et etiam renouare. Ideoque mandamus omnibus mutariis per terram et per aquam, quatenus iura, que predicti loci prepositus et canonici habuerunt in terra et in aqua tempore patris et fratris nostri, eis inuiolabiliter conseruetis, ne dicta ecclesia propter cladem bellicam perdat irrationabiliter iura sua; omnium quippe ecclesiarum iura intendimus, quantum possumus, conseruare, vt Deo omnipotenti et sanctis eius, quibus seruiunt, pro salute domini et mariti nostri et nostra precum deuotarum offerantur iugiter holocausta. Datum in chrembs. Sedecima Iunii anno domini MCCLII.

Wiener Jahrbücher der Literatur Bd. 39.; Anzeigeblatt pag. 26.

CLXXXI.

Bruno, episcopus Olomucensis, creat quatuor canonicos post mortem suam a capitulo Olomucensi praesentandos. Act. Olomucii, in die s. Michaëlis, 1252.

Bruno dei gracia Olomucensis episcopus. Quoniam singulorum habere memoriam diuinitatis est pocius quam humanitatis. autentica et laudabilis decreuit antiquorum solertia. et prouidentia ut quod rite ac recordatione dignum ageretur. per scripti seriem autentici ad memoriam et noticiam peruenirent. Nos igitur ipsorum seruantes consuetudinem utilem et honestam presenti pagina cupimus ad singulorum noticiam peruenire. quod cum dominis. canonicis ecclesie nostre Olomucensis talem *super creatione quatuor prebendarum.* quas nos in eadem ecclesia concessa nobis a sede apostolica facultate. creauimus. et personis idoneis contulimus. tractatum huiusmodi et ordinationem fecimus quod canonici ad easdem quatuor prebendas instituti, et quos institui continget. non petant contra uoluntatem et in preiudicium canonicorum antiquorum. ex prouisione et auctoritate superioris. aliarum eiusdem ecclesie prebendarum ascensum. Nec petant quicquam in censu. decimis. oblationibus. et in quibuscumque aliis. quod ipsarum sentiat in redditibus detrimentum. et per quod ceterorum canonicorum portio minui uideatur. Sed prebendis quas nos creauimus. et redditibus quos assignauimus. iuxta formam papalis autentici sint contenti. Nec debent aliorum

canonicorum prandiis in refectorio interesse. Alias in omnibus aliis. secundum ecclesie nostre ius et consuetudinem. et ut alii canonici se gerentes. Condiximus etiam et promisimus. ut post decessum et obitum illorum quos nos instituimus. electio et institucio cedat postmodum de eisdem quatuor prebendis ad capitulum pleno iure. Insuper uillam nostram *Razlawiz iuxta Hocenploc* sitam. liberali pietatis motu ad honorem dei. sanctique Wencezlai ecclesie nostre patroni. corpus illarum statuimus prebendarum. Quod autem hec nostra et canonicorum nostrorum ordinatio rite facta perpetuum irreuocabiliter sortiatur effectum. presentem paginam ad rei memoriam sempiternam inde confectam. nostri et ecclesie nostre capituli sigillorum appensionibus fecimus communiri. Actum Olomuz in curia prepositi Nicolai. anno domini millesimo ducentesimo. LII. die beati Michahelis.

Ex originali in archivo capituli Olomucensis. — Apographum in codice Olomucensi chart. II. fol. 54.

CLXXXII.

Bruno, episcopus Olomucensis, jus patronatus ecclesiae in Dreskowitz a monasterio Kaunicensi impeditum fratribus Thomae et Ekhardo adjudicat. Dt. Kalendis Decembris, 1252.

Bruno dei gracia Olomucensis episcopus Omnibus presentes litteras inspecturis in domino salutem. Nouerint vniuersi quod cum inter prepositum et conuentum ecclesie *Conowicensis* ex vna et thomam et ekhardum fratrem suum laicos dyocesis nostre ex parte altera super iure patronatus ecclesie in *Droscowitz* questio uerteretur et ad eandem ecclesiam vacantem et pastore carentem contentiose suos nobis clericos presentarent partibus ut coram nobis comparerent de iure suo docture diem beati luce quo sinodum nostram celebraturi fuimus peremptorium duximus assignare in quo coram nobis preposito personaliter illis vero per procuratorem idoneum et sufficienter instructum comparentibus dixit prepositus Conowicensis et proposuit quod ecclesia in droscowitz tam in spiritualibus quam in temporalibus ad idem cenobium pertineret et quod super eo haberet valida et sufficientia instrumenta. procuratore partis aduerse narrante ac dicente quod ius patro-

natus ecclesie prenotate ad prefatos laycos a progenitoribus suis iure hereditario translatum fuerit et quod in eius possessione tempora longa fuerint pacifice et quiete. Dictus vero prepositus requisitus ut ius suum et conuentus sui per instrumenta que habere dicebat ostenderet et probaret respondit quod illorum ibi copiam non haberet. Vnde cum in probatione deficeret pars aduersa magis ac magis instanter petiit ut ad decisionem cause procedere curaremus. Attendentes autem quod in habundanti iusticia uirtus est maxima eidem preposito de exuberanti gracia terminum alium usque in vigiliam beati Andree suisque aduersariis assignauimus peremptorium in quo uellemus in causa finaliter procedere memorata. ad quem sepedictus prepositus non uenit nec procuratorem sed simplicem nuncium misit. Quare cum sicut simplicem nuntium miserat. procuratorem poterat sic misisse cum eciam ex confessione ipsius prepositi nobis constiterit. quod pastor de cuius morte eadem tunc uacabat ecclesia dictorum laycorum nomine et ad presentationem ipsorum eam adeptus fuerat prenominatum thomam et fratrem suum in possessionem iuris patronatus ecclesie in droscowitz decernimus conservare presentato eorum ad eandem ecclesiam investiture donum et amministrationem spiritualium conferentes prepositi et conuentus sui super petitorio nichilominus iure saluo quos prepositum scilicet et conuentum thome et fratri suo in sex talentis denariorum que suo declarauerant iuramento condempnauimus in expensis. In huius conseruationis et processus et condempnationis expensarum testimonium presentes dari iussimus litteras sigilli nostri munimine roboratas. Datum anno domini M. CC. LII Kalendis Decembris pontificatus nostri anno sexto.

Ex originali in archivo monasterii Oslowanensis.

CLXXXIII.

Hugo, cardinalis legatus, monasterio fratrum Praedicatorum Olomucii indulgentias elargitur. Dt. Pragae, XIX. Kalendas Januarii, 1252.

Frater Hugo miseratione diuina tituli sancte Sabine Presbyter Cardinalis Apostolice sedis Legatus. Dilectis in Christo *Priori et fratribus*

domus Olomucensis Salutem in domino. Licet is de cuius munere uenit ut sibi a fidelibus suis digne ac laudabiliter seruiatur. de habundantia pietatis sue que merita supplicum excedit et uota bene facientibus multo maiora retribuat quam ualeant promereri. uolentes tamen populum domino reddere acceptabilem. omnes Christi fideles ad complacendum ei quibusdam illectiuis muneribus indulgentiis scilicet et remissionibus inuitamus. ut exinde reddantur diuine gratie aptiores. Cupientes igitur ut ecclesia uestra congruis honoribus frequentetur. omnibus Christi fidelibus uere penitentibus et confessis qui memoratam ecclesiam in utroque festo beati Dominici. in utroque festo beati Pauli. in quatuor festiuitatibus beate uirginis. Sancte Elyzabeth. Nicolai. Wencezlai. Michahelis. Marci ewangeliste. in Crastino Pasce. et Penthecostes. Stephani prothomartyris. dedicationis ecclesie. et per Octauas ipsorum singulis annis uisitauerint reuerenter. quadraginta dies de iniuncta sibi penitentia misericorditer relaxamus. Ego uero frater Gerardus de Vrorzheim ordinis fratrum Predicatorum Coloniensium Nuntius memorati domini Legati per Boemiam Morauiam Poloniam et Cassubiam destinatus predictam indulgentiam de speciali uoluntate ac auctoritate ipsius Legati prefatis fratribus Olomucensibus defero cunctisque fidelibus denuntio. et sigilli mei testimonio corroboro. Datum Prage Anno domini Millesimo Ducentesimo quinquagesimo Secundo. XIX. Kalendas Ianuarii.

Ex originali in archivo ejusdem monasterii.

CLXXXIV.

Přemysl, qui et Otakarus, dux Austriae et Styriae ac marchio Moraviae, confirmat fundationem monasterii Fontis sanctae Mariae in Sar a Boček, castellano Znoymensi, factam. Acta Brunae, 1252.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Nos Premizel qui et Ottakarus dei gratia Dux austrie. et Marchio Morauie. Vniversis Christi fidelibus inperpetuum. Quoniam ut ait auctoritas. omnes morimur et quasi aque dilabimur. ne gesta hominum digna celebri et perpetua memoria. temporum dilapsu prorsus ab humana recordatione queant elabi et in dubium reuocari apud posteros. Nimirum

opere precium est fide instrumentorum eiusmodi perhennari. Presertim tamen ea. que ad omnipotentis dei uite datoris et regni pertinere cultum et animarum remedium dinoscuntur. Cum igitur fidelis noster Baro scilicet dominus Bozko Comes de Bernekke et Burchrauius de Znoym et Socrus domina Sibilia relicta domni Pribizlai felicis memorie quondam Burchrauii de veneri una cum filiabus eiusdem defuncti et suis. uidelicet domina Eufemia consorte prenotati domini B.(ockonis) et domicella Elizabeth. cupientes pium prefati defuncti complere uotum. et proprie nichilominus etiam consulere saluti. ad honorem altissimi et beatissime uirginis dei genitricis marie. et preclari confessoris christi sancti Nycolai statuerunt fundare in *Zschar domum Cysterciensis ordinis intitulatam de fonte sancte marie filiam Nepomucensis ecclesie* utpote ab eadem propagatam. In communi legantes perpetuo eidem nouelle plantationi prenotatam villam *Zschar* et *Berhtoldesdorf* que aliter dicitur *Nouawize.* et *Rorbach* aliter dictam *hruschowani* et *Dobrawoda.* et *Iama* uillas. cum siluis et aquis et omnibus atinentiis suis. omnique iure sibi competente. Specialiter uero sepedicto domino B. addente Ecclesiam in *heinriches* que morauice dicitur *Bitesche* et terciam partem de omni uino suo in morauia de uillis subscriptis. scilicet *Scalize.* et *Puzdran.* et *Zaiechi.* et *Paulowiz.* et *Nazeratize* cum plena decima trium uillarum. videlicet *Cobile. Paulowiz.* et *Zaiechi* Nos de pio et maturo consilio prebentes nostro assensu firmitatem donationi eorundem. eandem scripti nostri pariter et sigilli cum testium munimine uallo mandauimus roborari. Sunt autem hec nomina testium huius rei. scilicet. venerabilis dominus Albertus Ratisponensis Episcopus. et dominus Cvnradus episcopus. et dominus Albertus prepositus sancti Petri de monte in Brunna. dominus Pardus et Twerdche. et Sudomir fratres. Item Miliz et Slauibor fratres. Item Benes camerarius. et Mylota fratres. Item Smil et Chvono et Nycuol fratres domini Bozchonis. Bohusche et Hartmann fratres. Iaenzo de Doblin et nepotes eiusdem. Nezamizel et Ratibor fratres. Bohusche de Cowal. et Ian de Wischnov. et Matheus fratres. Paulus et frater eiusdem de Selechowiz. Acta sunt hec Brunne Anno gratie Millesimo. CC. Quinquagesimo secundo. Indictione decima.

Ex originali in archivo c. r. aulico Vindobonae. — Aeri incisum dedit Steinbach in: „Diplomatische Sammlung" T. II. — ibidem excusum pag. 10.

CLXXXV.

Idem confirmat et auget jura et libertates monasterii Cellae s. Mariae Brunae. Acta Brunae, 1252.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. amen. Nos Othacharus, qui et Primuzl, dei gratia illustrissimi regis Bohemorum filius, dux Austrie et Styrie, marchioque Morauie, priorisse et toti sacro conuentui de *Cella S. Marie virginis in Brunna* collocato in perpetuum. Consueuit antiquorum ueneranda et approbanda prouidentia ea literarum mandare monumentis, que statuit habere robur et firmitatem, ne modernorum astuta ingenia, que semper gaudent nouitate, inueniant occasiones rite ac mature gesta negotia dolosis peruertere argumentis et fraudulentis racionibus infirmare. Memoria quidem humana non est diuturna, et si esset eterna, esset diuina. Ideoque necesse est, ut scriptis, in quibus res geste continentur, adiuuentur, et sic quodam perpetuitatis robore tenax maneat et inconcussa. Nouerint itaque tam presentes, quam futuri, quod nos monasterio, quod Cella S. Marie virginis vocatur, in quo religiosus conuentus dominarum ordinis s. Augustini et ordinis fratrum Predicatorum cepit Deo et gloriosissime matri eius beate Marie seruire, dedimus fundum et locum in Brunna, ubi Deo in perpetuum famulentur. Nam et eundem locum dominus ac pater noster, serenissimus rex Bohemorum Wenczlaus quartus ad pias preces inclite memorie matris nostre Cunegundis regine Bohemie sua libera voluntate eisdem contulit, et sui sigilli munimine roborauit. Hunc etiam locum certis precepimus distingui limitibus ab aliis possessionibus in predicta nostra ciuitate iacentibus, ne imposterum aliqua superueniat dubitatio, unde prefatum monasterium possit gravari, vel etiam inquietari. Considerantes autem gloriosissimum patrem nostrum Wenczlaum nomine, a quo sortiti sumus originem et nomen multis interfuisse negotiis imperii uel etiam propriis, in quibus multa gessit, que sine peccato non poterant transigi, visum fuit nostre clementie pro remedendis peccatis suis ac nostris elemosinis et precipue monasterii supradicti eius noxas qualescunque releuare, quia apud clementissimum iudicem, cui proprium est misereri et parcere, nullum bonum relinquitur irremuneratum, commoditati quoque et tranquillitati loci prenominati pia solicitudine intendere cupientes,

decet, ut predicte domine, que Deo in eodem die ac nocte deseruiunt monasterio, eo quod sibi non possunt ob sexus fragilitatem bene prouidere, quatenus amplis sustententur beneficiis, ut sic possint liberius domini Dei sui conditoris vacare seruiciis. Hinc est eciam, quod omnem libertatem, quam pater noster, vir magne virtutis et fame, qui ob probitatem suam in toto orbe claruit, sua auctoritate eidem claustro contulit, nostra bona et mera voluntate ratam habemus et inconcussam, et conseruare uolumus inuiolatam. Hee sunt autem libertates claustri superius sepedicti, quod omnes possessiones iam habitas, et habendas in Moravia constitutas, cum suis hominibus ab omni genere tributorum, vectigalium, collectarum, aliarumque omnium exactionum et a naroch, quod accusatio vocatur, et ab omni vexatione theolonii esse decreuimus absolutas, adicientes, ut nullus pro castrorum edificatione uel reedificatione, seu in vallorum effossione, siue pro aliqua ingruenti expeditione homines monasterii audeat inquietare. Ius etiam, quod datur pro capite, siue pro fure, siue pro Zwod principi, uel eius inbeneficiatis, monasterio prememorato perpetuo concessimus obtinendum. Hoc statuentes de fure, si in monasterio fuerit deprehensus manens in prediis monasterii, siue rapiatur et coram iudicio conuincatur, quatenus eius bona monasterio remaneant, ipse vero secundum quod placuerit principi, puniatur. Si vero homines monasterii coram iudicio in aliquo culpabiles inueniantur, nec nobis, nec iudicibus nostris uel curialibus seu inbeneficiatis aliquid inde proueniat utilitatis, sed apud monasterium culpe perseueret satisfactio, nisi in quo tenetur satisfacere aduersario. Prohibemus insuper, sicut decreuit et statuit gloriosus dominus ac pater noster rex Bohemie, ut de ortis in Brunna et prouentibus ibidem instauratis, de omnibus etiam, que in Cunegesveld arando, vel alias laborando excolunt, decimam vel censum, vel steuram non religiosus, non clericus, baro vel laycus nec beneficiarius in siluis, seu pratis, in pascuis et piscaturis, in molendinis et ab huiusmodi, que vtilitati claustri conueniunt, valeat extorquere. Ceterum autem, ut omnia breuiter comprehendamus, omne ius, quod spectat ad usus principum, eidem monasterio remittimus, ut Deo dicate domine inibi degentes plena ac perfecta gaudeant libertate, nec ullus hominum ei novas condiciones audeat imponere, vel eius iura per nos concessa sollempniter immutare. Ut autem hec omnia robur habeant per-

petue firmitatis hanc paginam nostro sigillo iussimus insigniri. Insuper rogauimus venerabilem patrem d. Brunonem Olomucensem episcopum, ut possessiones, et omnia iura, que nostra mera liberalitate concessimus monasterio prenominato dignaretur sui sigilli munimine confirmari, quod et ipse ad honorem Dei et beate Marie virginis fecit beneuole et gratanter. Et si forte, quod absit, nostri barones vel milites, seu populares nostra priuilegia vellent aliquando insolenter violare et indebite, quatenus ipse iure ecclesiastico ecclesiastica percelleret sentencia, eandem auctoritatem suis successoribus relinquendo. Sane quoque eidem loco hoc bannum statuentes, quod eundem in nostram suscipimus protectionem, et a suis invasoribus secundum nostras vires volumus defensare. Si quis igitur septa monasterii violenter intrauerit, et ibi sanguinem fuderit, vel hominem qualicunque modo leserit, vel nostra iura predicta nisus fuerit eneruare potenter vel fraudulenter, componat in cameram nostram decem marcas auri, et nostrorum successorum; deinde secundum quod iura dictauerint, predictarum inueniat gratiam dominarum. Quia quicquid umquam stabilitatis idem monasterium consequi potest ad sue tranquillitatis firmamentum, hoc est nostre voluntatis, et erit in perpetuum, ut omni prefata gaudeat libertate. Totum autem istud factum est auctoritate patris nostri illustrissimi Regis Bohemie Wenceslay quarti. Testes autem, in quorum presentia hec acta sunt, sunt hii: Venerabilis Pater d. Rudegerus abbas de Zabardowicz. d. abbas de Welehrad. d. abbas de Luca. Prepositus de Thusnowicz, quondam Abbas. prepositus de Reigra. d. Bartholomeus Olomucensis archidiaconus et custos ecclesie Wissegradensis. d. Nycolaus prepositus et archidiaconus Brunnensis. d. Prisnaborius scriptor marchionis. d. Boscho de Znoym. d. Bohuse filius Cyrhonis. d. Iencho filius Ratiborii. d. Benis subcamerarius. Wernhardus iudex de Brunna. Alramus. Petrus. Franco albus ciues Brunnenses. Hec autem acta sunt in Bruna anno dominice incarnationis MCCLII. indictione X. epacta VII. congruente primo. Datum per manus magistri Wilhelmi notarii.

Ex originali in archivo c. r. aulico Vindobonae.

CLXXXVI.

Recognitio civium Brunensium super limitatione et proventibus monasterii Cellae s. Mariae Brunae. Dl. Brunae, die s. Barbarae, 1252.

Nos Bernardus dictus Hardelmon Iudex Brunensis, Franck Weys, Fridericus scriptor, Conradus de antiquo foro, ciues et iurati ciuitatis Brunensis, cum ceteris omnibus confratribus nostris, notum facimus vniuersis presentibus et futuris: quod nos ex mandato Regie Maiestatis Otthacari eo tempore Brune existentis, anno videlicet dni. MCCLII. dimensurauimus, et in certum locum posuimus conuentum *Celle s. Marie,* situm infra murum ciuitatis *Brunensis,* qui se extendit a portula ciuitatis, usque ad portam que Rhennerthor uulgo dicitur. Et quicunque domos edificauerint iuxta illum conuentum penes murum ciuitatis usque ad portam supradictam, siue ex opposito muri ciuitatis usque ad prenominatam portulam, seu penes illum conuentum, sicut habitationes demonstrant, que illis dominus *Vdalricus Schwartz* et conuentui donauit, qui illi annuatim censum dabant circa festum Georgii mediam marcam cum libra cere, circa festum Michaëlis mediam marcam cum minori cuppula salis. Quapropter certitudinaliter notum facimus omnibus hominibus, qui supra dictum fundum illarum virginum edificabunt, seu habitabunt, in ciuitate uel extra, quem nunc habent, seu in futurum habebunt, quod a Regie Maiestatis libertate sunt dotati litteris sigillis munitis, quas predictis virginibus dedit, quibus ipsi et omnes eorum dominio subditi, perpetuo sunt priuilegiati ab omnibus censuris, oneribus et aliis quibuscunque grauaminibus, et ut eo melius suum possent consequi victum et edificare fundum ipsarum concessit eis educillare vina seu ceruisiam, uti fortuna dederit. Insuper easdem et earum subditos recipit in suam Regiam protectionem seu defensionem, sicuti fundator illius conuentus, et legitimus protector. Insuper mandauit nobis sub indignatione Regie Maiestatis, ne illas seu earum subditos aggrauare quouis modo deberemus. Et nos sub prestito iuramento iurauimus eandem suam dotationem Regiam manu tenere, quoniam profitemur nos et sequaces nostros per fidem nostram sufficienter contentos a Regia Maiestate pro emolumento illius census a subditis illarum virginum, quo continuo ciuitatem nostram instaurare valebimus. Horum in verum testimonium, quod Regie

huiusmodi erectioni nullatenus retrocedere volumus, nos ex singulari petitione sororis *Herburgis* priorisse et conuentus prenominati eisdem has litteras sigillo ciuitatis munitas tribuimus. Et nos Bernardus iudex et Franck prenominati in euidentius testimonium, quod non possint irritari, seu retrocedi a nostris sequacibus, nostra sigilla presentibus appendimus, et harum virtute confirmamus et approbamus registrum, quod nostri antecessores fecerunt, dominus videlicet Rubin. cum aliis iuratis super bona, quibus conuentus Celle s. Marie eo tempore et post dotatus fuit, dum Venceslaus Rex Brune fuerat Anno videlicet dni. MCCLII et omnia bona quibus a christicolis succedentibus temporibus dotati fuerint, uel erunt, debent inscribi testimonio bono ad registrum predictum, et in quibus negotiis eo usuri erunt succedentibus annis debet suam plenariam firmitatem perpetuo habere, sicuti a Regia Maiestate et a nobis confirmatum, quam firmitatem habet hodie dum has litteras sigillamus. Datum Brune in die Barbare Anno Domini MCCLII. post recessum Regie Maiestatis de Bruna, in die s. Stanislai.

E copia simplici sec. XVII.

CLXXXVII.

Přemysl Otakarus, dux Austriae et Styriae ac marchio Moraviae, homines in villa monasterii Welehradensis nomine „Sukowicz" (Žalkowice) libertatibus donat. 1252.

Nos Premizl dei gracia, qui et Ottakarus, Dux Austrie et Stirie et Marchio Morauie omnibus hanc paginam inspecturis inperpetuum. Cum neminem lateat Welehradensem ecclesiam a piis progenitoribus nostris et nobis fontalem trahere originem, contentos esse volumus omnes nobiles Morauie nec non et villicos prouinciales hiis seruiciis, quibus eadem, proch dolor! nobis cogitur per diuersa seruicia subseruire. Verum quia sepedicte ecclesie villa in *Sukowicz* beneficiariis nostris in Prerouiensi prouincia in quibusdam xenniis indebite cogitur subseruire, volumus et mandamus gracie nostre sub obtentu, quatenus eiusdem ville homines ea paciamini gaudere libertate, qua gaudent sepedicte ecclesie hereditates

iuxta summam libertatem, quocunque loco eidem ecclesie concessam, nichil sub celo ab eisdem exigentes. Alioquin faciendo oppositum indignacionem nostram grauiter incurrentes. Precipientes vobis nichilominus, ut caueatis ne de cetero de hoc questionem aliquam vel querimoniam audiamus. Siluas eciam eorum et prata, pascua, piscaciones et alia quecunque commoda respiciencia villam in *Prizl* et alias eorum villas, in Prerouiensi prouincia sitas, omni libertate gaudere paciamini, que eis per priuilegia piorum progenitorum nostrorum et nostram clemenciam sunt concessa.

E codice Welehradensi fol. 51.

CLXXXVIII.

Wenceslaus, rex Boëmiae, confirmat Novae Civitati in Austria pro subjectione suo filio Přemysl facta omnes libertates. 1252.

Wenceslaus dei gratia Bohemorum rex omnibus presens scriptum inspecturis salutem in perpetuum. Cum ad nostram instanciam Milites et Ciues Nouee Ciuitatis filio nostro charissimo Premizl spem in nostra et ipsius ponentes gracia se subiecerunt ipsumque in dominum prouiderunt eligendum, nos una cum filio nostro, digne ipsorum deuocionis meritis respondentes, Uniuersos et singulos in nostram protectionem et graciam singularem suscipimus omnes condiciones, iura libertates et constitutiones iuxta instrumentorum, que super huiusmodi sunt confecta, tenore presentium fauorabiliter confirmantes, quicquid circa hoc actum et inuiolabiliter obseruaturi. Datum anno incarnationis domini MCCLII decime indicionis.

Hormayr's Archiv 1828. 321.

CLXXXIX.

Bruno, episcopus Olomucensis, adjudicat monasterio Oslowanensi jus patronatus ecclesiae in Nova ecclesia (Neukirch). Actum 25. Januarii, 1253.

B.(runo) dei gratia Olomucensis episcopus vniuersis presentem litteram inspecturis eternam salutem et sinceram in domino caritatem vt finem

litibus imponamus presentes scire uolumus et futuros quod nos super questione siue actione quam abbatissa et conuentus de *Oslava* vallis sancte marie habuit contra Arnoldum Serenissimi domini Bohemie regis notarium super *noua ecclesia* auditis iuribus et allegationibus partium sic sententiando ipsum negotium diffinimus quod idem Arnoldus ipsam ecclesiam uite sue temporibus plene ac pacifice possidebit et ius patronatus adiudicamus conuentui memorato. In huius rei testimonium ac euidens argumentum presens scriptum nostro sigillo fecimus communiri. Testes autem huius rei sunt Marquardus pragensis Scholasticus Albertus prepositus de Dubranik Riwinus prepositus de Thusnawitz et alii quam plures. Actum anno domini M. CC. LIII. in die conuersionis beati Pauli ordinationis nostre anno Sexto.

Ex originali ejusdem monasterii cum sigillo illaeso.

CXC.

Wenceslaus, rex Boëmiae, et Přemysl, marchio Moraviae, confirmant hospitali stelliferorum Pragae universas possessiones in Boëmia et Moravia.
Dt. Pragae, III. Idus Aprilis, 1253.

In nomine domini amen. Nos Wenceslaus, dei gracia Boemie rex quartus, omnibus Christi fidelibus tam presentibus, et futuris, ad quos hoc scriptum peruenerit, salutem in salutis auctore. Humane vite varietas, mundi cursus instabilis sua mobilitate nos ammonet, qui sumus licet immeriti in vastigio regii culminis auctore domino constituti, recordare temporum eternorum, qualiter per opera pietatis, quibus facta est, repromisso hereditatis eterne dominatori omnium placeamus, ita ut cum dies extreme examinationis aduenerit tuba clangente angelica in aduentu filii hominis a dextris in numero ouium gregis domini collocemur. Sane cum religionis propagationem plantare, et plantatam fouere modis omnimodis debeamus precipue tamen hospitale sancti Francisci, quod olim ad sanctum Petrum, nunc autem in ciuitate Pragensi in latere pontis constructum est, prosequi volumus fauore ampliori ea nimirum ratione, qua Agnes carissima soror nostra ancilla Christi eiusdem hospitalis primum auctrix extiterit et fundatrix.

Qua de re omnia bona, villas, possessiones, ecclesias, fora, thelonia, syluas, prata, pascua, domos, molendina, aquas, piscationes, oblationes, decimas, predia rustica vel urbana, immobilia vel mobilia, sine se mouentia a nobis, vel a matre nostra magnifice memorie regina Constantia, et dicta germana nostra Agnete, aut fratre nostro *Premyzel, marchione morauie,* et charissimo nato nostro *Premyzel* duce Austrie, et Styrie, et *marchione Morauie,* vel a quocunque fideli regni nostri eidem collata fuerint hospitali, tenore presentium in perpetuum confirmamus. Bona autem hec sunt: ecclesia sancti Petri in uico Teutonicorum cum agris, areis, molendinis et aliis pertinentiis suis. Lupotyn cum villulis, scilicet Humenecz, Hnidoshicz, agris, vineis, pratis, syluis, et omnibus pertinentiis suis, Boroticz, Drahesbicz, Supenovicz, cum syluis, agris, theloneis, et omnibus pertinentiis suis, que mater nostra Constantia regina magistro et fratribus hospitalis de nostro consensu et libera voluntate ad refectionem contulit infirmorum. Daulicz cum suis pertinentiis. Dobrzichouicz cum agris, syluis, aquis, pascuis, vineis et aliis pertinentiis suis, ecclesiam in Wirbna cum omnibus iuribus, decimis, et aliis pertinentiis suis, ecclesiam in Cubito, cum omnibus iuribus, villis, decimis, et aliis pertinentiis suis. Cralup quoque villam, que iacet super Wltawam, quam olim Champnosius ciuis Pragensis minus iuste occupauerat, quando fuit subcamerarius matris nostre regine Constantie, cum nec a nobis nec ab aliquo progenitorum nostrorum unquam sibi data fuerit, vel alicui de suis, predicto conferimus hospitali absque aliqua contradictione perpetuis temporibus iure proprio possidendam, item villam forensem Humpoldts cum thelonio, syluis, agris, cultis et incultis, et eliis pertinentiis suis. Ecclesiam etiam *sancti Ypoliti citra Znoymam,* et ecclesiam in *Kotikelic in Morauia* cum villis, agris, vineis, syluis, molendinis, decimis, et aliis attinentiis suis a nobis collatas de consensu diocesani Brunonis confirmamus eisdem fratribus hospitalis. Insuper Zirnobnich, quod iacet in prouincia Schacensi cum villis Blatna, Thize, Hrobozana, Balkoua, Hozdrazek, que nobis moriente Choyata sine prole obuenerant sorori nostre Agneti ad edificationem claustri contulimus, que ea predicto hospitali de nostro libero consensu vendidit, cum syluis, agris, et aliis pertinentiis suis in perpetuum libere possidenda. Villam etiam Walov, que a Praga ad milliare distat, quam Kunradus cognomine Ioculator de nostro consensu eis

vendidit. Villam etiam in Priboy, et villas Duba, Brizna, Brzizina horka, Rozpredicz, quas Albertus miles de Duba, et Ioannes cognatus eius de nostro consensu cum syluis, agris, pratis, molendinis eisdem contulerunt iure proprii possidenda confirmamus. Preterea villas Hunprechicz, Drahonicz, Zadiuicz, Wieczouicz, Dirnouicz, quas Fridericus miles marsalcus coniugis nostre regine Kunigundis de nostro consensu eis contulit cum syluis, agris, cultis et incultis, et aliis pertinentiis suis iure proprio possidenda confirmamus. Item villam Czhernucz maiorem, que a Praga fere ad duo milliaria distat, quam Bohuslawa relicta nobilis viri Zwistonis coram omnibus nobilibus regni assentiente filio suo Zulizlao milite in monasterio sancti Francisci in die sancti Spiritus libere contulit post mortem suam hospitali cum agris et omnibus aliis pertinentiis, et cum omnibus immobilibus atque mobilibus, siue se mouentibus, quam collationem nos predictis fratribus hospitalis in perpetuum confirmamus. Villam etiam *Ratczicz* sitam in *Morauia,* quam germanus noster *Premyzel marchio Morauie* eidem hospitali contulit, predium etiam situm in villa *Chedomicz* cum vinea, agris, syluis, molendinis, et areis duabus in ciuitate *Znoym,* et aliis pertinentiis suis que Zunglo ioculator cum consensu filii nostri Premyzel marchionis Morauie eidem vendidit hospitali, predictis fratribus confirmamus. Ecclesiam etiam sancti Valentini in ciuitate Pragensi cum areis adiacentibus, et cum villa Iezenicz, que eiusdem ecclesie dos est, quam nobiles viri Dobrohost, Albertus, Thirsko donauerunt, hospitali et fratribus confirmamus, areas quoque circa sanctum Valentinum usque ad pedem pontis, quas relicta viri nobilis Hroznate cum consensu filiorum suorum Wilhelmi et Benessii libera voluntate donauerunt eidem hospitali et fratribus confirmamus. Ad hec villas et predia cum thelonio super pontem, et denariis, qui recipiuntur de tabernis vini in ciuitate Pragensi, et extra circa menia ciuitatis, que ad reparationem fracture pontis destinata sunt, magistro et fratribus hospitalis conferimus in perpetuum possidenda, ita ut ipsi fratres de bonis predictis fracturas pontis secundum antiquam consuetudinem teneantur, cum necesse fuerit, resarcire. Ville autem he sunt Zliuenecz, Holina, Wranshicz, Maleticz, Zelibov, Talen, Smirchovic, Tribotoue unum predium cum pratis, syluis et aliis pertinentiis suis hospitali et fratribus in perpetuum confirmamus. Porro hospitale de Myza cum ecclesia, villis, syluis, molin-

dinis et aliis pertinentiis suis predicto hospitali et fratribus in Praga conferimus in perpetuum possidenda. Item hospitale in Ponte cum capella sancti Wenceslai adiacente, cum villis et aliis pertinentiis suis Pragensi conferimus hospitali. Hec omnia inquam supradicto magistro et fratribus hospitalis sancti Francisci in latere pontis in Praga conferimus, et confirmamus in perpetuum possidenda. Omnes etiam libertates et immunitates, quas nos et predecessores nostri generis et honoris Wissegradecensi, uel cuicunque alii ecclesie regni nostri concessimus, predicto conferimus hospitali, ita ut hospitalia de Myza, et de ponte, nec non alia hospitalia, que eidem domui accesserint in futurum, sed et domus, ecclesia, ville, allodia predicti hospitalis serenitatis nostre predictis libertatibus glorientur. Ut autem celsitudinis nostre donatio et confirmatio perpetuis temporibus maneat inconuulsa, presens scriptum sigillorum nostrorum munimine roboramus. Testes autem huius facti sunt: Nicolaus Pragensis ecclesie episcopus, Tobias prepositus, Vitus decanus Pragensis, Engelbertus decanus, Fridericus scolasticus. Albertus canonicus Wissegradensis. Ioannes abbas de Strahow, Martinus abbas de Brewnow, frater Conradus de Wormacia, et frater Farkasius de domo sancti Francisci. Nobiles viri Gallus, Zmilo, Borso, Bauarus, Witico de nouo castro, Cunradus de Klingeberg, Zulizlaus filius Zuestonis, Borata, Pomen, Zawicz, Pytrolfus miles, Frowinus Eberling monetarius, Heinricus dictus Chreutzpurgerarius ciwes Pragenses, et alii quam plures. Datum in Praga anno domini milesimo ducentesimo quinquagesimo tertio, octaua idus Aprilis, indictione undecima, per manum Herbordi curie nostre notarii. Nos etiam *Ottakarus, qui et Primissel, dux austrie et marchio Morauie natus inclyti regis Wenceslai* collationem seu confirmationem patris nostri ratam habentes omnia supradicta magistro et fratribus hospitalis bona voluntate in perpetuum confirmamus. In cuius argumentum sigilla nostra per manum Wilhelmi curie nostre notarii appendi iussimus ad cautelam presentium et presidium futurorum, nos quoque Nicolaus Pragensis piam ordinationem et donationem seu confirmationem illustrium principum regis Bohemie Wenceslai, et filii sui Ottakari, qui et Primisl pio fauore prosequentes auctoritate omnipotentis dei, et nostra sub interminatione anathematis prohibemus, nequisquam predictum hospitale, quod summo pontifici immediate subiacet, in rebus vel personis audeat

molestare, ad cuius euidentiam presentem chartam sigilli nostri appensione signamus. Datum in Praga sicut supra dictum est anno domini millesimo ducentesimo quinquagesimo tertio.

Bienenberg — Analekten pag. 26.

CXCI.

Guido, cardinalis et legatus, fratribus Praedicatoribus Olomucii indulgentias elargitur. Dt. Leodii, XIII. Kal. Julii, 1253.

Frater Guido miseratione diuina tituli sancte Sabine presbyter Cardinalis apostolice sedis legatus. Dilectis in Christo . . priori et fratribus ordinis predicatorum *Olomucen.* salutem in domino. Licet is de cuius munere uenit ut sibi a fidelibus suis digne ac laudabiliter seruiatur de habundantia pietatis sue, que merita supplicum excedit uota, bene seruientibus multo maiora retribuat, quam ualeant promereri. Volentes tamen nichilominus populum domino reddere acceptabilem fideles Christi ad complacendum ei quibusdam illectiuis muneribus, indulgentiis scilicet et remissionibus inuitamus, ut exinde reddantur diuine gratie aptiores. Cupientes igitur, ut ecclesia uestra congruis honoribus frequentetur omnibus Christi fidelibus uere penitentibus et confessis, qui ad ecclesiam ipsam in festo beati Petri martyris ac per octauas ipsius causa deuotionis accesserint annuatim sexaginta dies de iniuncta sibi penitentia misericorditer relaxamus. Datum Leodii XIII. Kal. Iulii; pontificatus domini Innocentii pape IIII. anno decimo.

Ex originali ejusdem monasterii cum sigillo integro.

CXCII.

Innocentius papa IV. regem Boëmiae hortatur, ut ad pacem et concordiam redeat cum rege Hungariae. Dt. Assissii, Kalendis Julii, 1253.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. Illustri viro . . *regi Boemie* salutem et apostolicam benedictionem. Si considerarent ut expediret guerrarum discrimina dimicantes, cum hinc inde vix aut numquam nisi animarum pericula, excidia personarum et rerum damna reportent, ab

eorum forsan inchoatione vel saltim exercitio abstinerent. Sed quia quosdam sic plerumque impetus furoris inuoluit, ut eo plus sebellis exercitent, quo magis ipsorum non sine amaritudine detrimenta degustant, oportet nos qui non tam puri hominis quam veri dei vicem in terris gerimus, partes nostras contra talia interponendo discrimina, remouere scandala, sedare litigia et reuocare ad concordiam discordantes. Accepimus siquidem veridica relatione multorum, quod inter *te et P.(remysl) natum tuum ducem Austrie* ex parte una, et carissimum in Christo filium nostrum . . regem *Ungarie* illustrem ex altera, adeo scintilla discordie sufflante inimico humani generis est succensa, ut quos antea familiaris decorabat dilectio et familiaritas confouebat alterna, tempestatis exagitet spiritus, et in profundum vorago iurgiorum absorbeat, dum ad non necessaria bella sed perniciosa prorsus insurgitis et ad inuicem dimicatis. Sicque fit, quod vobis regna vestra predantibus et depopulantibus circumpositas regiones, terra remanet habitatoribus prohdolor! desolata. Quia vero nostre sollicitudinis interest, ut nos qui disponente domino uniuersali regimini presidemus, ex officio nostro, pro eo maxime quod ecclesia, queinde consueuerunt nunc ledi nunc destrui preseruentur, et christianus populus taliter non perdatur, tantis occurramus periculis remediis opportunis. Celsitudinem tuam rogamus, monemus et hortamur attente, in remissionem tibi peccaminum imponentes, quatenus ab huiusmodi guerris omnino desistens, cum predicto rege sic ad pacem et concordiam pro Apostolice Sedis et nostra reuerentia sine dilatione ac difficultate qualibet reuertaris, quod exinde apud deum et homines valeas non immerito commendari. Nos enim dilectum filium fratrem Valascum penitentiarium nostrum ad partes illas ad reformanda inter vos pacis federa destinamus, dantes ei cogendi contradictores et rebelles per excommunicationis in personas et terras ipsorum interdicti sententiam plenariam potestatem; non obstante si vobis ab apostolica Sede concessum sit, ut in vos seu terras vestras non possint huiusmodi sententie promulgari. Dat. Asisii, Kalendis Iulii. Pontificatus nostri anno XI.

In eundem modum nobili viro . . duci Austrie.

In eundem modum . . regi Ungarie.

Ex autographo Regesto Innocentii IV. anni XI. epist. 5. in tabulariis Vaticanis.

CXCIII.

Idem episcopo Frisingensi mandat, ut fratrem Walascum in reformanda inter reges Boëmiae et Hungariae pace adjuvet. Dt. Assissii, III. Nonas Julii, **1253.**

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. Venerabili fratri . . . episcopo Frisingensi salutem et apostolicam benedictionem. Si considerarent . . . *(ut in praecedenti bulla verbis competenter mutatis usque . . .)* promulgari. Quo circa fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus interponens ad predictam pacem efficaciter partes tuas eidem penitentiario des ad id fauorem consilium et auxilium oportuna. Ita quod proinde tuam diligentiam et sollicitudinem dignis in domino laudibus commendemus. Datum Assisii III. nonas Iulii, pontificatus nostri anno vndecimo.

Fejér — Tom. IV. Vol. 2. P. 198.

CXCIV.

Idem fratri Walasco, ordinis fratrum Minorum, facultatem concedit dispensandi cum Přemysl duce et Margaretha ducissa Austriae, ut in matrimonio contracto remanere valeant. Dt. Assissii, III. Nonas Julii, **1253.**

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. Dilecto filio fratri Walasco ordinis fratrum Minorum penitentiario nostro salutem et apostolicam benedictionem. Deuotione quam carissimus in Christo filius noster . . Rex *Boemie* illustris ad apostolicam Sedem habere dinoscitur promerente, ipsum et eius obtentu dilectum filium nobilem virum *P.(remysl)* natum eius ducem Austrie, qui tamquam catholicus et deuotus princeps paterna imitatur vestigia, prerogatiua fauoris prosequimur eorumque votis nos fauorabiles exhibemus. Cum igitur sicut ex parte ipsorum fuit propositum coram nobis, idem dux nobilem mulierem *Margaretam* ducissam Austrie duxerit in uxorem, nos dictorum regis et ducis precibus benignum impertientes assensum, dispensandi cum predictis coniugibus, ut quarta consanguinitatis et tertia affinitatis linea, qua sibi ad inuicem attinent, nequaquam obstante, in huiusmodi

matrimonio licite remanere valeant, plenam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem. Datum Asisii, III. nonas Iulii. Pontificatus nostri anno XI.

Ex autographo Regesto Innocentii IV. anni XI. epist. 2. in tabul. Vaticanis. — Exc. apud Wadding III. 513.

CXCV.

Idem eidem conditionem scribit, sub qua cum eisdem dispensare possit. Dt. Assissii, II. Nonas Julii, 1253.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. Dilecto filio fratri Walasco ordinis fratrum Minorum penitentiario nostro salutem et apostolicam benedictionem. Cum dilectus filius nobilis vir *P.(remysl)* natus carissimi in Christo filii nostri .. Regis *Boemie* illustris, dux Austrie nobilem mulierem *Margaritam* ducissam Austrie duxerit in uxorem, nosque ad eorundem regis et ducis instantiam dispensandi cum predictis coniugibus, ut quarta consanguinitatis et tertia affinitatis linea, qua sibi ad inuicem attinent, nequaquam obstante, in huiusmodi matrimonio licite remanere valeant, plenam tibi concedimus per alias nostras literas facultatem: mandamus quatenus ad dispensationem huiusmodi non procedas, nisi prius dicti rex et dux literas suas patentes tibi dederint et firmauerint etiam iuramento, quod iidem ecclesie et carissimo in Christo filio nostro W. regi Romanorum illustri assistent fideliter, et ad eius requisitionem prefatus rex Boemie per se, si poterit, alioquin per nuntios sollemnes, et dictus dux personaliter, quando commode poterunt, ipsius regis Romanorum adibunt presentiam, recepturi ab eo regalia, eique homagium ligium prestituri. Dat. Asisii, II nonas Iulii anno XI.

Ibidem — epist. 3. — Excusa ibidem.

CXCVI.

Přemysl, marchio Moraviae, confert ecclesiam in Myslowice monasterio Geracensi in Austria. Dt. Brunae, III. Idus Julii, 1253.

Premizl dei gratia dux Austrie et Stirie, et marchio Moravie vniuersis hanc litteram inspecturis in perpetuum. Noscat igitur tam presens

hominum etas, quam futura, quod nos retributionis et gratie futurum meritum exspectantes ab eo, cuius ad similitudinem prouidentia nos condidit et redemit, ut heredes faciat regni sui, huius boni non immemores dilectis nobis fratribus claustri ecclesie Marie in *Ierus* pro remedio anime nostre, et nostrorum remissione peccaminum ecclesiam sitam in uilla *Mislowicz* contulimus liberaliter cum vniuersis attinentiis et prouentibus ad eandem pertinentibus, quocunque nomine censeantur, perpetuo possidendam. In cuius facti robur, memoriam et cautelam presentem paginam ipsis dari mandauimus sigilli nostri in testimonium charactere communitum. Testibus, qui aderant, subnotatis. Qui sunt, Boschò burchgrauius Znoymensis, Zmilo de Belcowe, et fratres sui Ratiborius, Ierosius, et Marquardus, et alii quam plures. Actum et datum Brune per manum nostri prothonotarii magistri Wilhelmi. Anno domini M. CC. LIII. III. Idus Iulii. XI. indictionis.

Marian — Oestreichische Klerisey — IX. p. 131.

CXCVII.

Idem hospitali infirmorum Olomucii jus patronatus parochiae s. Mariae confert. Dt. Olomucii, Nonis Augusti, 1253.

Premisl qui et Othacarus dei gracia Dux Austrie et Stirye et Marchio Morauie Dilecto sibi Iohanni procuratori hospitalis infirmorum in *Olomuc* suisque successoribus imperpetuum. Pium est conueniens et salubre preces eorum benigne et fauorabiliter admittere qui talia que profectum mortalium salutem animarum et honorem dei respiciunt student efficaciter promouere Quare cum per venerabilem in Christo patrem dominum Brunonem Olomucensem episcopum et dominum Wilhelmum notarium nostrum et dominum Bocekonem et alios plures curie nostre nobiles et fideles et per te ipsum supplicatum nobis vt ius patronatus *parrochie sancte Marie* conferre curaremus ad hospitale infirmorum ciuitatis eiusdem nos eorum precibus ac tuis desideriis annuentes damus et conferimus liberaliter ob reuerenciam Iesu Christi et beati Anthonii confessoris et pro anime nostre remedio et salute hospitali predicto ius patronatus ecclesie memorate vt hoc in ea et alia omnia in temporalibus attinencia perpetuo debeat possi-

dere. Quod autem nullus processu temporis super hac donacione nostra liberaliter et de consensu predicti domini Brunonis episcopi rite facta dubietatis seu friuole questionis scrupulus debeat emergere nullaque possit calumpnia suboriri presentem paginam in euidens argumentum et ad rei memoriam sempiternam conscribi et sigilli nostri munimine iussimus roborari. Acta sunt hec in Olomuc Anno domini M. CC. LIII. Indiccione XI. presentibus hiis testibus domino Brunone Olomucensi episcopo Bocekone cum fratribus Mikulone et Kunone Ienchone cum fratre suo Hartlebo Iohanne pipa Smilone de belkow cum fratribus suis Iarosio et Marquardo Sdeslao de Sternberk dapifero Wolbramo pincerna Pardusone Camerario Olomucensi et fratre suo Sudomiro camerario Brechislauiensi Pircosio burgrauio Olomucensi. Beneda forestario quod vulgariter sonat Lowci Bludone filio Onsonis Nezamislo Iohanne iudice Olomucensi Heinrico de Huzzek Otthone de Mesow Marquardo de Stiria Calocho de Tulbingen teuthonicis Petro prouinciali Olomucensi et alio Petro prouinciali Brecislauiensi Walthero de Ibs Sifrido et fratre eius Gotfrido scriptoribus curie nostre et aliis quam plurimis. Datum in Olomuc per manum Wilhelmi prothonotarii nostri Nonas Augusti.

E codice II. privilegiorum capituli Olomucensis fol. 23.

CXCVIII.

Idem camerario Olomucensi Pardus, attendens devota servitia ejus, villam Wsisko haereditarie confert. Acta 1253.

In nomine domini nostri Iesu Christi. Amen. Nos dei gracia Premizl. Dux Austrye et Styrie. et Marchio Morawie. Omnibus hanc litteram inspecturis. in perpetuum. Quia diuina fauente clementia in principatu morauie. nostris predecessoribus tamquam heres legitimus successimus oportune. conuenit. vt eos sequentes qui prosperitati congratulando temporis suis fidelibus in hereditatibus et commodis diuersis prouidebant. et nos nostris temporibus fidelium nostrorum considerantes constanciam inconuulsam. ipsis rationabiliter prouidere curemus. Nouerint igitur vniuersi. tam presentis temporis homines quam futuri. Quod nos attendentes deuota seruicia

mini Parduzs Olomucensis Camerarii. dilecti fidelis nostri. que nobis et ogenitoribus nostris semper intrepidus preparauit. satis matura deliberane intercepta. ne labores sui irremunerati pertransirent. villam vulgariter *sische* nuncupatam de nostra gracia speciali cum omnibus attinenciis is et cum hiis que ad camerarium. ad subcamerarium. et ad dapiferum rtinere noscebantur ibidem. iure hereditario eidem contulimus possidenm. Statuentes. immo firmissime inhibentes. ne quis heredum aut successrum nostrorum. hanc nostram donacionem solempniter factam. in irritum iocare valeat. vel ipsum. vel successores suos. in posterum aliquatenus lestare presumat. Et ut hec nostra donacio robur obtineat firmitatis. nc nostre donacionis paginam. sibi et suis successoribus conscribi fecimus. sigilli nostri munimine roborari. Acta sunt anno dominice Incarnacionis . CC. LIII. Coram testibus quorum nomina subscribuntur. Dominus Nicolaus epositus Olomucensis. Iohannes archidiaconus Prerouensis. Iohannes denus Olomucensis Gregorius canonicus Olomucensis. Prycos burchrauius omucensis. Beneda vorstarius. Iohannes sudarius. Ratiborius dapifer. ilo burchrauius bethowensis. Zdezlaus subdapifer. Wolframmus pincerna. kul frater bochconis. Cvno burchravius de Weuerij. Benes subcamerais. Gyencho. Cstiborius. Pabian. Mikul. Buz. Nezamisl cum fratre suo tiborio. Diuis. Florian. Budizlaus iudex Oppauiensis. et alii quam plures. orum nominibus non est opus. Datum per manum Wilhelmj tunc nostre rie notarii.

Ex originali cum sigillo integro in archivo capituli Olomucensis. — Apogr. in Codice Olomuc. I. f. 12.

CXCIX.

em promittit Innocentio papae IV., se ecclesiae ac regi Romanorum Wilhelmo assistere velle. Dt. in Krems XV. Kal. Octobris, 1253.

Sanctissimo patri et domino Innocentio diuina prouidentia sancte mane ecclesie summo Pontifici. Otakarus dei gracia illustris regis emie filius, dux Austrie et Stirie et Marchio Morauie, cum debita rerentia pedum oscula beatorum. Significamus sanctitati vestre, quod nos requisitionem venerabilis viri fratris Velasci ordinis fratrum minorum

penitenciarii et nuntii vestri, promisimus et iurauimus tactis sacrosanctis euangeliis bona fide et sine vllo malo ingenio, in manibus eiusdem nuntii in presentia venerabilium patrum videlicet Chunradi Frisingensis, Alberti Ratisponensis et Berhtoldi Patauiensis episcoporum, presentibus etiam fratre Friderico guardiano fratrum minorum de Stein, et fratre Meinhardo suppriore fratrum Predicatorum de Chrems, et etiam sub nostro iuramento paternitati vestre tenore presentium promittimus, quod nos assistemus per nos et nostros cum terris, castris et ciuitatibus nostris et cum toto posse nostro romane ecclesie et summo pontifici qui pro tempore fuerit, et Willelmo illustri regi Romanorum, quamdiu in gratia et deuotione eiusdem Romane ecclesie perstiterit, et iuuabimus eum fideliter et sincere, et ad ipsius regis requisitionem, quam citius commode poterimus, adibimus presentiam eius et recipiemus ab eo regalia, et sibi homagium ligium prestabimus; et hec omnia que promisimus et iurauimus in hac parte, seruabimus pure et sincere et sine fraude toto tempore vite nostre. In cuius rei testimonium et euidentiam pleniorem presentes literas sigillis predictorum nuntii ac penitentiarii et episcoporum, guardiani et supprioris ac nostro fecimus sigillari. Datum in Chrems, XV. Kalendas Octobris, anno domini millesimo ducentesimo tertio (sic).

Ex originali cum sigillis laesis in tabul. Vaticanis descripsit F. Palacký. — Exc. incorrectius in Raynaldi Annalibus ad annum 1203. T. XIII. p. 105.

CC.

Bruno, episcopus Olomucensis, ex synodo Cremsiriensi decretat de praedicatione et confessione in favorem fratrum Praedicatorum et Minorum suae dioecesis. Dt. in Modřice, in adventu domini, 1253.

B.(runo) dei gratia Olomucensis episcopus. Dilectis in Christo filiis vniuersis archidiaconis, archipresbyteris, decanis et aliis ecclesiarum rectoribus, per *Olomucensem* ciuitatem et diocesim constitutis, salutem et benedictionem. Meminimus nos nuper in synodo nostra, quam in Chremsier celebrauimus, generali in vestra presentia ordinasse, ut simulationi et deceptioni eorum, qui non premissa suorum confessione peccatorum, nec

lutione recepta, indigni singulis annis presumunt accedere ad recipiendum
inici corporis sacramentum, in suarum dispendium animarum, deberemus
opere precauere. Propter quod decretalem illam uidelicet: Omnis utriusque
is etc. in qua continetur, ut singuli parrochiani semel in anno saltem,
sacerdotibus confiteantur, mandauimus publicari, volentes, ut singuli
rum suos parrochianos hortari debeant, quod secundum dicte decretalis
rem ad minus semel in anno adirent proprios sacerdotes, et facta eis
essione, suorum peccatorum absolutionem reciperent ab eisdem. Addi-
is etiam, ut si qui uestrum ordinationem nostram peruertere, uel decre-
n ipsam aliter, quam sonat, exponere, uel aliquid super addere pre-
erent, excommunicationis sententiam incurrerent, quam in eos tulimus,
facto. Sed quidam ex vobis, prout intelleximus et dolemus, precepti
sententie nostre immemores et forsitan contemptores, minus prouide
ndentes, quod nostre intentionis non erat, per huiusmodi ordinationem
ram, dilectis in Christo religiosis viris fratribus predicatoribus et minori-
in aliquo derogare, quin secundum gratiam eis a deo datam auctoritate
s apostolice, qua funguntur ac nostra, verbum dei proponere et con-
iones libere audire possint et debeant, et iniungere penitentias salu-
s, tanquam boni et fideles cooperatores uestri, et subportatores honeris,
l ex cura animarum uobis et nobis incumbit; quos in uestrum auxilium
misit, et sedes apostolica deputauit. Dixerunt, sicut audiuimus, publice
riuate ipsorum fratrum familiaribus insultantes, quod causam penitentie
s fratres adire ulterius non deberent, et quod ipsi fratres non possent
gere penitentiam, cum non sint eorum proprii sacerdotes, quod nobis
ie erat et molestum, eo quod tales . . . inducant scandalum et multorum
a . . . Verum cum predicti fratres et eorum ordines, qui scientie
, conuersationis merito et uirtutis . . . dinoscuntur in ecclesia Dei
ipue insigniti, suis meritis promouendi sunt et extollendi omni gratia
auore; presertim cum ipsi in predicationibus et confessionibus, quos
erint, proponant firmiter populis suadere, ut singuli semel in anno
m, suis sacerdotibus parrochialibus confiteantur et ab eisdem recipiant
esiastica sacramenta; necnon inducere eos velint, ad deuotionem ue-
n et ecclesiarum vestrarum, et ut uobis et eisdem ecclesiis debitam
beant reuerentiam et honorem; dignum fore censemus et uobis decre-

uimus iniungendum, ut debitam eisdem fratribus uicissitudinem inpendentes, parrochiales uestros inducere studeatis, ut ad fratres ipsos tanquam ad peritos et salubres medicos animarum pro consiliis et confessionibus frequenter accedant, recepturi ab eisdem suorum medelam peccatorum; et uos et ipsi, ut subiectum uobis populum regere et eorum offensas in foro penitentie tutius iudicare possitis, frequenter eosdem fratres ipsos requirere et per eos instrui debeatis, ut ex mutua familiaritate, quam ex huiusmodi prouidentia contraxeritis uos et ipsi, nutriatur in uobis dilectio, pax et concordia in uestris et eorum cordibus perseueret. Quocirca uniuersitati uestre districte precipiendo mandamus, quatinus si qua . . contra predictos fratres uel in eorum scandalum huiusmodi, uel alia quacunque occasione per aliquos uestrum in populo nuntiata uel disseminata sunt, penitus reuocantes nuncietis per ecclesias uestras populo uniuerso, quod ad fratres ipsos pro confessionibus et penitentiis possint accedere libere, sicut prius. Volumus etiam, ut populo ipsi nuntietis, ut in qualibet quadragesima (XL.) pro confessionibus faciendis et penitentiis recipiendis, semel ad minus ad suos sacerdotes parrochiales, qui eorum conscientias scire debent, et quilibet sui pectoris uultum cognoscere, accedere non postponant. Quod si forte id facere neglexerint, aut contempserint, uobis licitum sit, eosdem parrochiales per subtractionem eucharistie et aliorum sacramentorum premissa admonitione congrua cohercere. Datum in Moderis Anno gratie MCCLIII. in aduentu domini.

Ex originali cum sigillo illaeso in arch. fratrum Praedicatorum Olomucii.

CCI.

Přemysl, haeres et dominus Boëmiae et marchio Moraviae, Innocentio papae IV. promissum de assistendo ecclesiae Romanae ac Wilhelmo, regi Romanorum, innovat. Dt. Pragae, VI. Idus Novembris, 1253.

Sanctissimo patri ac domino Innocentio diuina prouidentia sancte Romane ecclesie summo pontifici. P.(remysl) dei gratia heres et dominus regni Boemie, dux Austrie et Styrie et *Morauie marchio*, cum debita reuerentia pedum oscula beatorum. Significamus Sanctitati vestre, quod

nos ad requisitionem venerabilis viri fratris Velasci, ordinis fratrum Minorum, penitentiarii et nuntii nostri, promisimus et iurauimus, tactis sacrosanctis euangeliis, in manibus eiusdem nuntii, in presentia venerabilium patrum, D. Nicolai Pragensis, D. Conradi Frisingensis, D. Brunonis Olomucensis episcoporum, ac D. Iohannis Stragouiensis et D. Martini Breunouensis abbatum, ac fratris Florentii fratrum Minorum Pragensium custodis, presentibus etiam Zmylone, Iarosio, Bochcone, baronibus regni et marchionatus nostri, et etiam Paternitati vestre cum affirmatione nostri iuramenti tenore presentium promittimus, bona fide et sine omni malo ingenio, quod nos assistemus vobis et ecclesie Romane et Willelmo illustri regi Romanorum, quamdiu in gratia et deuotione vestra et eiusdem ecclesie Romane perstiterit, per nos et nostros cum regno nostro, terris, castris et ciuitatibus nostris, et cum toto posse nostro, et iuuabimus ipsum regem Willelmum fideliter et sincere. Et cum ab ipso rege requisiti fuerimus, adibimus presentiam ipsius et recipiemus ab ipso regalia et sibi homagium ligium prestabimus. Et hec omnia que promisimus et iurauimus in hac parte, seruabimus fideliter et sincere toto tempore vite nostre. In cuius rei testimonium et euidentiam pleniorem presentes literas sigillis predictorum nuntii et episcoporum, abbatum, custodis et nostro, fecimus sigillari. Datum Prage, sexto idus Nouembris anno incarnationis domini M. CC. LIII.

Ex autographo cum sigillis laesis in tab. Vaticanis descripsit F. Palacký.

CCII.

Frater Anselmus de Domo teutonica, episcopus Warmiensis, ecclesiam in Stihnice consecrat ejusque dotem confirmat. Dt. in Stihnice, 29. Decembris, 1253.

In Nomine Domini Amen. Frater Anshaelmus de Domo devtonica, dei gratia Warmiensis Ecclesie Episcopus, vniuersis Christi fidelibus has litteras uisuris in uero salutari salutem. Cum sit pium et honestum gesta propria sufficienti cautione munire, ad fidelium Christi memoriam, maxime per litteram que est baculus memorie, indicium ueritatis, et argumentum ueritatis. Noscat igitur tam presens hominum etas, quam in Christo suc-

cessura posteritas, quod nos Anshaelmus Episcopus de consensu et uoluntate uenerabilis patris et domini Brvnonis dei gratia Olomucensis Episcopi, Ecclesie in *Stihniz* manus consecrationis imposuimus, quam etiam limitatam et dotatam infra scriptis: duobus laneis in eadem uilla et uineis que mons dotis appellantur, cum iure quod Berchreht nuncupatur, et cum decimis ipsarum uinearum plenariis. Item cum dimidia vinea in *Maratiz*. Item cum decimis plenariis in *Stihniz* frugum et animalium. Item cum decimis uille Maratiz. Item cum decimis in *Gerz*. et cum decimis in *Strietz*. Item cum decimis in *Spaniz*. Pretaxata omnia cum aliis attinentiis sicut eam rite ac rationabiliter sub regimine domini Volchmari eiusdem ecclesie plebani, quem predicte Ecclesie et dotis pacificum et quietum possessorem, nec non predictam Ecclesiam videlicet felicis recordationis domini Rudperti Olomucensis Episcopi et successoris sui sepe dicti domini Brunonis Episcopi Olumucensis Ecclesie et Capituli sufficienti cautione, ac priuilegiorum munimine roboratam inuenimus, presentium auctoritate dedicauimus, sepe dictam etiam Ecclesiam cum dote et aliis attinentiis sub protectionem omnipotentis dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli et nostram recepimus omnes inuasores sev dotis eius alienatores publice excommunicantes. Huius rei testes sunt. Frater Sifridus de Domo devtonica. Frater Ludewicus de eadem domo. Frater Albertus dictus de Babinberch cum fratre suo Hermanno de ordine predicatorum. Iohannas plebanus de Holacwiz et decanus znoimensis prouincie. Gotfridus de Petrowiz. Petrvs de Vrbow. Chunradus de Bochdiz. Berngerus de Mirzelovs. Otto de Wischnow. Boreas de Serotiz. Eneas de Gurrihev. Liutoldus de Wolframiz plebani. Frater Hainricus de domo Hospitalis sancti Iohannis et alii quam plures. in cuius testimonium presentem litteram sigilli nostri munimine roboratam duximus concedendam. Acta in Stihniz. Anno gratie M. CC. LIII. in die beati Thome Cantuariensis Archiepiscopi et martiris.

Ex originali cum sigillo illaeso in archivo monasterii Lucensis.

CCIII.

Innocentius papa IV. confirmat fundationem et dotationem hospitalis sancti Spiritus in Antiqua Bruna fratribus sancti Joannis Hierosolymitani. Dt. Laterani, XV. Kalend. Februarii, 1254.

Innocentius seruus seruorum Dei. Dilectis filiis magistro et fratribus *hospitalis Ierosolimitani in Morauia* salutem et apostolicam benedictionem. Consueuit apostolica sedes deuotorum condescendere piis uotis et petitiones, que a iuris tramite non discordant, effectu prosequente complere. Sane porrecta nobis ex parte uestra petitio continebat, quod bone memorie Rudegerus ciuis Brunnensis et quondam Hodona uxor eius *hospitale de Brunnen,* quod in proprio fundo eorum construxerant et de bonis dotauerant propriis pro suorum remedio peccatorum liberalitate prouida donauerunt diocesani loci accedente consensu, clare quoque recordacionis Wenczelaus Rex Boemie idem hospitale nonnullis libertatibus et immunitatibus ac villis, possessionibus, vineis, siluis, molendinis et rebus aliis dotauit, postmodum munificentia liberali, prout hec omnia in instrumentis inde confectis plenius dicitur contineri. Nos igitur uestris supplicationibus inclinati concessiones huiusmodi, prout pie ac prouide facte sunt et in alterius preiudicium non redundant, ratas habentes et gratas, ipsas auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere, uel ei ausu temerario contra ire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Laterani XV. Kal. Februarii. Pontificatus nostri anno vndecimo.

Ex actis MSS. saec. XIV. ejusdem hospitalis.

CCIV.

Idem ecclesiae monasterii Zarensis indulgentias elargitur. Dt. Laterani, Idibus Martii, 1254.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis . . abbati et conuentui monasterii in deserto *Zaro* Cisterciensis ordinis Pra-

gensis diocesis, Salutem et apostolicam benedictionem. Licet is de cuius munere uenit ut sibi a fidelibus suis digne ac laudabiliter seruiatur, de habundantia pietatis sue, que merita supplicum excedit ut uota bene seruientibus multo maiora retribuat, quam ualeant promereri nichilominus tamen desiderantes reddere domino populum acceptabilem fideles Christi ad complacendum et quasi quibusdam illectiuis muneribus, indulgentiis et remissionibus inuitamus, ut exinde reddantur diuine gratie aptiores. Cum igitur sicut ex parte dilecti filii nobilis uiri *Bochonis baronis marchie Morauie comitis de Nidche,* fundatoris monasterii uestri fuit expositum coram nobis, in ecclesia uestra que in honorem beatissime virginis Marie fundata dicitur, multorum sanctorum reliquie sub reuerenda custodia conseruentur, nos cupientes ut eadem ecclesia congruis honoribus frequentetur, omnibus uere penitentibus et confessis qui ecclesiam ipsam in die dedicationis eiusdem et singulis sollempnitatibus predicte uirginis, ac festiuitate beati Nicolai uenerabiliter uisitauerint annuatim de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi centum dies de iniuncta sibi penitentia misericorditer relaxamus. Datum Laterani Idus Marcii. Pontificatus nostri anno vndecimo.

Ex originali archivi Principum de Dietrichstein Nicolsburgi.

CCV.

Otakarus = Přemysl, dominus regni Boëmiae et marchio Moraviae, pratum quoddam ad Hrdibořice situm ecclesiae esse Olomucensis protestatur.
Dt. Brunae, 1254.

In nomine domini Amen. Ottakarus qui et Prymisl dei gracia dominus Regni Boemie dux Austrie et Styrie et Marchio Morauie vniuersis Christi fidelibus presentem paginam inspecturis pacem a domino et salutem. Licet omnibus simus iusticie debitores specialiter tamen ad *Olomucensem* ecclesiam matrem nostram nostre consideracionis aciem dirigimus qualiter ipsam debitis honoribus attollamus. Hinc est quod ad vniuersorum noticiam volumus deuenire quod *pratum inter villam Hrdieboricz et pontem Cralicensem* absque omnium contradiccione ad Olomucensem ecclesiam de

iure pertinere debere presentibus protestamur vtpote quod in generali colloquio et in publico iudicio coram beneficiariis nostris Pardussio camerario Ydik castellano Iohanne iudice Hinczone officiali prouinciali et aliis beneficiariis Olomucensibus euictum extitit et obtentum. et postmodum pacifice ab ecclesia Olomucensi possessum prout quidam ex eisdem beneficiariis nobis oretenus retulerunt. Ne igitur super hiis in posterum aliqua dubietas oriatur et ne presumpcione seruili in predicto prato Olomucensem ecclesiam audeat aliquis inquietare uel in huiusmodi pacifica possessione turbare presentem paginam sigillorum nostrorum caractere ad perpetuam rei memoriam firmauimus. Huius rei testes sunt venerabilis pater Bruno Olomucensis episcopus Nicolaus prepositus Bartholomeus archidiaconus Magister Iohannes archidiaconus Prerouiensis Simon Gregorius Iacobus Allexius Item iunior Allexius canonici Olomucenses. Item Barones nostri Hartlebus cum fratre Ianzone Nezamisl cum fratre Ratiborio Beneda Magister venatorum Dominus Andreas Kavca Ratibor de Byelcowiz cum fratre Tworimiro Wsebor cum fratre Hrabisa filii Ydik Martinco de Pricaz Sulizlaus de Zabryeh et alii quam plures. Datum in Bruna in colloquio generali Anno domini Millesimo CC. LV. per manus aule nostre notariorum Wilhelmi et Arnoldi.

Ex apographo in codice Olomucensi II. fol. 71., in quod incuria scriptoris annus 1255. pro 1254. irrepsit.

CCVI.

Instrumentum pacis et concordiae inter Otakarum Boëmiae, et Belam Ungariae reges per arbitros ordinata. Actum apud Budam, feria VI. ante Palmarum, 1254.

Nos B. miseratione diuina. Archiepiscopus Colocensis, Aule Illustris regis Hungarie Cancellarius. Rolandus comes palatinus et posoniensis. Stephanus dux totius Sclauonie. Chak summus camerarius et comes Superniensis arbitratores domini B.(ele) Incliti Regis Vngarie. Significamus Vniuersis presentium per tenorem, quod cum ex parte predicti

Domini nostri constituti fuissemus super ordinatione pacis et concordie inter prefatum dominum nostrum regem, et P.(remysl) illustrem dominum dominum regem Boemie deputatis nobis et associatis coarbitratoribus Venerabili in Christo patre B.(runone) dei gratia Episcopo Olomucensi. Wythycone de noua domo. Otthone de Messe, Kadoldo orphano, Wykardo de Terna ex parte prefati P. domini regis Boemie, ad ordinationem eiusdem pacis et concordie cum effectu, tractatu prehabito diligenti, tandem conuenimus in hac forma, quod dominus noster rex Hungarie et sui heredes Ducatum Stirie cum omnibus attinenciis suis et iuribus possidebunt iure perpetuo et tenebunt usque ad terminos infra scriptos, scilicet a summitate montis qui dicitur Semernyk, secundum quod eadem montana pro diuersitate locorum adiacentium diuersis nominibus nuncupata, ab Hungaria in Bawariam protenduntur, et in Bawaria terminantur, cursu aquarum uersus Muram ab eadem summitate montium decurrentium, terminos distinguente, hoc adiecto, quod si Castrum Suarchumpah (sic) secundum decursum aque non cederet in partem Ducatus Stirie, domino nostro regi prefati nuntii et arbitratores domini P. regni (sic) Boemie assumpserunt super se obtinere cum effectu, a domino suo predicto, quod in partem domini nostri regis transeat cum omnibus suis attinenciis et iuribus, et assignetur perpetuo possidendum. Ab eadem autem summitate montium secundum cursum aquarum uersus Danubium fluentium, illam portionem Stirie cum toto Ducatu Austrie predictus P. dominus, cum suis heredibus iure perpetuo, cum omnibus attinentiis suis et iuribus possidebit etiam et tenebit. Ita insuper quod dominus noster rex de parte illa, quam ipse possidebit, domine de Impirg (sic) satisfaciet, ut contra predictum P. dominum materiam non habeat conquerendi, nichil propter hoc de Ducatu Austrie retentura. Et dominus P. de parte illa, quam ipse tenebit, satisfaciet domine preclari uxore sue, si ipsum premori contingat, et heredibus ipsius, ita ut nullam contra dominum nostrum regem, ipsa vel ipsius heredes, in parte illa, quam rex tenebit, possit habere questionem. Facta autem cognatorum et amicorum utriusque partis, iuxta ipsorum decentiam tunc ordinabuntur, quando dominus noster rex, et dominus P. prefatus, ad colloquium et tractatum conuenerint, loco et die, ad hoc communiter assignatis. Vt autem de istis articulis nichil per dominum nostrum regem immutetur, in animam

suam corporale prestitimus iuramentum, et nostrorum sigillorum nostrorum fecimus appensione roborari. Actum Anno domini. M. CC. L. IIII. apud Budam, Sexta feria ante dominicam palmarum.

Kurz — Oesterreich unter Otakar etc. — Beilage I. a. pag. 170. — ex autographo in Archivo Třebonensi.

CCVII.

Innocentius papa IV. universos ecclesiarum praelatos per Ungariam, Boëmiam, Austriam, Styriam et Moraviam constitutos monet, ut in pace componenda inter Ungariae et Boëmiae reges una cum electo Neapolitano, apostolicae sedis legato, laborent. Dt. Laterani, IV. Nonas Aprilis, 1254.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. Venerabilibus fratribus . . archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis et aliis ecclesiarum prelatis et capitulis per Ungariam, *Boemiam,* Austriam, Styriam et *Morauiam* constitutis salutem et apostolicam benedictionem. Euidenti patet exemplo, quod affectum, quem carni deus inseruit, per naturam impetere imo potius euellere penitus nititur dissensionis auctor fraudibus assuetis. Idem enim malorum omnium veternosus incentor inter Caym et Abel primos fratres odii et rancoris suggestione damnabili fomitem subministrans, alterum in exilium alterius violato germanitatis foedere prouocauit, et adhuc tam discriminosi dissidii continuo telam texens, inter carissimos in Christo filios nostros . . Ungarie et . . *Boemie* reges illustres consanguinitate coniunctos infestam admodum nobis et infaustam iam pridem discordiam seminauit, ex qua deploranda rerum, animarum et corporum grandi merore discrimina assidue prouenire noscuntur, quia desolantur ecclesie, opprimuntur orphani, pauperes et vidue prede patent, et quod grauius gerimus, fideles quos Christus suo sanguine pretioso liberos reddidit, diro gentilium subduntur dominio, compedibus obnoxii prohdolor seruitutis. Propter quod est nobis super his saniori summopere prouidendum consilio, ut ad interitum deducatur dissensionis semen huiusmodi, antequam per negligentiam amplius coalescat; quia si nostra ipsum pullulare dissimulatio ultra permiserit, difficile poterit etiam prouidentie

falce adhibita postmodum resecari, quam ignis vorax ipsorum terras regum in solitudinem redigat et mucro deseuiens eo plurium si quod absit ipsorum perueniatur ad pugnam stragem miserabilem ingerat et ruinam, quo congredientium de terris sue ditioni subiectis copiosior haberi dinoscitur numerus hinc et inde. Ne igitur huiusmodi pericula nostri dolorem animi, quem iam ex hiis que contigerunt ingentem concepimus, si eis promto non resistatur remedio, exaggerent prouentura, sed ut nostra saltem infra Christianitatis viscera gratam sollicitudo pacis quietem recipiat, cuius corpus in suis extremitatibus non absque mentis amaritudine quotidie a paganis conspicimus grauiter impugnari, pro reintegranda (sic) inter eosdem reges, discordiarum semota materia, sinceritatis amore, vel saltem ineundis treugis, que solent esse paci preambule, ut per eorum interuentum de compositione postmodum tractatus commodior habeatur, dilectum filium B. Neapolitanum electum capellanum nostrum, virum dono scientie preditum, vite integritatis (sic) conspicuum, ac nobis et fratribus nostris merito sue probitatis acceptum, commisso ei legationis officio, ut edificet et plantet, euellat, disperdat et dissipet, prout secundum datam ei a deo prudentiam expedire viderit, de consilio eorundem fratrum digne prouidimus destinandum; spe nobis proposita, quod auctore illo qui velut pax nostra fecit utraque unum et duos in se ipso parietes copulauit, eosdem Reges grato reconciliationis federe ad inuicem uniet, quos inimicus humani generis per sue fraudis commenta nequiter ab invicem segregauit. Quocirca uniuersitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta precipiendo mandantes, quatenus ipsum, imo verius nos in ipso recipientes hilariter et honorifice pertractantes, salubribus monitis et mandatis ipsius intendatis fideliter et obediatis humiliter et deuote, que pro reformatione pacis vel treugarum huiusmodi seu alias facienda duxerit inuiolabiliter seruaturi. Alioquin sententiam, quam rite tulerit in rebelles ratam habebimus, et faciemus auctore domino usque ad satisfactionem condignam appellatione remota inuiolabiliter obseruari. Datum Laterani, IIII nonas Aprilis. Pontificatus nostri anno XI.

Ex autographo Regesto Innocentii IV. anni XI. epist. 570. in tabulariis Vaticanis.

CCVIII.

Idem Berardum electum Neapolitanum, apostolicae Sedis legatum, mittit pro sedanda discordia inter Ungariae et Boëmiae reges. Dt. Laterani, pridie Nonas Aprilis, 1254.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. Dilecto filio B. electo Neapolitano, et capellano nostro, Apostolice Sedis Legato, salutem et apostolicam benedictionem. Cum te pro sedanda discordia que inter carissimos in Christo filios nostros . . Ungarie et . . *Boemie* reges illustres suborta dinoscitur, ad partes illius commisso sibi legationis officio destinemus ut nihil tibi desit ad sedandam eandem, sed illius prosecutio in tuis manibus prospere dirigatur, relaxandi iuxta formam ecclesie suspensionis et excommunicationis in quascunque personas, nec non et interdicti in loca regnorum Ungarie et Boemie et partium vicinarum sententias occasione huiusmodi discordie promulgatus recepta debita satisfactione ab eisdem personis et locis, discretioni tue auctoritate presentium concedimus facultatem. Datum Laterani, II nonas Aprilis. Pontificatus nostri anno XI.

Ibidem — epistola 919.

CCIX.

Idem universis ecclesiarum praelatis commendat electum Neapolitanum, legatum pro sedanda eadem discordia. Dt. Laterani, VIII. Idus Aprilis, 1254.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. Venerabilibus fratribus . . archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis et aliis prelatis, capitulis et conuentibus ecclesiarum ad quos litere iste peruenerint, salutem et apostolicam benedictionem. Cum dilectum filium B. electum Neapolitanum capellanum nostrum, quem nos et fratres nostri propter sue merita probitatis carum habemus plurimum et acceptum, pro sedanda discordia que inter carissimos in Christo filios nostros . . Ungarie et . . *Boemie* reges illustres suborta dinoscitur, ad partes illas commisso sibi legationis officio destinemus, uniuersitatem vestram rogamus,

monemus et hortamur attente mandantes quatenus eundem electum, cum ad vos accesserit, pro apost. Sedis et nostra reuerentia recipientes ac honorifice pertractantes, ei ac familie sue de necessariis et securo conductu liberaliter prouidere curetis, ita quod ipse cum ad nos redierit grata de vobis referre valeat, nosque deuotionem vestram proinde dignis in domino laudibus commendemus; alioquin sententiam, quam rite tulerit in rebelles ratam habebimus, et faciemus auctore domino usque ad satisfactionem condignam appellatione remota inuiolabiliter obseruari. Datum Laterani, VIII idus Aprilis. Pontificatus nostri anno XI.

Ibidem — epistola 917.

CCX.

Idem ecclesiam monasterii Rayhradensis visitantibus indulgentias elargitur. Dt. Laterani, VII. Idus Aprilis, 1254.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis preposito et conuentui monasterii sancti Petri de *Raygrad* ordinis S. Benedicti Olomucensis diecesis salutem et apostolicam benedictionem. Loca sanctorum omnium pia et prompta sunt deuotione a Christi fidelibus veneranda, ut dum dei honoramus amicos, ipsi nos amabiles deo reddant, et ipsorum nobis vendicando quodammodo patrocinium apud ipsum, quod merita non obtinent, eorum mereamur intercessionibus obtinere. Licet igitur, sicut intimantibus nobis accepimus, fideles Christi ad ecclesiam vestram in festo b. Petri, in cuius honore ipsa asseritur ecclesia dedicata, deuote accedant, suorum impetraturi veniam delictorum, ut eo tamen libentius et uberius veniant ad eandem, quo dono celestis gratie salutaris senserint se refectos, omnibus vere penitentibus et confessis, qui eandem ecclesiam in iam dicto festo venerabiliter visitant, annuatim XL. dies de iniuncta sibi penitentia misericorditer relaxamus. Datum Laterani VII. Idus Aprilis. Pontificatus nostri anno XI.

E copia ejusdem monasterii a R. D. Abbate Victore Schlossar transmissa.

CCXI.

Otakarus - Přemysl, dominus regni Boëmiae, dux Austriae et marchio Moraviae, fratribus hospitalis sancti Joannis jus montium in vineis juxta Brunam confert. Dt. Brunae, pridie Kalendas Junii, 1254.

Otacharus qui et Premizl dei gracia dominus regni Boemie dux Austrie et marchio Morauie. Omnibus hanc paginam inspecturis imperpetuum. Cvm sit cautum cogitanti perpetua de salute exitus sui diem operibus misericordie preuenire, et eternorum intuitu temporalia seminare, nos qui mercari precio temporalium volumus sempiterna. innotescimus tam presentibus quam victuris, quod deo deuotis es nobis dilectis *fratribus hospitalis s. Iohannis baptiste*, quorum est sollicitudo precipua, pauperes Christi pascere et potare. donamus *ius moncium in vineis iuxta Brunnam* ad usus pauperum possidendam perpetuo. et tenendam translatum in ipsos fratres hospitalis antedicti, ex nostra donatione, cum omni plenitudine iuris nostri, sperantes, vt ex hoc et aliis, que per nos facta fuerint prouide, deo dante, non solum nostra dignitas temporalibus, sed et eternis proficiat feliciter incrementis. Vnde vt nostra non sine commendabili deliberatione prehabita, donacio robur optineat perpetue firmitatis, presens instrumentum in euidens testimonium et munimen, et conscribi et sigillorum nostrorum munimine mandamus roborari. cum testibus subnotatis. Qui sunt. Venerabiles Chunradus Frisingensis et Bruno Olomucensis episcopi. Otto comes de Hardekke. Boschco comes de Bernekke et burcrauius in Znoym. Chuno, Nycolaus, et Zmilo fratres eius, Iaenzo, et Hartlibus fratres, Albero de Chunringen. Heinricus pincerna de Habspach, magister Wilhelmus prothonotarius noster, et alii quam plures. Actum in Znoym et datum Brunne, anno domini M. CC. LIIII. pridie Kalendas Iunii.

Ex archivo Magni Prioratus Melitensium Pragae cum sigillo illaeso.

CCXII.

Innocentius papa IV. confirmat Volkmaro possessionem parochiae in Slihnice. Dt. Assisii, V. Kalend. Junii, 1254.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. Dilecto filio Valhcmaro rectori ecclesie de *Slihniz*, Olomucensis diocesis, salutem et apostolicam

benedictionem. Iustis petentium desideriis dignum est nos facilem prebere assensum, et vota, que a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Sane petitio tua nobis exhibita continebat, quod venerabilis frater noster . . *Olomucensis* episcopus auctoritate propria parochiam ecclesie tue de *Stihniz* ab aliis circumuicinis parochiis certis distinguens finibus, eam debitis limitibus terminauit, ad id Olomucensis capituli accedente consensu, prout in literis ipsius episcopi super hoc factis eiusque ac dicti capituli sigillis sigillatis plenius dicitur contineri. Nos igitur tuis supplicationibus inclinati, quod per eundem episcopum in hac parte prouide factum est, ratum habentes et gratum, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostre confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Asisii, V. Kalendas Iunii. Pontificatus nostri anno XI.

Ex autographo Regesto Innocentii IV. anni XI. epist. 743. in tabulariis Vaticanis.

CCXIII.

Idem electo Neapolitano, suo legato, mandat, ut officio suae legationis supersedeat, quum rex Ungariae coram sede apostolica comparere, illiusque judicio stare promiserit. Dt. Anagniae, III. Idus Julii, 1254.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei Electo Neapolitano apostolice Sedis Legato. Venerabilis frater noster . . Zagabriensis episcopus et dilectus filius frater Ecclesie de ordine Minorum, postquam discessisti a nobis, ad Sedem Apostolicam accedentes, ex parte carissimi in Christo filii nostri . . Regis Ungarie illustris nobis exponere curauerunt quod Rex ipse occasione discordie inter eum et carissimum in Christo filium nostrum . . Regem Boemie illustrem exorte, auctoritate nostra citatus extiterat, ut in festo natiuitatis beati Iohannis Baptiste proximo (sic) preterito per responsalem idoneum in nostra compareret presentia, propter quod eosdem episcopum et fratrem ad predictam Sedem in ipso termino

destinarat, quodque rex idem nostre super hec ordinationi stare uolebat, et ad firmitatem et securitatem maiorem paratus erat castra, munitiones et alia que tenet in terris et locis de quibus inter ipsum et prefatum Regem Boemie predicta interuenit discordia, eiusque Sedis nuntiis assignare, per ipsos interim retinenda, dummodo dictus rex Boemie de his que ipse tenet similem propter hoc assignationem duceret faciendam. Et hec eadem frater Velascus de ordine Minorum, quem pro huiusmodi negotio in Ungariam olim transmisimus similiter dixit nobis; super quibus iidem episcopus et frater Ecclesie patentes ab ipso Rege habebant literas et mandatum. Licet igitur te ad ipsius Ungarie partes commisso in illis legationis officio pro eodem negotio duxerimus destinandum: quia tamen tunc ista ignorabamus, et quod ipse Rex Ungarie talem in his gereret uoluntatem, uolumus et presentium tibi tenore mandamus, quatenus predicto legationis officio supersedere procures, et si eius pretextu circa premissa forsan in aliquo processisti, processum tuum studeas reuocare. Datum Anagnie, III. Idus Iulii. Pontificatus nostri anno XII.

Ibidem — epistola 469. — Exc. apud Wadding III. in Regesto p. 520.

CCXIV.

Přemysl, dominus regni Boëmiae, dux Austriae et marchio Moraviae, duas areas in praeurbio Olomucensi sitas ecclesiae Olomucensi confert. Acta XVI. Kalend. Septembris, 1254.

Premysl dei gracia dominus Regni Boemie dux Austrie et Marchio Morauie. Vniuersis hanc litteram inspecturis in perpetuum. Quia promisit dominus pro temporalibus eterna et pro modicis plurima possidere ipsam toto cordis affectu obtinere anhelantes aput pium dominum Iesum Christum ea racione *duas areas in preurbio sitas* iuxta curias dilectorum nobis *Olomucensium* canonicorum quas tunc aduocatus Olomucensis Stephanus dilectis ac fidelibus capellanis nostris Magistro Arnoldo et Woyslao ex nostre precepto magnitudinis assignauit carissime Sancte matri nostre que multos in dominum credentes regnauit ad salutem *Olomucensi ecclesie* nunc et semper conferimus possidendum. Et ut hec nostra donacio de cetero robur habeat

firmitatis nec possit processu temporis per quemquam in irritum reuocari super eo litteras nostras prefate Olomucensi ecclesie dedimus sigilli nostri munimine confirmatas. Acta autem sunt hec anno dominice Incarnacionis Millesimo CC. LIIII. XVI. Kalendas Septembris. Data per manus magistri Wilhelmi tunc prothonotarii aule nostre.

E codice Olomucensi II. MS. f. 94.

CCXV.

Idem ecclesiae Olomucensi terram duorum camerariorum in Lodenice cum silva adjacente ad collationem Gregorii, custodis ejusdem ecclesiae, confirmat. Dt. Olomucii, 1254.

In nomine domini amen. Premizl dei gracia dominus Regni Boemie Dux Austrie et Styrie et Marchio Morauie dilecto capellano nostro Gregorio custodi Olomucensis ecclesie imperpetuum. Etsi causa et solers principum circumspeccio temporum acta suorum ad successorum memoriam scripto soleat commendare ampliori tamen cautela ad ea que iuste ac rite adordinata noscuntur prompte debet adhiberi studium voluntatis. Cum igitur in priuilegiis donacionis Premizl bone memorie quondam Marchionis Morauie Patrui nostri et ex scriptis autenticis confirmacionis Wencezlai felicis recordacionis Illustris Regis Boemie Patris nostri super eadem donacione inuenerimus contineri te terram duorum camerariorum de *Lodeyniz* et *siluam* proximo adiacentem hereditario iure ex principali munificencia obtinere Nos eandem donacionem et confirmacionem ratam et firmam habentes, terram predictam et siluam *Olomucensi ecclesie* ad tuam collacionem pariterque peticionem principali munificencia confirmamus ea condicione adiecta quod si Woyzlaus et Iohannes nepotes tui eandem terram et siluam redimere uoluerint Olomucensi capitulo datis tribus marcis argenti predicta bona obtineant iure hereditario imperpetuum possidenda. Ne igitur in posterum super hec aliqua dubietas oriatur hanc paginam ad perpetuam memoriam sigilli nostri karactere insignimus. Huius rei testes sunt. Sdezlaus filius Diuis. Pardus Camerarius Olomucensis Sudomirus frater eius Beneda venator

Pardus filius fabiani et alii quam plures clerici et milites. Datum Olomuc per manum Wilhelmi prothonotarii nostri. Anno domini M. CC. L. IIII.

E codice membran. Olomucensi I. f. 21.

CCXVI.

Idem fratribus Praedicatoribus Olomucii confirmat collatam a patre suo Wenceslao capellam sancti Michaëlis ibidem cum areis adjacentibus. Dt. Brunae, XII. Kalendas Martii, 1255.

Otakarus qui et Premisl dei gratia dominus Regni Bohemie, Dux Austrie ac Marchio Morauie vniuersis presentes literas inspecturis in perpetuum. Quia temporalium donatio propter dominum plus conferre dantibus quam accipientibus consueuit, eo quod magna pro paruis, celestia pro terrenis, pro temporalibus recipiant sempiterna, omni homini habenti diuitias huius mundi nec in his finem sue letitie deponenti, est necessarium ad salutem, ut pauperibus in presenti usum communicent collatorum, cum quibus in futuro fructum percipiant eternorum. Nouerit igitur tam presentium etas, quam futurorum posteritas, quod pie memorie pater noster Wenceslaus illustris Rex Bohemorum volens operibus hoc efficere pietatis, quatenus de regno temporali, ad regnum perpetuum transferretur, pauperibus spiritu fratribus videlicet *predicatoribus in Olomucz capellam S. Michaelis* cum areis ad se pertinentibus contulit iure perpetuo possidendam. Sed et nos ad idem tendentes, ipsiusque donationes liberalius prosequi cupientes, non solum collata ipsis fratribus confirmauimus, imo etiam alia super addidimus intuitu remedii anime patris nostri et nostri et nostre sanitatis, fratrum predicatorum quieti et necessitatibus prouidentes, quatenus ibidem deuotius domino famulentur. Vt autem utraque collatio possit inuiolabilis permanere, nec ei per quemquam imposterum valeat derogari, ipsam scripto fecimus commendari, scriptumque nostri sigilli robore communiri. Testes huius donationis sunt hii: dominus Witko de noua domo. Marquardus, subcamerarius Bohemie. Bohuslaus filius Cerhonis. Leo de Bolehradicz. Hermannus de Lethouicz. Stephanus gener Sudomiri, viri nobilis Regni nostri. Insuper curie nostre capellani Gaudentius et Woyslaus et alii quam plures.

Datum in Bruna anno incarnationis dominice MCCLV. XII. Kalendas Martii per manus domini Wilhelmi nostri notarii.

Ex originali in archivo ejusdem monasterii.

CCXVII.

Alexander papa IV. fratri Bartholomaeo de Boëmia, ordinis Minorum, mandat, ut contra „Lithvanos et Jentuesones et alios ethnicos" verbum crucis praedicet et praedicari faciat in Polonia, Boëmia, Moravia et Austria. Dt. Anagniae, VIII. Idus Augusti, 1255.

Alexander episcopus seruus seruorum Dei. Fratri Bartholomeo de Boemia, ordinis fratrum Minorum. Nuper ad audientiam nostram peruenit quod Lithvani et Ientuesones ac nonnulli alii ethnici, qui Romanam Ecclesiam numquam matrem sue professione fidei agnouerunt, vires exacuunt contra ipsam, dum iidem Christianorum finitimas, videlicet Poloniam et quasdam alias vicinas prouincias hostialiter (sic) inuadentes, multos ex populo Christiano morti et infinitos captiuitati dederunt, non parcendo sexui vel etati; et nec adhuc fidelium saturati cruore, ad impugnandum cum aliis paganis et infidelibus Poloniam et regiones finitimas conflati in unum viribus se accingunt. Propter quod nos graui dolore confodimur, et super tanta strage fidelium paterno compatientes affectu, remedia per que tantis obuietur periculis sollicite cogitamus. Nos igitur de circumspectione tua, nobis a pluribus et in pluribus commendata plenam in domino fiduciam obtinentes, mandamus quatenus tam per te quam per fratres tui ordinis, quos ad hoc idoneos esse cognoueris, in Polonia, Boemia, Morauia et Austria, contra predictos paganos predices et predicari facias verbum crucis, concessa per nos auctoritate nostra illis Christianis earumdem partium, qui contra infideles eosdem crucis assumpto signaculo se duxerint accingendos, suorum venia peccatorum, que darit (sic) consuerit euntibus in subsidium terre sancte. Datum Anagnie, VIII. Idus Augusti. Pontificatus nostri anno primo.

Ex autographo Regesto Alexandri IV. anni I. epist. 564. in tabularils Vaticanis.

CCXVIII.

Robertus, abbas Gradicensis, silvam inter Knjnice (Künitz) et Střelice interjacentem in lite cum fratribus de Važan obtinet. Dt. in castro Olomucensi, pridie Idus Augusti, 1255.

Notum sit Christi fidelibus uniuersis, presentem paginam inspecturis, quod ego Robertus, diuina prouidentia abbas ecclesie *Gradicensis*, super *silua, que est inter Knynicz et Strelech*, quam filii Pachonis Zdeslaus, Wlastibor, Bichay, Zalud, et filius Zdan, Hodislaus, et Gotthardus, filius Cratess, omnes de Wasan, occupatam in preiudicium ecclesie mee tenebant, domino concedente iustitiam obtinui contra ipsos tali modo: Anno dominice incarnationis M. CC. LV. pridie idus Augusti, presidentibus domino Pardo camerario, Egidio, castellano Olomucensi, et Zkudemiro camerario Bretislauiensis prouincie, et Smilone, castellano Prerouiensi, in persona domini Premisl, illustris principis Boemie et Morauie, in castro Olomucensi iudicio generali, stans ego coram ipsis, petii Dominum Andream de Richcouicz mihi dari ab ipsis in prolocutorem et aduocatum, qui uice mea uerbum meum coram ipsis conquerendo proposuit in hunc modum: Conqueritur uobis, domine Pardus, et uestris collegis, qui in persona domini Premisl, illustris principis Boemie et Morauie, hic nunc iudicio presidetis, dominus Robertus, abbas Gradicensis, quod, cum siluam ecclesie sue pertinentem, que est inter Knynicz et Strielech, cum metis uille Strielech predecessores ipsius Pachoni, Zdan et Cratess de Wazian pro seruitiis ipsorum concesserint ad tempus; modo filii ipsorum Hodislaus et alii supranominati eam sibi usurpantes uendicant, et tenent uiolenter occupatam, nec de ea cedere, quamuis moniti, uelint. Quare dominus Robertus abbas super id sibi et ecclesie sue iustitiam fieri postulat coram uobis, sicut iam antea sepius postulauit. Ipsi uero accepto aduocato suo, nomine de Scherbein, responderunt, quod eadem sylua ipsorum sit hereditas. Tandem assessoribus, uiris nobilibus et discretis, et his, qui iudicio presidebant, interloquentibus, sum ab ipsis interrogatus, si testes possem producere contra predictos: dixi, quod possem; et in instanti produxi nobiles uiros Welen et Emmerammum, filios Lamberti de Bozcouicz, Zdizlaum de Bistricz, Crssek de Probicz, Budislaum et fratrem ipsius Wisseborium de Raycz, Svato-

slaum de Cunicz, qui interrogati super fidem catholicam, et in animam suam protestati sunt, sepedictam siluam semper fuisse mee ecclesie, quorum tres idoneores, uidelicet Emmerammum, Zdislaum et Crssek iurare fecerunt super sancta sanctorum. Ita sententia dictante iustitiam a predictis baronibus in persona principis iudicio presidentibus ad possessionem perpetuam totius silue nominate nomine mee ecclesie sum intromissus, et tota silua eadem ecclesie mee est perpetuo adiudicata. Acta sunt hec anno et loco supradictis, his nobilibus uiris presentibus: Benessio subcamerario, Ioanne zchudi, et Hodislao, iudice prouinciali, Olomucensibus. Affuerunt etiam dominus Stephanus, qui tenet beneficium in Prostei. Smil, castellanus de Prerow. Zchudomerius, camerarius de Bretislaw. Woytiech, iudex ibidem. Beneda, magister uenatorum. Pribor et filius suus Dun. Zchulislaus. Bohuss, filius Czrchonis, cum fratre suo Hartmanno. Martinus de Prikas. Lambertus, iudex de Bruna. Leo de Boleradicz. Holacz de Dubrawicz. Holacz de Pohorelicz. Ratibor de Bilkouicz, et alii quam plures, quorum nomina propter prolixitatem non potuerunt scribi in hac charta. Preterea intimaui ibidem omnibus baronibus audientibus, quod iidem supradicti de Wazan terram ecclesie mee tenent sibi expositam pro marca auri. Intimaui etiam ibidem, quod Strelna et totus circuitus, ad eam pertinens, pertinet ad ecclesiam S. Stephani protomartyris in Gradisch, super quo monstraui priuilegium domini Wladislai, primi marchionis Morauie, in eodem colloquio et iudicio. Ad quarum rerum euidentiam dominus Pardus camerarius, et Egidius, castellanus Olomucensis, et dominus, castellanus Prerouiensis, et Zudomerius, castellanus Bretislauiensis, et Beness, subcamerarius domini marchionis, sigilla apposuerunt.

Ex Annalibus Gradicensibus MSS.

CCXIX.

Alexander papa IV. monialibus in Tišňowice confirmat jus patronatus ecclesiarum s. Petri Brunae, in Budějowice et in Biteš. Dt. Anagniae, Nonis Octobris, 1255.

Alexander episcopus seruus seruorum dei. Dilectis in Christo filiabus . . Abbatisse et conuentui Monasterii de *Porta celi* Cisterciensis

ordinis Olomucensis diocesis. Salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod iustum est et honestum tam uigor equitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Vestra sane nobis exhibita peticio continebat, quod clare memorie Wenczelaus Rex Boemie ius patronatus quod in *sancti Petri in Brunna*, in *Budwize* et in *Bites* ecclesiis Olomucensis diocesis obtinebat bone memorie . . Olomucensis Episcopi loci diocesani ad id accedente consensu uobis ac Monasterio uestro pie ac prouide contulit prout in litteris inde confectis plenius continetur. Nos itaque uestris supplicationibus inclinati collationem huiusmodi ratam et gratam habentes ipsam auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere, uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Anagnie Nonis Octobris. Pontificatus nostri anno secundo.

Ex originali ejusdem monasterii.

CCXX.

Compositio controversiae inter episcopum et capitulum Olomucense atque abbatem Břewnoviensem de parochiis ad monasterium Rayhradense spectantibus. Acta Olomucii, VIII. Idus Novembris, 1255.

In nomine domini amen. Bruno dei gratia episcopus. Nicolaus prepositus. Herbordus decanus. totumque capitulum Olomucensis ecclesie. omnibus hanc paginam inspecturis salutem in filio dei uiui. Discretio que mater virtutum esse perhibetur exigit. et communis suuadet utilitas quamlibet actionem legitima ipsius moderacione gubernari. ut mortalis memorie defectum suppleat uiuacis littere testimonium rei seriem representans. Noscat igitur tam presens hominum etas quam in Christo successura posteritas. quod *cum inter nos et honorabiles canonicos Olomucenses* ex vna parte. et *inter abbates ac alios prelatos cuiuslibet ordinis* ex altera. super decimis et aliis iuribus episcopalibus disceptacio esset exorta. dominus *Martinus*

Abbas in *Brevnov* ordinis sancti Benedicti Pragensis dyocesis pro decimis quas ab ipso repetebamus et pro iure instituendi et destituendi plebanos in *Raigradensi* ecclesia ac in aliis parrochiis videlicet in *Zebranic.* in *Domasov.* in *Ozstrovachovic.* in *Sdeboric.* in quibus ius patronatus habere dinoscitur manifeste. sitis in dyocesi Olomucensi. nolens subire iudicium contenciosum nobiscum et cum canonicis nostris. petebat humiliter et deuote. ut aliquibus viris discretis ipsam causam delegaremus. per conpositionem amicabilem terminandam. quamquam de iure suo non diffideret. cum et decimas et ius instituendi et destituendi in parrochiis suis possederit a tempore. a quo non extat memoria quiete et pacifice sine lite. prout dictus abbas et conuentus ipsius certis assercionibus affirmabant. Nos uero habito consilio super hoc et diligenti tractatu cum fratribus nostris canonicis Olomucensibus peticionem iam dicti Abbatis duximus admittendam. et viris discretis et fide dignis. videlicet Magistro Marchardo scolastico Pragensi et fratri Gotfrido de domo Tevtonica arbitrium commisimus. promittentes nos bona fide ratum et firmum habituros. quicquid per eosdem in hac causa fuerit racionabiliter ordinatum. Qvi causam ipsam de consensu parcium sibi commissam assumentes et eam exacta cum diligencia hinc inde ventilantes. formam composicionis protulerunt in hunc modum. quod sepe dictus abbas omnia iura que a prima sui fundacione Raigradense monasterium possedit. tam in decimis omnium uillarum ad ipsum spectancium quam in iure instituendi et destituendi plebanos in parrochiis suis possideat pacifice et quiete in perpetuum. Preterea denunciarunt eundem abbatem et suos successores ab omni impeticione inposterum penitus absolutos. et pro saluanda sua consciencia nobis ad conparandum bona ecclesie nostre XXIX. talenta hac uice tantummodo persoluat. Si autem ipsum abbatem uel aliquem successorum suorum ut meliora prospiciat. contingat aliquam uillam distrahere uel vendere sev commutare. prelibatum ius tam in institucione quam destitucione ac decimis penes monasterium Raigradense inuiolabiliter remanebit. Quam ordinacionem nos de concordi et vnanimi voluntate. acceptantes et ratam habentes. presentes litteras ad succidendam omnem cauillacionis et disceptacionis materiam que forte apud successores nostros proinde possit suboriri. fecimus conscribi. et conscriptas sigilli nostri ac capituli nostri appensione decreuimus roborare. Acta sunt hec

in Olomvtz in Kathedrali ecclesia. Anno gracie M. CC. LV. Octauo Idus Nouembris. Pontificatus nostri anno IX. in presencia horum omnium quorum nomina subscribuntur. qui huic conpositioni nostre omnes personaliter affuerunt. Bartholomeus archidiaconus Olomucensis. Magister Iohannes archidiaconus Prerouensis. Magister Marquardus archidiaconus Znoymensis. Gregorius custos. Symon. Iacobvs. Haidolfus archidiaconus Opaviensis. Chvnradus scolasticus. Canonici Olomucenses. Arnoldus abbas Trebecensis. Stephanus abbas de Lvca. Robertus abbas de Gradisch. frater Gotfridus de domo Tevtonica qui fuit arbiter huius facti. Et alii quam plures.

Ex originali triplici cum duobus sigillis appensis, cujus duo exemplaria nunc in archivo monasterii Rayhradensis exstant.

CCXXI.

Bruno, episcopus Olomucensis, ecclesiam monasterii Rayhradensis per Cumanos et Hungaros spoliatam et violatam consecrat. Die dominica post nativitatem b. Mariae, 1255.

Notum sit omnibus Christi fidelibus, quod nos Bruno dei gratia Olomucensis episcopus ecclesiam *Rayhradensem, que violata erat per Cumanos et Ungaros,* et penitus in omni ornatu ecclesiastico spoliata adeo, ut etiam reliquias Sanctorum de altari asportarint, reconsecrauimus tam cymiterium, quam monasterium, nec non principale altare in die dominica proxima post Natiuitatem beate Virginis, statuentes firmiter, ut ipsa dedicatio sit principalis, et annis singulis celebretur in die dominica proxima post Natiuitatem domine nostre s. Marie prima dedicatione penitus abolita et supensa. Quicunque ergo ad ipsam s. dedicationem deuote, et cordis contritione accesserint, sexaginta dies de iniuncta sibi penitentia auctoritate nostra efficacius consequantur, secundum que tenor nostrarum literarum plenius declarat. Facta est autem ipsa reconciliatio siue reconsecratio anno gratie M. CC. LV. Pontificatus nostri anno IX. Regnante duce Boemie et Austrie Premisl. Abbate vero Brewnouiensi ecclesiam procurante domino Martino, qui prius fuit prepositus Rayhradensis monasterii per multa tempora annorum.

E copia simplici ejusdem monasterii.

CCXXII.

Idem villas „Glesin et Thomas" in Polonia, quas in restaurum damnorum a Wladislao, duce Opoliae, est consecutus, nec non bona Rudolfswald (Roswald), Gotlfriedsdorf et Slawkow Herbordo, dapifero suo, in feudum confert. Act. Olomucii, VII. Idus Novembris, **1255.**

Bruno dei gracia Olomucensis episcopus. Omnibus hanc paginam inspecturis eternam in domino salutem. Quoniam rerum temporalium quamcumque rite ac prouide gestarum perit memoria, citoque recedit et cicius ordinationis earum series inmutatur, si non testium et etiam literarum que in se redacta firmiter retinent, ac lucide representant, cautio adhibetur sufficiens. Nos utile censemus, ut facta nostra recordatione digna et rationabiliter ordinata, scriptis autenticis annotentur. Nouerit itaque presentium etas, et futurorum posteritas, quod nos bona nostra uidelicet uillam *Glesin* cum quinquaginta mansis, et uillam *Thomaz*, cum viginti quatuor mansis *in Polonia* sitas *quas in restaurum pro dampnis et iniuriis illatis ecclesie nostre per nobilem uirum Wladizlaum ducem Opulie sumus per quoddam arbitrium inter nos et ipsum habitum et observatum a partibus consecuti*, sicut in forma conpositionis super hoc conscripta plenius declaratur, *Herbordo militi dapifero nostro et suis heredibus, qui se ac sua pro defensione ecclesie nostre, et pro iure ipsius ecclesie recuperando, contra predictum nobilem exponere non expauit;* insuper alia bona uidelicet uillam *Rudolueswalt* cum quadraginta mansis, et uillam *Godeuridestorp* cum triginta quinque mansis, et uillam *Zlawecowe* cum triginta quinque mansis, que ante a nobis dinoscebatur habere de capituli nostri sicut iuris est plura conscia, bonaque uoluntate, accedente nihilominus ad hoc singulorum dominorum canonicorum nostrorum grato et vnanimi consensu pariter et assensu eo quod nostra ecclesia tam eorum, quam nostro iudicio et inspectu, continuum in hoc facto seruicii et honoris, ac etiam reddituum percipere poterit incrementum, iure ministeralium Magdeburgensis ecclesie tam in pascuis quam in pratis, siluis, piscationibus, aquis, molendinis, venationibus, agris cultis et incultis, allodiis et ceteris omnibus attinentiis. nec non et medietatem *castri Wlmensten*, que perpetuo ad dapiferatus officium pertinebit, duximus conferenda. Idem quoque Herbordus miles

CCXXIII.

Boček, comes de Berneck et Nida, castellanus Znoymensis testamento suo dotem fundato a se monasterio Fontis s. Mariae in Zar legat. Acta Znoymae, XVI. Kalendas Januarii, 1255.

Nos Bothscho dei gracia Comes Bernecensis et Castellanus Znoemensis. Vniversis Christi fidelibus ad rei memoriam sempiternam. Quoniam actiones hominum quamuis sollempniter celebrate. simul cum tempore procedente defluere consueuerunt. et propter rerum et temporum incertos euentus finem quandoque uix proprium sortiuntur. Necesse igitur et congruum est ut que ab memoria hominum decidere possunt et facillime anullari. scriptis que sunt indicium ueritatis et testibus perhennentur. Noscat igitur tam presens hominum etas quam in christo successura posteritas hos apices inspectura. quod ego Botscho graui infirmitate laborans. uiam vniuerse carnis ingressurus. in remedium mee et parentum meorum animarum peccata mea elemosinis redimens. fundacioni mee Monasterio *Sancte Marie virginis Sanctique Nicolai in Saarh.* tale constitui testamentum de libera hereditate mea. de beniuolo vxoris mee et liberorum meorum consilio et consensu. legans in primis totam hereditatem meam quam habeo iuxta Ciuitatem oppauiensem. scilicet *Milhostowizi* et *Plesna* uillas et medietatem uille *Putsche.* cum omni iure et attinentiis quibus ego possedi. Item in confinio Brvnnensi *Koszherowe* et *Helhuta* cum Parrochia. Decima loco census instituta cum Iudicio eciam et omni iure et attinenciis quibus ego possedi. Item apud Castrum *Jarzlawiz.* uillam *Hfrelawiz.* et in ea curiam cum duabus cultis cum equis bubus vaccis et ouibus et pecoribus vniuersis. et omni iure et attinenciis quibus ego possedi. Addens hiis omnibus totam equariciam meam qvinquaginta et octo equas tam in iuuenibus quam in senibus continentem. absque omni diuisione uel diminutione claustro integraliter assignandam. Nemore eciam meo aput *Brazla* quod de patrimonio me contingit. eidem cenobio assignato ad ecclesiam inibi exstruendam. Vt igitur huius testamenti mei constitutio omnimodis dicti cenobii mee fundationis fratribus firma permaneat et illesa. presentem cedulam exinde conscribi et mei et fratrum meorum Zmilonis et Cononis sigillorum feci munimine roborari. constituens eosdem fratres meos loco mei prefate funda-

tionis promotores. Que omnia sicut iuste facta sunt. sic ea habere uolo robur perpetue firmitatis. Sunt autem hec nomina testium huius rei scil. Dominus Cuonradus Abbas et Iohannes prior de Saarh. frater Radich et Gothardus ordinis minorum fratrum. Zmil et Cono fratres Bothschonis. Benes filius Wockonis Camerarius. Bohusche filius Cerronis. Chirninus. Hortwinus de Luczh. Vlricus de Plezberch. Ypolitus et filius eius henricus de Othmiz. Blasius de Primetiz. Bvno de Schirnin. Dalebor de Bonecowiz. Iurata filius Zlawe. Oztoi de Raschiz. Petrus de Bonowiz. Petrus et filius eius Pomenen de Ozeowe. Psribizlaus de Selchwiz. Rizech de Stiniz. Petrus de Selesna. Mazcho et filius eius Mazcho de Bohanschiz. Vitus de Puzov. Rizcho de Schirnin. Srepolt de Stawicowiz. Woithech de Bucowiz. Dietel de Schaliz. Martinus de Sobebruch et alii quam plures. Acta sunt hec in Znoym. XVI. Kalendas Ianuarij. verbi incarnati anno. M. CC. LV. Indictione XIII.

Ex originali ejusdem monasterii, cujus sigilla Smilonis et Cunonis solum supersunt.

CCXXIV.

Idem confert monasterio Geracensi in Austria curiam in „Cocats" (Gogitsch). Dt. 1255.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Quoniam, ut ait apostolus, omnes stabimus ante tribunal Christi, vnusquisque nostrum dignam pro meritis retributionem recepturus, necesse est, ut salubre consilium domini attendamus dicentis, vt in die iudicii aduocatos de terrenis comparemus diuitiis, opesque transitorias in celestes commutemus delicias eternaliter permansuras. Nouerit ergo tam presens hominum etas, quam in Christo successura posteritas, quod ego *Botsco comes Bernekcensis,* et *castellanus Znoymensis* deo, et sancte Marie in *Ierus,* fratribusque ibidem Deo famulantibus curiam unam in *Cocats,* uenatorum nuncupatam, cum omnibus agris, pratis, et hortis, ac aliis attinentiis ad ipsam pertinentibus pro remedio anime mee contuli iure hereditario in perpetuum possidendam. Ne quis autem iustum ac legitimum donationis mee beneficium predictis fratribus in subsidium domus sue liberaliter collatum temere, seu uiolenter presumat

irritare, propter habundantem cautelam presentem sigilli mei munimine precepi insigniri. Huius rei testes sunt: Smilo et Chovno fratres mei. Smilo de Bilcowe. Stephanus de Medlowe. Iohannes plebanus de Drozendorf, et ciues eiusdem ciuitatis. Gerwigius tunc temporis castellanus. Chunradus quondam iudex. Pilgrimus molendinator. Waltherus Pephel. Vlricus Swebel, et Gerlacus prior de Ierus. Datum anno domini M. CC. LV. concurrente III. indictione XIII. Epacte XI. Principe Othacharo Austriam gubernante.

Marian — Oester. Klerisey IX. pag. 132.

CCXXV.

Přemysl, dominus regni Boëmiae, dux Austriae et marchio Moraviae, ab Alexandro papa IV. monasterii Tišňowicensis, a Tartaris, Hungaris et Cumanis enormiter laesi, conservationem et defensionem expetit.

Dt. Brunae, 1255.

Sanctissimo in christo patri et domino Alexandro. sancte Romane sedis Antistiti. Primizel dei gratia Rex boemye. Dux Austrie. ac Marchio Morauie. cum summa reuerentia pedum oscula beatorum. Litteras uenerabilis patris pie recordationis domini Ruodberti. tunc Olomucensis Episcopi uidimus in hec uerba. non abolitas non cancellatas. nec in aliqua parte uitiosas. *(In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Robertus dei gracia Olomucensis episcopus . . .* 1239. *Vide Tomi II. Num. CCCXI.) Et cum idem monasterium* pater reuerende *enormiter sit lesum tam a tartaris. quam ab hungaris ac comanis.* et nunc etiam multipliciter super decimis per ante nominatum episcopum Ruodbertum. collatis nunc a domino B.(runone) Olomucensi episcopo. quam plurimum aggrauetur. petimus humiliter et instanter ut ecclesias a nobis et progenitoribus nostris ad usum sanctimonialium inibi degentium. collatas una cum decimis per episcopum dominum Ruodbertum concessas auctoritate apostolica dignemini confirmare dando monasterio conseruatores. qui tam in ecclesiis quam in decimis quam in aliis bonis idem monasterium auctoritate apostolica ualeant defensare. Datum in Brunna. Anno domini M. CC. L. V.

Ex originali cum sigillo fracto in archivo ejusdem monasterii, quod, licet titulum „rex Boemye" inepte proferat, ex charactere tamen literarum atque typo sigilli genuinum censeo.

CCXXVI.

Idem testamentum Boćkonis fundatoris monasterii Zarensis confirmat. Dt. Brunae, Kalendis Januarii, 1256.

Ottacarus dei gratia dominus Regni Bohemie, Austrie Dux et Marchio Morauie omnibus in perpetuum. Licet in genere cunctis christi fidelibus benefacere teneamur eis potissime teneri volumus et debemus, qui calcatis mundi deliciis deo conuersatione laudabili famulantur. hinc est quod nos gratificamur cenobio *fontis sancte Marie virginis in Saarh* a Bothschone felicis memorie, dilecto fidele nostro gratam et ratam habentes, cuius tenor incipit et desinit in hec verba: *(Nos Bothscho . . . XVI Kal. Ianuarii MCCLV. Vide n. CCXXIII.)* Unde ne super hac testamenti constitutione cuiquam in posterum dubium oriatur fratribus dicti cenobii in nostram protectionem ac defensionem susceptis presens scriptum nostre maiestatis signaculo fecimus communiri. Testes autem huius rei sunt: Withigo de Nouo Castro. Andreas de Praga. Rathmirus de Urimberg. Markardus de Donawiz. Benes et milotha fratres. Zmil et Cono fratres. Bohusche et Hartmannus fratres, et alii quam plures. Actum verbi incarnati anno M. CC. LVI. Indictione XIII. datum in Bruna per manum arnoldi notarii nostri kalendis Ianuarii.

Steinbach — II. pag. 14.

CCXXVII.

Idem confirmat literas fundationis monasterii Welehradensis avi et patris sui ab annis 1228. et 1232. Dt. Olomucii, XVII. Kalendas Februarii, 1256.

In nomine Sancte et Indiuidue Trinitatis. Amen. Ottacharus dei gratia Dominus Regni Boemie. Dux Austrie et Marchio Morauie. omnibus inperpetuum. Sanctorum mentium inuisibilis habitator. donomunere septiformis gratie ita corda Regum ex consueta benignitate pre ceteris mundi principibus in preclaris operibus dilatauit. vt longe lateque diffundant sue. fimbriam bonitatis. in hiis maxime. ubi deo famulancium promocio compro-

batur. Hinc est quod recognoscimus et tenore presencium protestamur. quod nos priuilegia sanctissime recordationis Ottachari aui nostri quondam Regis Boemie necnon incliti patris nostri Regis Wencezlay. quorum in pace anime requiescant. non cancellata. non abolita. nec in sui parte aliqua viciata uidimus in hunc modum. *(In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Amen. Ego Wenceslaus . . . XV. Kalendas Februarii. MCCXXXII. Vide Tomi II. n. CCXIV.)* Cum igitur hanc sibi nobilitas legem ponat. ut non solum operibus bonis consentire. quin ymmo de sui cordis dulcedine preconceptam graciam speciali debeat amminiculo confouere. predictorum aui serenissimi ac gloriosissimi patris nostri graciam gratam et ratam habentes. ipsam nostre maiestatis charactere duximus roborandam. Ad cuius rei euidenciam certiorem subscriptos testes nominatim fecimus annotari. Quorum hec sunt nomina. Nicolaus prepositus Olomucensis. Bartholomeus archidyaconus Olomucensis. Iohannes archidyaconus prerouiensis. Symon. Arnoldus notarius Illustris ducis austrie canonici Olomucenses. Gaudencius capellanus domini regni (sic) Boemie. Zydezlaus plebanus de Luca. Parduz camerarius Olomucensis cum fratre suo Zudemiro. Egidius burchgrauius Olomucensis. Wocco de Rosenberch. Zdezlaus dapifer morauie. Wichardus Burchgrauius Wranowensis. Iancho burgrauius de gradech. Hartlebus frater suus. Smilo cum fratre suo cunone. Smilo burchgrauius Wetoensis. Andreas cum fratre suo dywis. Benessius cum fratre suo milota. Bohusso cum fratre suo Biznata. Drahozlaus. vnca Thassouienses. Stephanus de medlow. Iohannes de Wisnow cum fratre suo Prawchone. et alii quam plures. Datum in Olomuc. anno incarnationis dominice M. CC. LVI. XVII. Kalendas Februarii per manus Wilhelmi curie nostre notarii.

Ex originali cum sigillo bilaterali integro in archivo ejusdem monasterii.

CCXXVIII.

Idem civitatem Přeroviensem post vastationem Tartaricam et Ungaricam restaurans eidem jure et libertate civitatis Olomucensis uti concedit. Actum et dt. Olomucii, V. Kalendas Februarii, 1256.

Premisl, qui et Ottacarus dei gratia Dominus Regni Bohemie, Dux Austrie, et Marchio Morauie, uniuersis fidelibus suis hanc literam inspecturis

per Morauiam constitutis gratiam suam et omne bonum. Cum actiones hominum quamuis sollempniter celebrate simul cum tempore procedente defluere consueuerunt, et propter rerum et temporum incertos euentus finem quemque vix proprium sortiuntur: necesse igitur et congruum est, ut ea, que a memoria hominum decidere possunt, et facillime annullari scripturis authenticis in veritatis indicium, et testibus perhennentur. Noscat igitur tam presens hominum etas, quam in Christo successura posteritas, quod ob fidelitatem et dilectionem ciuium nostrorum in *Prerow, et destructionem generalem Morauie terre nostre inspectis eorundem grauaminibus misericorditer et pressuris, quas ex multis persecutionibus passi sunt usque modo,* nostram circa commodum et profectum eorundem voluimus gratiam ampliari, presertim ob petitionem et *merita dilecti fidelis nostri Smilonis de Brumow burggrauii* hanc videlicet gratiam ipsis duximus faciendam, quod in eodem iure ac libertate sedeant et morentur, quo ciuitatenses nostri in Olomucz hactenus ex nostre concessionis gratia sunt gauisi, districtius inhibentes, ne quis eos in prefata gratia presumat aliquatenus perturbare. Censum vero soluant singulis annis mediam marcam argenti de quolibet laneo, transacta quinque annorum libertate. In cuius rei testimonium, memoriam et cautelam presens scriptum ipsis dari mandauimus, sigillorum nostrorum munimine roboratum, testibus etiam subnotatis, quorum nomina hec sunt: Smilo burggrauius de Brumow. Benessius camerarius noster. Wichardus de Tyrna. Pardus camerarius Olomucensis. Beneda. Ienczo de Deblin et alii quam plures. Actum et datum in Olomucz anno Domini M. CC. LVI. quinto Kalendas Februarii.

Ex libro confirmatorum civitatis ejusdem privilegiorum. — Item apographum sec. XIV. in codice capituli Olomucensis II. chartaceo.

CCXXIX.

Idem monasterio Welehradensi villam Zlatnjk emtam a Smilone de Bjlkow confirmat. Dt. Brunae, (m. Januario,) 1256.

In nomine domini. Amen. Ottakarus dei gracia Dominus Regni Boemie, Dux Austrie et Marchio Morauie omnibus in perpetuum. Quoniam

sicut fenum agri filius hominis homo vermis conteritur et arescit, consonum racioni uidetur, ut illius facta litterarum amminiculo roborentur. Hinc est, quod nos ob reuerenciam gloriose virginis, que peccatoribus mediatrix est et medela, empcioni, quam fecerunt abbas et conuentus in *Welegrad* super villa *Zlatnik* contra *Zmylonem de Belkow* ratam ac gratam habentes ipsam auctoritate regia confirmamus. Testes autem huius rei sunt: Witego de Noua domo. Marquardus de Donawicz. Parduz Olomucensis camerarius. Zudomirus frater eius. Wilhelmus de Huztopecsh. Odolen. Benes. Rutsco. Nezamizl. Ratibor. Actum anno domini M. CC. LVI. Datum in Brunna per manus magistri Wilhelmi prothonotarii curie nostre.

Codex Welehradensis f. 42.

CCXXX.

Idem possessiones domus s. Joannis per Moraviam absolvit a jurisdictione regia et diversis exactionibus. Actum apud Pragam, Idus Martii, 1256.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis amen. Otacharus qui et Premizl dei gracia dominus regni Boemie dux Austrie, et marchio Morauie omnibus imperpetuum. Regie maiestatis industria hanc sibi pre ceteris mundi nobilibus legem ponit; vt bonis operibus aurem sue benignitatis inclinet, et religiosorum comoditatibus intendere non omittat. Hinc est, quod nos religiosorum virorum *fratrum hospitalis s. Ioannis* priuilegia non cancellata, non abolita, nec in aliqua sui parte viciata, viderimus, et nos eorundem paci et quieti in nullo magis credimus succurrere, quam eorum possessiones a cunctis vexationibus in quantum possumus tutas reddere, et honorare perpetua libertate. Nouerint igitur tam presentes quam futuri, quod omnes possessiones *domus s. Ioannis per Morauiam*, vniuersam. in quacunque prouincia eas possideant, et adhuc fuerint possessuri, propter pietatem quam exhibent circa pauperes et infirmos, ab omni iure, quod ad nos, vel successores nostros pertinet, duximus absoluendos. Iura autem a quibus eos absoluimus sunt hec. *Narez, Noczlegh, Powoz*, et ab illo iure pro quo dantur quatuordecim nummi. Insuper liberos esse volumus

ab illis nummis qui dantur pro capite, vel pro *Swod*, et ab omni exaccione que spectat ad castrorum edificacionem, secundum terre nostre morem. Siquis autem hominum illius domus pro furto ceciderit, accusatus, vel eciam in furti actione fuerit deprehensus, bona furis domui remaneant, et ipse cum aduersario suo satisfaciat, pro capite suo graciam principis inuenturus. Nullus eciam principum vel terre inbeneficiatus siue camerarius, siue iudex, siue ceteri officiales, quocunque modo nominati, aliquid ab hominibus domus illius exigat, vel nouas consuetudines imponat. Omne eciam ius, quod serenissimus pater noster pie recordacionis Wencezlaus cum fratre suo Wadizlao abbacie Welegradensi concesserat, nos domui predicte, et ipsius fratribus valiturum perpetuo confirmamus. Vt autem hec omnia rata et firma permaneant in futurum presentem cartam nostre serenitatis sigillo, fecimus insigniri cum testibus subnotatis, quorum hec sunt nomina que secuntur. Bawarus summus camerarius regni nostri. Ieroscius burcrauius in Praga. Sdezlaus dapifer noster. Marquardus camerarius. Andreas subdapifer. Wilhelmus de Poydebrad. Ierozlaus frater Galli. Schenko de Sytauia. cum fratre suo Hainrico. Vlricus. Lepus, Boruto, Hermannus filius Zobezlay. Ratmirus burcrauius de Primda. Diwischius frater Andree. Stiborius Hlava. Budizlaus caluus. et alii quam plures. Actum apud Pragam anno domini M. CC. LVI. Datum per manus Aule nostre prothonotarii Arnoldi. Idus Martii. XIII. indictionis.

Ex originali in archivo Melitensium Pragae.

CCXXXI.

Robertus, abbas Gradicensis, cum conventu suo Sifrido, civi et magistro pontium Olomucensi laneum cum dimidio in Topolan jure emphileutico concedit. Act. V. Nonas Maji, 1256.

In nomine patris et filii et spiritus sancti amen. Robertus, miseratione diuina abbas, totusque conuentus ecclesie *Gradicensis*, Premonstratensis ordinis, Olomucensis diocesis, uniuersis presens scriptum inspecturis eternam in domino salutem. Quia res gestas plerumque solet obliuionis exitus abolere, consueuit eas prudentum sapientia et prouidentia certis

indiciis scripturarum eterne memorie commendare, quatenus quanto lucidius facti ueritas ad plurium defertur cognitionem, tanto districtius ipsa in perenne testimonium obseruetur. Igitur uniuersitati uestre tenore presentium innotescat, quod nos de bona deliberatione communique consilio et assensu fratrum nostrorum *Siffrido, ciui et magistro pontium Olomucensi,* laneum unum integrum et alium dimidium in *Topolan,* ad nos et ecclesiam nostram spectantes, quos ipse a Sighardo sagittario et Widroldo, ciuibus dicte ciuitatis, de propria pecunia sua emit; iure emphiteutico, quod Burgrecht dicitur in vulgari, sub annuo censu, qui uidelicet census ad quinque fertones argenti est deputatus, sibi concessimus perpetuo possidendos. Et quia eidem Siffrido dicto, magistro pontium, de tota abbatia nostra, uillis ac prouentibus contingeret minui uel augeri marcam argenti, quam quolibet anno ipse Siffridus nobis ratione dictorum laneorum annis singulis soluere teneretur, marcam argenti relaxamus, sed fertonem argenti omni anno nobis et ecclesie nostre soluat infra festum beati martyris Wenceslai. Insuper idem Siffridus in tribus temporibus cuiuslibet anni offerat tres presentationes, quarum unam nobis offerat infra tempus Pasche cum ouis, numero quatuor et triginta; secunda presentatio debet esse infra Penthecosten, et offerat duos caseos; tertia infra natiuitatem domini, et offerat duas gallinas. Verum si easdem dictas presentationes suis temporibus forsan omiserit, non ob id nostram occurret offensam, dum tamen aliquo dictorum temporum nobis simul et semel offerat ea, que tenetur. Preterea uolumus, ut ipse Sifridus de collecta nobis et ecclesie nostre danda et ab omni seruitutis onere, ut uectura, messura, falcatura ac aliis, quoquo modo nuncupentur, de nostre concessionis gratia sit exemptus, nec ad iudicia nostra, que in uulgari *Obcne Schud* dicuntur, uenire cogatur, nisi ipsemet uoluntate propria uelit interesse. Sed dum pro suis excessibus citatus per nos fuerit, coram nobis uel preposito nostro compareat, et in eo omni, quo per iusti iudicii sententiam uictus succubuerit, satisfaciat, se abbatis uel prepositi gratie offerendo. Ceterum pro bubulcis suis et mercenariis, si ipsi in furto, latrocinio, seu etiam homicidio fuerint deprehensi, dictus Sifridus ciuis nullatenus respondebit, sed ipsimet bubulci et mercenarii pro se respondebunt. In aliis uero casibus, exceptis tribus supranominatis, Sifridus pro bubulcis et mercenariis suis respondeat, et nobis satisfaciat

iuxta merita cuiuslibet excessus excedentis. Ad collectam uero generalem principi dandam, uel ipsum ab eo liberandum, pro ipso nos nullatenus obligamus, sed nostris intercessionibus, precibus, ac aliis, quibus poterimus studiis, pro ipso laborabimus diligenter, ad hec adiicientes, quod idem Sifridus prenominatos suis liberis et omnibus his, quibus ipse uoluerit, eo pacto, condicione et iure, quo sunt superius prelibata, possit pro sue uoluntatis libitu libere uendere uel conferre. Ad firmitatem uero huius rei, et omnem ambiguitatem remouendam, que posset per obliuionem seu ignorantiam, uel etiam malignantium malitiam lapsu temporis exoriri, sigillorum nostrorum charactere presentem paginam insignimus, adhibito nichilominus fratrum nostrorum et aliorum proborum uirorum sufficienti testimonio, quorum in sequenti nomina continentur, uidelicet: Frater Richerus prior. Abraham. Andreas. Mattheus custos. Radoslaus prepositus. Cyriacus supprior. Florianus. Ambrosius. Mattheus. Urbanus. Blasius sacerdotes. Ioannes. Arnoldus. Brabantinus diaconi. Simon. Andreas. Christinus subdiaconi. Woyslaus. Michael. Petrus acolithi. Dominus Alexius Caluus, prepositus ecclesie Olomucensis. Ioseph, clericus et capellanus domini abbatis Gradicensis. Rodher, filius Krelicer. Otto, filius Raiheri. Otto, filius Loduici. Fridericus, filius Ottonis. Kuncz et frater ipsius. Eberhardus Henich, mercator Olomucensis. Slauik Bohdalcius et frater ipsius Sudko. Bartholomeus, notarius domini abbatis, et alii quam plures. Acta sunt hec anno domini M. CC. LVI. Indictione XIV. Quinto Nonas Maii.

Ex Annalibus Gradicensibus MSS.

CCXXXII.

Bruno, episcopus Olomucensis, Helemberto de Turri, militi suo, pro villa Sconowe (Schönau) in Polonia, a Wladislao, duce Opoliensi, in compositione pacis obtenta confert CCX mansos juxta Slawičjn jure feudali. Dt. Olomucii, IV. Nonas Junii, 1256.

Bruno dei gratia Olomucensis Episcopus *Helemberto dicto de turri* Militi suo dilecto, et heredibus suis in perpetuum. Pium est et honestas publica (persuadet) tueque deuotionis et fidei sinceritas promeretur. ut

commodis ac vtilitatibus tuis debeamus intendere, tuisque iustis desideriis facilem prebere consensum. Proinde sicut a nobis petisti quod pro uilla *Sconowe in Polonia sita quam a Duce de Opul pro dampnis et iniuriis illatis nobis in quadam compositionis forma* et a partibus obseruata, in perpetuum iure proprii adepti sumus, quam tibi seruiciorum tuorum, tueque fidelitatis obtentu, contra predictum Ducem constanter et uiriliter assistendo nobis, iure feudali contulimus, et conferre poteramus, quia nondum adhuc ecclesie nostre per nos collata fuerat, et pro aliis bonis quinquaginta uidelicet mansis, quos iure locationis uillarum *Leuendal* et *Renuerdestorp* possedisti; et pro duodecim mansis quos tibi de bonis ecclesie nostre de gratia contulimus speciali; curaremus conferre tibi ducentos et decem mansos in *districtu Zlawizin* iure feudali perpetuo possidendos. Nos petitioni tue prompto annuentes animo et benigno, nostrum et nostre ecclesie profectum sentientes nichilominus in hac parte; habito eciam et requisito Canonicorum nostrorum consilio, de bona ipsorum uoluntate, plenoque fauore ac vnanimi consensu; post liberam resignationem predictorum bonorum que prius possederas, damus et conferimus tibi, tuisque heredibus in eodem districtu Zlawizin iure feudali ducentos et decem mansos in quantitate ac mensura mansorum uille *Henrikestorp iuxta Hocenpla* site, cum censu, decimis, iudicio, molendinis et omnibus suis attinentiis et prouentibus, perpetuo possidendos; tali adiecta condicione quod de predictis ducentis et decem mansis post libertatem octo annorum, singulis persoluas annis, marcam vnam auri, nobis et successoribus nostris et dimidiam; et capitulo nostro dimidiam; in recognitionem et stabilitatem perpetuam iuris tui. Et totam illam prouinciam *Zlawizin,* que iam longo tempore totaliter deserta fuit, nulloque inhabitata cultore, cum uilla *Braziz* que sita est iuxta *Brode,* exceptis duabus uillis *Belawiz* et *Biscopiz* per tuam sicut promisisti locabis industriam et locationis iure preter illos ducentos et decem mansos, tercius de iudicio denarius sicut consuetum est, et decimus mansus nichilominus te contingent. Omnes uero residui mansi nobis et successoribus nostris cedent. Homines eciam quos ibidem locaueris octo annorum spacio libertate gaudebunt; et per totum illum districtum, ad quinquaginta mansos, et sic per singulos cum vna rota tantum ponetur vnicum molendinum. Hoc eciam condictum et promissum est, si infra predictos libertatis

annos non plene locaueris circuitum memoratum, quod de locatis agris usque ad numerum mansorum quotquot per totam prouinciam illam, et per bona uille Braziz in partem nostram ceciderint nos intromittere debeamus. Condictum est eciam inter nos ut medietas oppidi Zlawizin cum agris foro et muta et omni alia utilitate, et medietas ville si qua plantabitur in silua sub monte in quo municionem facere intendimus tibi cedat, sed mansi qui te contingent in hac parte debent in sortem ducentorum et decem mansorum nichilominus computari. Eiusdem etiam munitionis medietas, ad cuius structuram et edificia facies et appones eque per medium labores, operam et expensas, iure feudi tibi et heredibus tuis cedet. Concedimus etiam tibi et pro iure damus quod homines tui in illis Ducentis et decem mansis residentes ad uecturas ad fossata et huiusmodi seruicia extra illum districtum non debeant quoquam trahi. Preterea si per tuam uel aliquorum industriam in eodem districtu in nostris uel in tuis bonis metallum cuiuscunque generis inuentum fuerit, plumbum, stannum, ferrum, siue cuprum, uel eciam sal repertum fuerit, de omnibus hiis excepto dumtaxat auro et argento, medietas te continget. Insuper post resignationem iurispatronatus, quod in duabus ecclesiis de bonis obtinebas prioribus; in ecclesia eiusdem oppidi Zlawizin ius tibi conferimus patronatus. Hoc eciam tibi concedimus tum pro speciali gratia, tum pro iure quod in siluis que in eodem districtu fuerint venatione fruaris. Et quod siluarum illarum ligna ad edificandum ad comburendum et ad huiusmodi necessaria, preter solam uendicionem tibi et tuis hominibus sint communia et exposita tamquam nostris. Quod autem hec omnia premissa tam nobis et successoribus nostris, atque capitulo nostro, quam tibi et heredibus tuis, rata seruentur, semperque maneant inconuulsa; presentem paginam inde confectam sigilli nostri iussimus munimine roborari. Et nos Olomucense Capitulum requisiti super hiis a uenerabili patre nostro domino Brunone Episcopo, sexta feria ante diem Pentecostes in generali capitulo nostro taliter tunc indicto ut facta vtilia et honesta per canonicos presentes in eodem ordinata Capitulo robur debite firmitatis obtineant, et canonici absentes eisdem factis plene consentire, ac nullatenus contrauenire debeant, fauentes et consentientes premissis omnibus utpote racionabiliter et utiliter ordinatis, sigillum nostrum in testimonium nostri consensus, et ad perpetuam rei memoriam et firmitatem,

apponi fecimus huic scripto. Actum Olomucz sexta feria ante diem Pentecosten. Presentibus Herbordo decano. Bartholomeo archidiacono. Gregorio Custode. Alexio seniore. Symone. Dauid. Ottone de Aldenburch. Heydolpho archidiacono prouincie Opauiensis. Woytek de Dubranik preposito. Conrado. Canonicis Olomucensibus. Anno domini Millesimo ducentesimo LVI. IIII. Nonas Iunii.

Ex originali in archivo archiepiscopali Cremsirii. — Apographum in codice Olomuc. membr. I. f. 26.

CCXXXIII.

Sententia curiae Romanae lata in causa litis de jure patronatus ecclesiae s. Petri Brunae inter monasterium Tišňowicense, et Albertum praepositum. Dt. Anagniae, VI. Kalendas Julii, 1256.

In nomine domini amen. Orta dudum inter abbatissam et conuentum monasterii de *Porta Celi*, quod *Tischnowitz* uulgariter appellatur, ordinis Cisterciensis, Olomucensis diocesis, ex una parte, et *Albertum prepositum*, qui se gerit pro *rectore ecclesie s. Petri in Bruna*, eiusdem diocesis, ex altera super ecclesia s. Petri predicta, et iure patronatus eiusdem, coram venerabili patre, Olomucensi episcopo, materia questionis, quia ex certis causis pars abbatisse et conuentus dictum episcopum suspectum habebat, et alias multipliciter aggrauabat easdem, abbatisse et conuentus predictarum ex parte ex multis grauaminibus ab eodem episcopo ad sedem apostolicam extitit appellatum, parte alia presente ad prosequendum sibi terminum appellationis huiusmodi in Romana curia prefigendo. Cumque abbatissa et conuentus predicte per procuratorem in Romana curia in statuto termino comparerent: Nos Guillelmum Foroiuliensem prepositum et domini pape capellanum, a domino papa in causa huiusmodi earum procurator sibi dari obtinuit auditorem, libellum coram nobis offerens in hunc modum: Coram uobis domino Guillelmo, preposito Foroiuliensi, domini pape capellano, partibus auditore concesso, dicitur et preponitur Arnoldus de Praga, clericus et procurator abbatisse et conuentus monasterii Porte celi, quod Tischnowitz vulgariter appellatur, ordinis Cisterciensis, Olomucensis diocesis,

contra Albertum prepositum, qui se gerit pro rectore ecclesie s. Petri in Bruna, Olomucensis diocesis, et contra eius legitimum defensorem, dicens: quod, cum inter predictam abbatissam et conuentum ex una parte, et dictum Albertum ex altera coram venerabili patre, Olomucensi episcopo, super dicta ecclesia s. Petri verteretur materia questionis, dicta abbatissa et conuentus dixerint, dictum episcopum certis rationibus sibi in predicta causa esse suspectum; prima ratione, quia post controuersiam motam dictus prepositus factus erat commensalis ipsius episcopi et de familia eiusdem: secunda ratione, quia dictus episcopus dedit eidem preposito aduocatum de familia sua, qui erat consiliarius et secretarius eiusdem episcopi, et quia erat inimicus earum manifestus ex multis et variis causis: uidelicet, quia ceperat uel capi fecerat aduocatum earum, eo, quod pro eis causas suspicionis allegabat, et captiuum fecit carcerali custodie mancipari, et quia abbatissam et conuentum predictas vino et grano et perceptione census duorum annorum cuiusdam ville, ad dictum monasterium spectantis, contra iustitiam spoliarat, insuper grauabat abbatissam et conuentum predictas, quia ad locum, ubi copiam aduocatorum habere non poterant, alias non tutum eisdem, citari faciebat easdem; super quibus omnibus arbitros parate fuerant eligere; sed dictus episcopus eas super predictis contra iustitiam audire penitus denegavit. Propter que grauamina ex parte dictarum abbatisse et conuentus extitit ad sedem apostolicam legitime appellatum, prefigendo sibi ipsis terminum prima die post octauas pasce, ad predictam appellationem in curia Romana prosequendam. Unde petiit dictus procurator nomine predictarum abbatisse et conuentus, quidqvid factum est per dictum episcopum post appellationem huiusmodi interiectam, cassari et irritari, cassum et irritum nunciari, et nullius fuisse momenti, et appellationem earumdem abbatisse et conuentus iustam decerni. Petit etiam, contra ipsum Albertum tanquam contra contumacem procedi; petit etiam expensas factas, et protestatur faciendas, quas tempore sententie declarabit, saluo iure addendi et minuendi. Comparente itaque pro predictis abbatissa et conuentu in Romana curia procuratore legitimo earumdem in termino constituto: Nos, prout moris est, predictum Albertum uel eius procuratorem in audientiam fecimus citari pluries et etiam proclamari; sed nec comparuit, nec pro se misit aliquem responsalem, licet fuerit diutius exspectatus. Unde nos visis

et auditis et diligenter inspectis, que pro parte abbatisse et conuentus predictarum fuere proposita coram nobis, et super propositis deliberatione habita diligenti, plurium etiam habito consilio sapientum, appellationem abbatisse et conuentus predictarum legitimam pronunciamus, et quidquid post ipsam appellationem attentatum per dictum episcopum extitit, reuocantes. Et quia parum prodesset humilibus humilitas, nisi et contumaces penis legitimis ferirentur, predictam abbatissam et conuentum et earum procuratorem causa rei seruande mittendos decreuimus in possessionem ecclesie memorate, expensarum questione predictis abbatisse et conuentui reseruata. In cuius rei testimonium presens instrumentum fecimus per Ioannem, quondam Manni de Castro Plebis subscriptum notarium publicare, et nostro sigillo muniri. Data et procurata est hec sententia in scriptis Anagnie, in palatio domini pape, presentibus vocatis et rogatis testibus infra scriptis, videlicet magistro Nicolao de Casto(?) et Ioanne, canonico Hamelensi, et Petro, notario de Iolliano, et Crabiele notario, et magistro Bernardo de ... clerico, et pluribus aliis. Anno domini MCCLVI. die sexto Cal. Iulii. Indictione decima quarta. Pontificatus domini pape Alexandri IV. anno secundo. Et ego Ioannes, quondam Manni de Castro Plebis, apostolice sedis auctoritate notarius, pronunciationi predicte sententie interfui, et eam de mandato et auctoritate dicti domini Guillelmi, Foroiuliensis prepositi, scripsi, et in publicam formam redegi, et sui sigilli munimine roboraui.

Apographum in codice Tišňowicensi in Museo Moravico.

CCXXXIV.

Otakarus, dominus regni Boëmiae et marchio Moraviae, possessiones ecclesiae Olomucensis confirmat, juraque et libertates auget. Dl. Opaviae, XVII. Kalendas Augusti, 1256.

C. In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Ego Premizl dei gratia rex Bohemorum tercius. Venerabili *episcopo Olomucensi Roberto* eiusque successoribus et Olomucensi ecclesie in perpetuum. Cum regie dignitati cedat ad gloriam, quociens sanctam ueneratur et sublimat ecclesiam, nostre placuit serenitati eius prouidere necessitati, ita ut nostre benignitatis

experiatur beneficia, et nobis inde proueniant diuini muneris emolumenta. Nouerit itaque tam presens etas quam futura posteritas. quod antiqua Olomucensis ecclesie renouantes priuilegia, omnes possessiones eius habitas uel habendas, siue sint in Bohemia siue in Morawia, ab omni genere tributorum, uectigalium, collectarum, aliarumque omnium exactionum esse absolutas decreuimus, adicientes ut nullus pro castrorum edificatione uel reedificatione siue pro aliqua ingruenti expeditione, secundum quod in antiquis continetur priuilegiis, homines episcopatus et ecclesie audeat inquietare, seu ad fossata circa castra uel oppida facienda, seu etiam pontes edificandos uiolenta coactione compellere, precipue cum a grauaminibus huiusmodi, priuilegiorum beneficio, ex antecessorum nostrorum et nostro tali liberalitatis munere sibi collato, ecclesia Olomucensis penitus sit exhonerata. Ius quod datur pro capite siue pro fure, uel pro *Swod*, uel pro eo quod uulgo dicitur *Chistotne* principi, siue eius inbeneficatis, venerabili patri nostro Ruberto episcopo, et eius successoribus et ecclesie concessimus perpetuo obtinendum, hoc statuentes de fure, si in maleficio fuerit deprehensus, manens in prediis ecclesie, siue capiatur. et coram iudicio conuincatur, eius bona. scilicet furis, remaneant ecclesie ipse uero secundum quod placuerit principi puniatur. Si vero homines episcopatus et ecclesie in aliquo coram iudicio culpabiles inueniuntur. nec nobis nec iudicibus nostris curialibusque uel inbeneficiatis, aliquid inde proueniat vtilitatis, sed apud episcopum et eius successores, culpe perseueret satisfactio, nisi in quo tenetur satisfacere aduersario, inhibentes firmiter venditionem illam, ab hominibus episcopatus exigi, que fieri solet propter uie grauis dispendia, vbi de communi strata disgressio fit secus uiam propter euitationem mali transitus, nec spolia ab ipsis recipi. Similiter in occupatione metarum, si aliqui in iudicium fuerint uocati et iudicati, ad ecclesiam venditio redeat simul cum eo, quod vulgo dicitur *Meznjwol* et conquerenti satisfiat. Cetera ut omnia breuiter comprehendamus omne ius quod spectat ad vsus principum, in omni venditione, uel ad beneficos, eis remittimus, vt plena et perfecta gaudeant libertate, nec ullus eis nouas conditiones audeat inponere, uel ipsorum iura ausu temerario inmutare, antecessorum nostrorum priuilegiis confirmata, simul et nostra auctoritate regia ecclesie sancte Olomucensi donata. Villam nomine *Cromesir*, cum foro et omni iure suo, quam quasi

episcopo Olomucensi obligatam, precedentium principum fatebatur inuidia, cum felicis memorie *Iohannes* episcopus, a reuerendo patre nostro Roberto qui in presentiarum est decimus, a *principe Morauie Ottone Nigro*, pro CCC marcis emerit, ab omni inpetitione nostra et successorum nostrorum absoluimus, sanctientes, quod episcopus Olomucensis, et eius successores plenam in ea habeant, omni impedimento remoto, pro velle suo disponendi facultatem. Cum autem omni iuri divino, contraria inoleuerat consuetudo, quod decedente episcopo bona illius in vsus principum vendicabantur, visum fuit nostre pietati, istam tam iniquam abolere consuetudinem et abusionem, hoc decernentes quod vltima fata decedentis episcopi, ecclesie non cedant ad detrimentum, cum eius patroni, beatus Petrus apostolus et Paulus et felix marthyr Wencezlaus. apud deum uiuant in eternum. Decedente ergo episcopo omnia episcopatus et ecclesie bona, sub manu decani et prepositi ecclesie illius, integra eius successori reseruentur, nec aliquis ea audeat occupare, uel minuere, seu in vsus principum vendicare. Contigit etiam quod ab antiquis temporibus ecclesia illa preposito carebat vnde uisum fuit patri nostro Roberto episcopo in ea prepositum ordinare, qui canonicis illius ecclesie debito modo prouideret, et eorum necessitati responderet. Sed cum deceat regiam manum vbique pluere beneficia, prepositure illi cancellariam nostram cum villa que vocatur *Vherci*, ad quam decimus denarius cum decima aratrorum nostrorum spectat, et omnium rerum ad vtilitatem nostram pertinentium, ex integro contulimus interdicentes ut nullus audeat hec immutare, precipue cum hoc nostre liberalitatis donum, statuerimus in ecclesia Olomucensi esse nostrum et omnium principum perpetuum memoriale. Libertatem etiam in episcoporum electione, quam quidam principes inpedire solebant canonicis ipsius ecclesie secundum iura canonum celebrandam, libere et absolute concedimus et ne inposterum irritetur prohibemus, et quia dominus papa confirmauit priuilegium aui nostri et transgressores excommunicauit, Nos illud uolumus habere ratum et firmum tenere, ampliori autem nostre deuotionis affectu, matrem nostram Olomucensem uenerari ecclesiam omnimodis cupientes. hanc gratiam eidem, ex mera nostre benignitatis liberalitate conferimus, ut quascunque possessiones emerunt episcopi uel canonici nomine ecclesie prescripta gaudeant libertate. Si uero epicopus uel aliqui ex canonicis emerunt in

tulit, et alteram vulgo dictam *Medweze* per patruum patris nostri *Wladizlaum*, pie memorie marchionem Morauie, emptam et collatam et illas quas *Waltherus* decanus et *Stephanus* prepositus contulerunt de licentia patrui patris nostri uidelicet *Lutin. Neredeyn, Gozchich. Myzlochowich*, et *domine marchionisse* tres terras in *Cladorub* et vnam in *Semithesich*, et eas omnes quas sub temporibus *Wladimiri* principis, seu patrui patris nostri possedit ecclesia in *Lissek* in *Nelessouich* et in *Celehhowich* sub episcopatus iure antiquo liberas esse statuimus et inquietari prohibemus, saluum ius in omnibus ecclesie Olomucensis libertatis relinquentes, et sicut ab antecessoribus nostris priuilegiatam se gaudet Olomucensis ecclesia, ita per nostre huius donationis gratiam, magnificet se esse liberam et omni iugo vetuste inquietatis penitus exutam. Inhibemus etiam a canonicorum plaustris in theloniis cum uina sua uel salem, segetem uel humulum, seu alia quelibet deducunt sine quibus subsistere non possunt, ne ab ipsis thelonium exigatur, uel aliqua violentia inferatur eis indebite exactionis. Statuentes hanc penam ut quicunque mandati nostri statutum violauerint, et non statim satisfacerint super illato grauamine, extunc vindictam in eos debitam exerceat ecclesia, et carceris nostri macerentur graui custodia. Decreuimus etiam hoc obseruari secundum iura canonum, ut clerici non trahantur in iudicium seculare, nec iudicentur per seculares personas, sed ecclesia cuius interest discutiat clericorum iudicia et eorum qui contra ipsos procedunt in qualicunque querimonia, adicientes hoc. ut benefici nostri nichil habeant iudicare de diuortio uel de matrimonio discutere inter virum et mulierem, cum omne tale iudicium soli sit ecclesie specialiter auctoritate apostolica concessum, huiusmodi enim iudicia venditione non indigent, sed penitentia et spiritali iusticia. Vt omnia autem matri nostre sancte Olomucensi ecclesie cupiamus prospera, a deo retributionis beate gratiam prestolantes thabernas canonicorum, que primitus inpediebantur per nostros beneficos thabernarium Olomucensem, seu per villicum nostrum liberas esse precipimus, et ne amplius grauentur inhibemus, in *Cirtorige* et in *Rathay* et in *Montibus*, et que in dotem sunt ecclesiis assignate et utilitatem. Quia uero de villa dicta *Brunowich* sepius inpetebatur Episcopus et ecclesia Olomucensis et tam per principes quam per nobiles molestabatur principum, ne deinceps calumpniose molestetur uel infestetur,

uel aliquatenus super ea infestuose conueniatur episcopus ipsam Olomucensi ecclesie in perpetuum confirmamus possidendam, et confirmatam restituimus huic adicientes confirmationi nostre regie villam nuncupatam *Nasazawe* ut libere et in quiete easdem Olomucensis possideat ecclesia, in recordatione orationum suarum nostri et antecessorum nostrorum semper habens memoriam. Vt autem hec omnia rata et inconcussa permaneant, hanc nostre serenitatis paginam nostro sigillo fecimus roborari, et a venerabili patre nostro Roberto in die Pasche publice excommunicari. Si quis autem contra hanc nostram venerit constitutionem, rerum suarum graui multetur dispendio, et deum cum sanctis suis sibi aduersum in extremo sentiat iudicio. Huius rei testes sunt, Pardus camerarius Olomucensis. Egidius castellanus Olomucensis. Iohannes sudarius Olomucensis. Beneda Lowcki. Marquardus camerarius Bohemie. Wolkmarus camerarius regine. Benesius camerarius Morauie. Svdomirus camerarius Brechyzlauiensis. Smilo castellanus Prerowiensis. Ienchzo castellanus Gradicensis. Kvno camerarius Brunensis. Radozlaus de Heraltich. Iohannes de Wisnow. Bvdizlaus iudex Oppauiensis. Zlauiborius. Bohuzlaus filius Rathmiri. Vlricus filius Prothiue. Chastolous cum Harthmanno fratre suo. Milota et Rupertus filii Wokkonis Wilhelmus filius Slawiborii. Nezamizl et frater eius Rathiborius de Ramur. Gallus de Levmberk. Bohuzlaus dapifer cum fratre suo Predborio. Ruzs et Wilhelmus filius Prothiue. Theodoricus Albus. Weseborius et Grabysse filii Egidii. Dominus Gregorius custos Olomucensis. Alexius et Dauit canonici eiusdem ecclesie. et alii quam plures. Acta sunt hec anno gratie M. CC. LVI., et publicata *in colloquio generali in Oppauia celebrato.* XVII. Kalendas Augusti. Data per manus notariorum domini Wilhelmi et domini Arnoldi virorum illustrium et proborum et qui hanc nostram libertatem sancto factam, et traditam Wencezlao impugnauerit, anathema sit. Amen.

Ex originali in archivo archiepiscopali Cremsirii, quod praeter titulum „Rex Bohemorum" nullam sublaestionis notam habet. — Apographum in codice Olomucensi membr. I. f. 6.

CCXXXV.

Idem confirmat permutationem curiae in Opawice pro curia in Slawkow inter cives Opavienses et fratres domus Teutonicorum factam. Dt. apud Opaviam XV. Kalend. Augusti, 1256.

Premizl qui et Othacarus dei gratia dominus regni Bohemie, dux Austrie et marchio Morauie vniuersis fidelibus suis hanc litteram inspecturis per prouinciam *Opauiensem* constitutis gratiam suam et omne bonum. Cum actiones hominum quamuis sollempniter celebrate simul cum tempore defluere consueuerunt, necesse est ut ea que a memoria hominum decidere possunt, litteris authenticis et testium subnotatione perhennentur. Notum facimus igitur tam presentibus, quam futuris quod nos concambium curie in *Opawicz* ciuium nostrorum fidelium de *Opauia* pro curia in *Slawkoue fratrum domus theutonicorum in Opauia* de consensu nostro beniuolo et gratioso factum ad petitionem partium predictarum auctoritate nostra regia confirmamus in omnibus suis punctis et articulis, sicut in litteris insuper confectis latius et expressius continetur. In cuius rei testimonium et firmitatem presentem paginam conscribi et sigillorum nostrorum munimine roborari iussimus. Hec vero sunt testium nomina, que secuntur. Marquardus camerarius, Ydik et Zlauiborius fratres. Chuno cum fratre, Benescius camerarius, Diwiscius pincerna. Schaenko de Sitauia cum fratre suo. Hartlibus et Iaenzo fratres. Bohusch filius Cyrhonis. et alii quam plures. Actum anno domini M. CC. LVI. Datum apud Opauiam. per manus Wilhelmi et Arnoldi tunc prothonotariorum nostrorum. Quintodecimo Kalendas Augusti.

E copia saec. XV. in curia Opaviensi.

CCXXXVI.

Idem ratam habet cessionem villae Augezda fratribus s. Joannis in Hrobnjk Pardus, camerario Olomucensi, ad tempora vitae factam. Dt. apud Opaviam XV. Kal. Augusti, 1256.

Otacharus dei gracia, dominus regni Boemie, dux Austrie et marchio Moravie omnibus in perpetuum. Regie maiestatis benignitas que ex

sui dulcedine consueuit bonorum affectibus se prestabilem exhibere, ammonet et hortatur, ut per operis euidenciam et consensum, pie operari uolentibus, annuamus. Hinc est, quod nos presentibus profitemur, quod venerabiles viri, et dilecti nobis, magister *domus hospitalis s. Ioannis Ierosolimitani, per Boemiam et Moraviam et Poloniam et fratres domus in Grobnich*, villam quandam *Vgezde* nominatam, fideli nostro *Parduz* camerario Olomucensi, contulerunt ad tempora vite sue. ita tamen. vt fructus ipsius ville percipiat et post eius obitum, sublato omni impedimento, fratrum et aliorum amicorum suorum ad vsus fratrum predictorum et hospitalis villa prenotata cum suis prouentibus libere reuoluatur. Nos igitur quod prouide actum est in premissis, gratum et ratum habentes, sigillis nostris cum subscriptione testium, confirmamus. dantes in testimonium euidens, litteras has patentes. Hec vero sunt testium nomina, que secuntur. Marquardus camerarius, Ydik et Zlauiborius fratres. Chuno cum fratre, Benescius camerarius, Diwiscius pincerna. Schaenko de Sitauia cum fratre suo. Hartlibus et Iaenzo fratres. Bohusch filius Cyrhonis. et alii quam plures. Actum anno domini M. CC. LVI. Datum apud Opauiam. per manus Wilhelmi et Arnoldi tunc prothonotariorum nostrorum. Quintodecimo Kalendas Augusti.

Ex originali in archivo *M.* Prioratus Melitensium Pragae.

CCXXXVII.

Pardus, camerarius Olomucensis, partem bonorum in Dirzizlaw fratribus eisdem in Hrobnjk confert. Dt. apud Opaviam, XV. Kalendas Augusti, 1256.

Ego Parduz camerarius Olomucensis, vniuersis hanc litteram inspecturis presencium profiteor per tenorem. quod partem bonorum quecumque me contingit in villa que *Dirsizlawe* vocatur, nullo amicorum meorum obstante impedimento. *fratribus domus de Grobnich cruciferis, hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani,* pro remedio omnium meorum contuli peccatorum. In cuius rei testimonium et cautelam, ipsis cum sigillo meo dedi litteras has patentes. Testibus subnotatis. Zudomirus et Budiwoy fratres mei. Marquardus camerarius. Benescius camerarius. Ydick et Zlauiborius

fratres. Beneda, Schaenko de Sitauia. Hartlibus et Iaenzo fratres. Zmilo et Chuno fratres. Diwischius pincerna. Bohusch filius Cirhonis, et alii quam plures. Actum anno domini. M. CC. LVI. Datum apud Opauiam XV. Kalendas Augusti.

Ex originali cum duobus sigillis ejusdem insignis ibidem.

CCXXXVIII.

Alexander papa IV. confirmat transactionem inter episcopum Olomucensem et abbatem Brewnoviensem de ecclesiis ejusdem in Moravia. Dt. Anagniae, IX. Kalendas Novembris, 1256.

Alexander episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis . . abbati et conuentui monasterii in *Brewnov* ordinis sancti Benedicti Pragensis diocesis. Salutem et apostolicam benediccionem. Cum a nobis petitur, quod iustum est et honestum, tam vigor equitatis quam ordo exigit racionis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Cum itaque, sicut exibita nobis vestra peticio continebat, dudum inter uos ex parte una et venerabilem fratrem nostrum . . episcopum ac dilectos filios . . prepositum . . decanum et capitulum *Olomucense* super instituendis ac destituendis rectoribus seu plebanis in ecclesiis parrochialibus, in quibus ius patronatus habetis, necnon decimis et rebus aliis ex altera exorta fuerit materia questionis, tandem mediantibus dilectis filiis magistro Marquardo scolastico pragensi et fratre Gotfrido de domo Thewtonica inter partes amicabilis super illis composicio interuenit, prout in predictorum episcopi, prepositi, decani et capituli litteris exinde confectis, quarum tenorem de uerbo ad uerbum presentibus inseri fecimus, plenius continetur. Nos igitur uestris supplicacionibus inclinati composicionem ipsam, sicut rite et sine prauitate ac prouide facta est, et ab utraque parte sponte recepta, et hactenus pacifice obseruata, ratam habentes et gratam, eam auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Tenor autem litterarum ipsarum talis est: *(In nomine domini amen. Bruno . . . VIII. Idus Novembris MCCLV. Vide n. CCXX).* Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostre confirmacionis infringere, uel ei ausu temerario

contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignacionem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Anagnie VIIII. Kalendas Nouembris. pontificatus nostri anno secundo.

Ex originali in archivo monasterii Rayhradensis.

CCXXXIX.

Conventio episcopi Olomucensis et monasterii Litomyślensis de metis ad Switaviam, de decimis, judicio et aliis in nova Switavia. Act. VIII. Idus Novembris, 1256.

Bruno dei gracia Olomucensis episcopus omnibus hanc paginam inspecturis eternam in domino salutem. Cum rerum gestarum certissima representacio sit scriptura, que de uerborum serie redactorum in eam nichil minuit aut inmutat, recognoscimus, et tenore presencium protestamur ac earundem exhibicione cupimus ad singulorum noticiam peruenire, quod nos cum abbate et conuentu suo de *lvtomisl* ordinis premonstratensis Pragensis dyocesis *super metis silue inter claustrum eorum et oppidum nostrum zvilauiam* concordauimus in hunc modum, videlicet quod eadem silua usque ad cacumina moncium, qui sunt uersus bohemiam, a quibus aqua decurrit ad terram *Morauie,* nobis et nostris successoribus ecclesie nostre perpetuo debeat pertinere, et quod abbas et conuentus ecclesie lutomislensis tam in censu quam in decimis, jvdicio, pascuis, pratis, piscacionibus, aquis, molendinis, venacionibus, allodiis et ceteris omnibus, que ex utraque parte aque tam de illa, de qua nobis questio mota fuit, quam de alia, de qua nulla mouebatur questio, et per totum illum circuitum et districtum nobis prouenient et soluentur, decimam percipient, quam in dotem damus et assignamus ecclesie siue parrochie, que nunc est in eodem oppido nostro, in qua et in omnibus aliis, que processu temporis in eodem districtu fundate ac edificate fuerint, prefatis abbati et conuentui et eorum nomine claustro in lutomisl jvs patronatus et temporalia conferimus de consensu nostri capituli perpetuo possidenda, nobis et nostris successoribus tantum in eis spiritualibus reseruatis. Item habebunt nomine eiusdem ecclesie decimam septimanam

Muth in *Gewich* et tres mansos, vnum, ubi antiqua *zuitawia* sita fuit; alium in eo loco, ubi nunc prefata villa et ecclesia fundata est; tercium in *drwalowicz;* quos prefata ecclesia nomine dotis ab antiquo tenuit et possedit. Item volumus, ut plebanus prenominate ecclesie sit notarius ibi adhoc, ut ecclesie lutomislensi nichil in iure suo depereat, et quod cum aduocato nostro iudicio presideat, ita quod jvs eorundem in omnibus integre conseruetur. Ut autem premissa omnia tam nobis, successoribus nostris et ecclesie nostre, quam abbati, conuentui et claustro lvthomisl inuiolabiliter obseruentur, et robur obtineant perpetue firmitatis, presentem paginam ad rei memoriam sempiternam nostri et patris abbatis de monte syon Pragensis dyocesis, qui eidem concordie personaliter interfuit et operam adhibuit, nec non et abbatis et conuentus de luthomisl sigillorum munimine fecimus roborari, testium subscriptione adhibita, quorum nomina sunt hec: Herbordus decanus. Nicolaus prepositus. Bartholomeus archidiaconus Olomucensis. Marquardus znoymensis. Iohannes prerouensis. heydolfus oppauiensis. Wilhelmus notarius ducis. Arnoldus similiter notarius ducis. Magister Stephanus. Gregorius sacrista. Symon. Dauid. Cvonradus, capellanus episcopi et scolasticus chori. De choro autem lutomislensi: Philippus prior. Lambertus subprior. Antonius. Nicolaus sacerdotes. Alexander custos. Cunradus camerarius. Radozlaus. Gothardus. Fridericus. Petrus. Hermannus, fratres eiusdem ecclesie et alii quam plures. Acta sunt hec anno gracie Millesimo CC. LVI. VIII. idus Nouembris.

Ex originali archivi archiepiscopalis Cremsirii. — Apographum in codice Cremsiriensi E. 11. — et Olomucensi chart. I. f. 22.

CCXL.

Smilo de Brumow, rector provinciae Bernecensis, restituit monasterio Geracensi curiam in Raystorf. 1256.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Ego Smilo dictus de Pravnowe, uicem gerens fratris mei Botsconis bone memorie, ac rector prouincie Bernekcensis vniuersis Christi fidelibus presentibus et futuris, ad quos hec scripta perueniunt, presentium attestatione significo, quod

ego curiam in Raystorf sitam, ab Alberone milite de Wihalmestorf domui Bernekensi quondam collatam, postmodum vero per suggestionem quorundam a fratre meo ab ipsa alienatam suis eandem uendicans usibus credens secundum eorum relationem se in ea iurisdictionem habere, ad petitionem domini abbatis de Ierus, et prepositi de Bernek, multorumque nobilium persuadente consilio, nec non et puerorum uoluntate consentiente cum omnibus agris, pratis, et hortis, siue aliis attinentiis domui prenominate integraliter restituo, eamque perpetualiter possidendam sepedicte domui sigilli mei appensione, et testium annotatione confirmo, vt non solum militis prefati, sed etiam remedium existat fratris mei, et anime sue prodesse ualeat ad salutem. Nomina quoque testium sunt hec. Zmilo et Ratiborius de Belcowe. Vlricus de Plerpach. Razlaus de Heroltiz. Gerwigius in Drozendorf castellanus et ciues eiusdem loci. Chunradus quondam iudex. Waltherus Phephel. Waltherus Grossus. Pilgrimus molendinator. Leutoldus iudex. Chunradus clerici filius. Vlricus Swebel, et alii quam plures fide digni. Datum anno domini M. CC. LVI. concurrente VI. indictione XIIII. Epacte XXII. Domino Othachro Austriam gubernante.

Marian — Oester. Klerisey IX. pag. 133.

CCXLI.

Přemysl, dominus regni Boëmiae, dux Austriae et marchio Moraviae, bona fratrum hospitalis s. Joannis ab onere pernoctationum liberat. Dt. Pragae, VII. Idus Januarii, 1257.

Premizl dei gracia dominus regni Bohemie. dux Austrie. marchio Moravie. Vniuersis baronibus militibus. iudicibus et officialibus aliisque fidelibus quocunque nomine censeantur per districtum sui dominii constitutis graciam suam. Nouerint uniuersi presentem paginam inspecturi. quod hac speciali libertate *domum hospitalis Hierosolimitani ecclesie s. Marie iuxta pontem Pragensem* honorauimus. et honorando dotauimus. quod nullus baronum regni nostri siue militum. aut iudicum. aut officialium quantecunque fuerit dignitatis. in curiis aut villis predicti hospitalis audeat uiolenter pernoctare. vel etiam de bonis fratrum eiusdem hospitalis cum alba

cruce sibi quicquam temerarie usurpare. Quod si per aliquem secus presumptum fuerit. uel aliquid molestie dictis fratribus illatum fuerit. presumptori graciam nostram contradicimus. et eundem condemnantes tradimus regalis aule camerario districtius captiuandum. nec dimittendum quoadusque persoluerit nobis centum marcas. Datum Prage anno domini MCCLVII. VII. Idus Ianuarii.

Ex originali cum sigillo integro in archivo M. Prioratus Melitensium Pragae.

CCXLII.

Alexander papa IV. mandat abbati Scotorum, ut litem inter monasterium Tišňowicense et Albertum praepositum s. Petri Brunae decidat. Dt. Laterani, VI. Idus Januarii, 1257.

Alexander episcopus seruus seruorum dei. Dilecto filio Abbati monasterii Scotorum ordinis sancti Benedicti Patauiensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Sua nobis dilecte in Christo filie Abbatissa et conuentus monasterii *de porta celi* Cisterciensis ordinis petitione monstrarunt quod cum inter ipsas ex parte una et *Albertum prepositum* qui se gerit pro rectore *ecclesie sancti Petri in Brunna* Holomocensis diocesis ex altera super eadem ecclesia coram venerabili fratre nostro Holomocensi episcopo auctoritate ordinaria questio uerteretur quia dictus episcopus easdem Abbatissam et conuentum ad locum citans non tutum ad quem propter guerrarum discrimina sine personarum periculo mittere non poterant alium sibi contra iustitiam denegabat assignare securum humiliter requisitus ipse sentientes ex hoc indebite se grauari ad sedem apostolicam appellarunt ad prosequendum appellationem suam apud sedem eandem sibi certum terminum prefigendo quem terminum pars altera acceptauit. Cumque procuratori dictarum Abbatisse et conuentus in eodem termino ad nostram propter hoc presentiam accedenti dilectum filium Guillelmum Bardum capellanum nostrum prepositum foroiuliensem dederimus in causa huiusmodi auditorem idem capellanus pro parte altera nemine comparente quamquam ipsam in audientia publica pluries citari fecerit et diutius post eundem

terminum expectarit uisis et auditis que pro predictis Abbatissa et conuentu fuerunt proposita coram eo appellationem ipsarum pronuntiauit legitimam et reuocauit quicquid post ipsam in earum Abbatisse et conuentus preiudicium per eundem episcopum extitit attemptatum ac nichilominus ipsas in possessionem dicte ecclesie causa rei seruande inducendas fore decreuit prout in instrumento publico inde confecto sigillato ipsius capellani sigillo dicitur plenius contineri. Qvuocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatenus ipsas uel procuratorem earum pro eis in ipsius ecclesie possessionem causa rei seruande auctoritate nostra inducas et defendas inductas contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. non obstante si tibi uel ordini tuo a sede apostolica sit indultum, quod de causis que tibi a sede committuntur eadem cognoscere minime tenearis. Datum Laterani VI. Idus Ianuarii. Pontificatus nostri anno tertio.

Ex originali ejusdem monasterii.

CCXLIII.

Idem praelatis et clericis per Boëmiam, Poloniam, Moraviam et Austriam constitutis mandat, ut adjuvent fratrem Bartholomaeum de Boëmia in praedicanda adversus Lithuanos cruce. Dt. Laterani, IV. Kal. Februarii, 1257.

Alexander episcopus seruus seruorum dei. Venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, prepositis, archidiaconis, rectoribus et aliis ecclesiarum prelatis et clericis per Boemiam, Poloniam, Morauiam et Austriam, nec non et partes vicinas constitutis salutem et apostolicam benedictionem. Cum dilecto filio fratri *Bartholomeo de Boemia* ordinis fratrum Minorum, quem sue religionis et probitatis obtentu carum habemus admodum et acceptum, et in cuius ore non est verbum domini alligatum, contra *Litwanos* et alios infideles in partibus vestris predicare commiserimus verbum crucis: uniuersitatem vestram rogamus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus ipsum ob reuerentiam apostolice Sedis et nostram honeste ac

benigne tractantes, eidem cum quatuor personis et totidem equis in securo conductu et aliis necessariis curetis taliter prouidere, quod vestra deuotio inde possit merito commendari. Alioquin sententiam quam ipse propter hoc rite tulerit in rebelles ratam habebimus, et faciemus auctore domino usque ad satisfactionem condignam appellatione remota inuiolabiliter obseruari. Datum Laterani IIII. Kalendas Februarii. Pontificatus nostri anno tertio.

Ex autographo Regesto Alexandri papae IV. anni III. epist. 308. in tabulariis Vaticanis.

CCXLIV.

Idem magistro et fratribus hospitalis s. Mariae Teutonicorum confirmat permutationem quarumdam vinearum, quas prope Romam possidebant, cum capitulo ecclesiae Lateranensis, pro censu unius fertonis de ecclesia in Neplachowice, in districtu Opaviensi sita, huic debito. Dt. Laterani, III. Kalendas Februarii, 1257.

Alexander episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis . . magistro et fratribus hospitalis S. Marie Teutonicorum Ierosolymitani, salutem et apostolicam benedictionem. Petitionis vestre seriem audiuimus, continentem quod dilecti filii . . prior et capitulum ecclesie Lateranensis annuum censum unius fertonis argenti tunc ad eos in ecclesia de *Niplawiz* Olomucensis diocesis pertinentem pro quibusdam vineis sitis prope Urbem tunc ad vos spectantibus solemni tractatu ac diligenti deliberatione hinc inde habitis et utriusque partis utilitate pensata, vobiscum perpetuo permutarunt, prout in publico instrumento confecto exinde plenius continetur. Nos itaque vestris ac etiam dictorum prioris et capituli supplicationibus inclinati, quod super premissis factum est ratum et firmum habentes id auctoritate apostolica de certa scientia confirmamus *etc. . . usque* communimus, defectum si quis in his est habitus supplentes de nostre plenitudine potestatis. Tenorem autem instrumenti prefati de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari, qui talis est: In nomine domini nostri Iesu Christi amen. Anno natiuitatis eiusdem MCCLVII. XV indictione, die Martis nono intrantis mensis Ianuarii, ponti-

ficatus D. Alexandri pape IV. anno tertio, in presentia mei Benedicti infrascripti scriniarii et testium subscriptorum ad hec specialiter vocatorum, religiosi viri .. prior et capitulum ecclesie Lateranensis diligenti deliberatione ac solenni tractatu inter se habito, attendentes utilitatem ipsius ecclesie Lateranensis, annuum censum unius fertonis argenti, in quo *ecclesia de Niplawiz de Opauia* Olomucensis diocesis erat eidem ecclesie Lateranensi censualis, cum honorabili viro magistro Iohanne de Capua, domini pape notario, fratre ac generali procuratore totius ordinis *hospitalis S. Marie Teutonicorum Ierosolymitani et fratre Alberto de Boemia presbytero speciali procuratore eiusdem ecclesie de Niplawiz* permutarunt hoc modo, videlicet quod dicti magister Iohannes et frater Albertus propter euidentem utilitatem et releuationem seu exonerationem predicte ecclesie de Niplawiz, duas petias vinearum, que sunt in loco ubi dicitur ad vallem inter hos fines: a primo latere est mons qui dicitur domini pape, et ab alio latere est forma aqueductus, et ab aliis lateribus tenet ecclesia Lateranensis de quibus magis quam de predicto censu ipsi Lateranensi ecclesie singulis annis preter alias utilitates poterit prouenire, maxime cum utile sit etiam ultra communem estimationem vicinos fundos habere titulo permutationis, dictis priori et capitulo nomine Lateranensis ecclesie et ipsi Lateranensi ecclesie in perpetuum contulerunt. Idem vero prior et capitulum unanimi consensu eandem permutationem acceptantes quitauerunt, remiserunt prefatis M. Iohanni et fratri Alberto nomine prefati hospitalis et specialiter ipsius ecclesie de Niplawis dictum annuum censum unius fertonis argenti, et ipsos procuratores nomine hospitalis eiusdem nec non ecclesiam de Niplawis liberauerunt et absoluerunt omnino ac liberos et absolutos esse in perpetuum voluerunt. Promiserunt autem sibi ad inuicem predicti prior et capitulum ex parte una et M. Iohannes ac frater Albertus ex altera nomine predictorum ordinis et hospitalis S. Mariae Teutonicorum presentem permutationem inuiolabiliter obseruare et contra eam nullo facti vel iuris remedio ordinario vel extraordinario contrauenire. Renuntiantes actioni cuilibet et exceptioni, et omni alii auxilio, per quod possit presens permutatio reuocari vel quomodolibet impediri. Ad maiorem etiam cautelam et eiusdem permutationis perpetuam firmitatem tam dictus frater Albertus procurator, habens ad hoc mandatum, quam etiam Petrus de S. Bartholomeo iconomus predictorum prioris et capituli

Lateranensis ecclesie, de mandato ipsorum prioris et capituli presentium predicta omnia partes inuiolabiliter seruaturas prestito corporaliter iuramento firmauerunt. In cuius rei testimonium et euidentiam pleniorem dicti M. Iohannes et frater Albertus ac prior et capitulum presens instrumentum suorum sigillorum fecerunt appensione muniri. Actum Rome in palatio de Laterano, presentibus his testibus, videlicet fratre Bartholomeo de Boemia ordinis fratrum Minorum, fratre Lamberto Teutonico eiusdem ordinis, M. Gentile de Monte granerio, d. pape scriptore, M. Petro canonico Theanensi, M. Bono pergamen. scriniario et Calcedonio de Roccawillelmi iudice ad hoc rogatis. Et ego Benedictus de Castronouo auctoritate apostolica scriniarius omnibus his interfui et hoc instrumentum scripsi et compleui rogatus. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostre confirmationis et suppletionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Laterani III. Kal. Februarii. Pontificatus nostri anno tertio.

Ibidem — epistola 74.

CCXLV.

Idem episcopo Olomucensi mandat, ut fratres hospitalis s. Mariae Teutonicorum in possessione ecclesiae in Neplachowice tueatur. Dt. Laterani, III. Kalendas Februarii, 1257.

Alexander episcopus seruus seruorum dei. Venerabili fratri . . Episcopo Olomucensi salutem et apostolicam benedictionem. Exhibita nobis dilectorum filiorum . . . Magistri et fratrum *hospitalis S. Marie Teutonicorum Ierosolymitani* petitio continebat, quod cum tibi olim legitime constitisset, ecclesiam de *Niplawiz* tuè diocesis, in qua Lateranensis ecclesia censum annuum unius fertonis argenti obtinuisse dinoscitur, propter malitiam et negligentiam personarum degentium in eadem, esse in spiritualibus et temporalibus grauiter deformatam, illam de ordine fratrum ipsius hospitalis S. Marie Teutonicorum auctoritate ordinaria et diligenti deliberatione prehabita reformasti. Quia vero dilectus filius . . prior et capitulum eiusdem

ecclesie Lateranensis censum ipsum cum supradictis magistro et fratribus pro quibusdam vineis sitis prope Urbem tunc ad eos spectantibus perpetuo permutarunt: nos eorundem magistri et fratrum ac dilectorum filiorum prioris et capituli eiusdem ecclesie Lateranensis supplicationibus inclinati, quod super premissis factum est ratum et firmum habentes, id auctoritate apostolica de certa scientia confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Ideoque mandamus, quatenus dictos magistrum et fratres in possessione ipsius ecclesie de Niplawiz cum iuribus et pertinentiis suis per te vel alium auctoritate nostra inducas et defendas inductos, contradictores auctoritate nostra appellatione postposita compescendo, non obstante aliqua indulgentia Sedis apostolice, per quam mandati nostri executio in hac parte valeat impediri. Datum Laterani III. Kalendas Februarii. Pontificatus nostri anno tertio.

Ibidem — epistola 75.

CCXLVI.

Idem regem Boëmiae admonet, ut eosdem fratres in eadem possessione defendat. Dt. Laterani, III. Kal. Februarii, 1257.

Alexander episcopus seruus seruorum dei. Illustri . . Regi Boemie salutem et apostolicam benedictionem. Relatu fidedigno percepimus, quod cum venerabilis frater noster . . episcopus Olomucensis ecclesiam de *Niplawiz* sue diocesis propter malitiam personarum ibi degentium esset grauiter deformata (sic), ipse illam de (sic) dilectis filiis *fratribus Hospitalis S. Marie Teutonicorum Ierosolymitani* auctoritate ordinaria reformauit. Postmodum autem dilecti filii . . prior et capitulum Lateranensis ecclesie annuum censum unius fertonis argenti, quem in prefata ecclesia de Niplawiz habebant, cum dictis Magistro et fratribus pro quibusdam vineis sitis prope Urbem tunc ad eos spectantibus perpetuo permutarunt, nos etiam, quod super premissis factum est, ratum et firmum habentes, id auctoritate apostolica de certa scientia confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Cum autem dicti Magister et fratres pro suis laudabilibus meritis apud nos obtineant gratiam beneuolentie specialis: Serenitatem

tuam attente rogandam duximus et monendam, quatenus fratres hospitalis eiusdem morantes in prefata ecclesia de Niplawiz, pro diuina et nostra reuerentia commendatos habeas, et eos in possessione ipsius, quantum in te fuerit manuteneas et defendas, ita quod eis te sibi propitium in hac parte reperisse gaudentibus, nos tue Celsitudini speciales exinde gratias referamus. Datum Laterani III. Kalendas Februarii. Pontificatus nostri anno tertio.

Ibidem — epistola 76.

CCXLVII.

Idem Danieli, regi Russiae, perscribit, ut impleat, quod olim juramento praestito Romanae ecclesiae promiserat. Dt. Laterani, Idibus Februarii, 1257.

Alexander episcopus seruus seruorum dei. Illustri Danieli Regi Russie, timorem diuini nominis et amorem. Inter alia que nobis ex iniuncto apostolatus incumbunt officio, animarum nos conuenit precipue inuigilare saluti, ut eas regum regi, qui nos illarum licet immeritos voluit preesse regimini, lucrafacere sua nobis cooperante gratia valeamus. Verum quia non est deo acceptum obsequium, quod sine fide prestatur, nec peruenitur operum edificio ad salutem, quod supra firmitatem fidei non consurgit, ad propagandam eam et corroborandam in mentibus omnium et specialiter regum et principum intentione tota omnique sollicitudine ac verbi et operis efficacia laborare debemus, ut christiana religione latius diffusa per orbem, patris eterni filius multiplicatis seruitoribus plenius honoretur. Sane tu olim cupiens de infidelitatis tenebris, que postquam etiam renatus fuisti fonte baptismatis, oculos tue mentis inuoluerant ad lumen catholice fidei, sine qua nemo saluatur et ad obedientiam ecclesie Romane non sine diuina inspiratione redire iuramento prestito promisisti ecclesie predicte tamquam fidelis eius filius obedire, ac fidem catholicam sicut alii orthodoxi mundi principes obseruare; propter quod ecclesia eadem volens te in sui deuotione congruis firmare fauoribus et condignis gratiis confouere, personam tuam ad regalis dignitatis apicem sublimauit, faciendo te inungi sacri

crismatis oleo, tuoque imponi capiti regum diadema. Sed tu sicut ad audientiam nostram non sine cordis turbatione peruenit, tam spiritualium quam temporalium beneficiorum ipsius ecclesie immemor, tanteque gratie prorsus ingratus, prestiti iuramenti religione contempta id quod circa obedientiam eiusdem ecclesie ac predicte obseruationem fidei promisisse dinosceris obseruare postmodum non curasti in anime tue periculum, ipsius iniuriam fidei, ecclesie predicte contemptum et opprobrium Iesu Christi. Super quo tanto vehementius contristamur, quanto feruentius super omnia cordis nostri desiderabilia cupimus, ut cultus eiusdem fidei per orbem longius latiusque diffusus continuum auctore domino suscipiat incrementum. Volentes igitur apostolicis apud te super hoc insistere monitis, et ad veritatem que Christus est paternis te persuasionibus reuocare, ac sperantes quod te grauiter contra deum et eius ecclesiam deliquisse considerans condigne peniteas et errorem tuum corrigere studeas per te ipsum, Magnitudinem tuam mouendam duximus attentius et hortandam, quatenus ad tuam memoriam reuocans, quanto studio quantaque sollicitudine circa exaltationem tuam Sedes apostolica laborauit, considerans etiam quod non ecclesiam, sed te ipsum decipis, tuum in hac parte promissum damnabiliter non seruando, perditionis viam, qua graderis, non differas abiurare, et id quod de ipsius obseruatione fidei et predicte ecclesie obedientia iuramento prestito promisisti, inuiolabiliter obseruare procures, ita quod nos tuorum laudabilium operum odore percepto, multa exinde perfusi letitia, dulcia ipsius ecclesie ubera, que copiose dudum in multorum beneficiorum perceptione suxisti, tibi tuis exigentibus meritis affectuosius porrigamus. Alioquin venerabilibus fratribus nostris .. *Olomucensi* et Wratislauiensi episcopis literis nostris iniungimus, ut te ad id per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellant; inuocato nichilominus contra te auxilio brachii secularis, non obstantibus aliquibus literis apostolicis cuiuscunque tenoris existant, per quas effectus presentium impediri valeat vel differri, et constitutione de duobus dictis edita in concilio generali. Dat. Laterani, Idus Februarii. Pontificatus nostri anno tertio.

Ibidem — epistola 110.

CCXLVIII.

Idem Olomucensi et Wratislaviensi episcopis mandat, ut Danielem, regem Russiae, ad promissa servanda cogant censuris ecclesiasticis. Dt. Laterani, Idibus Februarii, **1257.**

Alexander episcopus seruus seruorum dei. Venerabilibus fratribus .. *Olomucensi et.. Wratislauiensi* episcopis, salutem et apostolicam benedictionem. Inter alia que nobis ex iniuncto apostolatus incumbunt officio, animarum nos conuenit precipue inuigilare saluti, ut eas regum regi, qui nos illarum licet immeritos voluit preesse regimini, lucrafacere sua nobis cooperante gratia valeamus. Verum quia non est deo acceptum obsequium, quod sine fide prestatur, nec peruenitur operum edificio ad salutem, quod supra firmitatem fidei non consurgit, ad propagandam eam et corroborandam in mentibus omnium et specialiter regum et principum intentione tota omnique sollicitudine ac verbi et operis efficacia laborare debemus, ut christiana religione latius diffusa per orbem, patris eterni filius multiplicatis seruitoribus plenius honoretur. Sane Daniel Rex Ruscie olim cupiens de infidelitatis tenebris, que postquam etiam renatus fuit fonte baptismatis oculos sue mentis inuoluerant ad lumen catholice fidei, sine qua nemo saluatur et ad obedientiam ecclesie Romane non sine diuina inspiratione redire iuramento prestito promisit, ecclesie predicte tamquam fidelis eius filius obedire, ac fidem catholicam sicut alii orthodoxi mundi principes obseruare; propter quod ecclesia eadem volens eum in sui deuotione congruis firmare fauoribus et condignis gratiis confouere, personam suam ad regalis dignitatis apicem sublimauit, faciendo eum iuungi sacri crismatis oleo, suoque imponi capiti regum diadema. Sed ille sicut ad audientiam nostram non sine cordis turbatione peruenit, tam spiritualium quam temporalium beneficiorum ipsius ecclesie immemor, tanteque gratie prorsus ingratus, prestiti iuramenti religione contempta id quod circa obedientiam eiusdem ecclesie ac predicte obseruationem fidei promisisse dinoscitur obseruare postmodum non curauit in anime sue periculum, ipsius iniuriam fidei, ecclesie predicte contemptum et opprobrium Iesu Christi. Super quo tanto vehementius contristamur, quanto feruentius super omnia cordis nostri desiderabilia cupimus, ut cultus eiusdem fidei per orbem longius latiusque diffusus continuum auctore domino suscipiat incrementum.

Volentes igitur apostolicis apud eum super hoc insistere monitis, et ad veritatem que Christus est paternis eum persuasionibus reuocare, ac sperantes quod eum grauiter contra deum et eius ecclesiam deliquisse considerans condigne peniteat et errorem suum corrigere studeat per se ipsum, Magnitudinem suam monendam duximus attentius et hortandam, quatenus ad suam memoriam reuocans, quanto studio quantaque sollicitudine circa exaltationem suam Sedes apostolica laborauit, considerans etiam quod non ecclesiam, sed se ipsum decipit, suum in hac parte promissum damnabiliter non seruando, perditionis viam, qua graditur, non differat abiurare, et id quod de ipsius obseruatione fidei et predicte ecclesie obedientia iuramento prestito promisit, inuiolabiliter obseruare procuret, ita quod nos suorum laudabilium operum odore percepto, multa exinde perfusi letitia, dulcia ipsius ecclesie ubera, que copiose dudum in multorum beneficiorum perceptione suxit, eidem suis exigentibus meritis affectuosius porrigamus. Quocirca Fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus si memoratus Rex premissa neglexerit adimplere, vos eum ad id per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellatis, inuocato nihilominus contra eundem regem auxilio brachii secularis, non obstantibus aliquibus literis apostolicis cuiuscunque tenoris existant, per quas effectus presentium impediri valeat vel differri et constitutione de duobus dictis edita in concilio generali. Datum Laterani, Idus Februarii. Pontificatus nostri anno tertio.

Ibidem — epistola 110. a.

CCXLIX.

Bruno, episcopus Olomucensis, decidit litem inter monasterium cellae s. Mariae Brunae, et crucigeros s. Joannis de agris in Königsfeld. Dt. in Pustoměř, IV. Kalendas Martii, 1257.

Bruno dei gratia Olomucensis episcopus. Cum inter sororem *Herburgim et conuentum Celle sancte Marie in Brunna* ex vna parte et fratrem *Ghedolfum magistrum hospitalis sancti Iohannis eiusdem loci* super quibusdam decimis de *Cuneghesveld* ex altera nomine ipsius hospitalis

coram nobis questio uerteretur, tandem ambe partes pro bono pacis et concordie in nos tanquam in personam amicabilem concorditer conuenerunt, promittentes in manus nostras fide prestita, ratum habere, quicquid super hiis statuere curaremus. Cognitis igitur iuribus utriusque partis sic habito consilio statuimus et ordinauimus inter partes, quod predicte soror Herburgis et conuentus Celle sancte Marie prefato fratri G. magistro hospitalis sancti Iohannis et suis successoribus et eorum nomine hospitali predicto sexaginta denarios nomine decime de aratura vna in Cuneghesueld, quam ibidem habent sepedicte soror Herburgis et conuentus, in festo sancti Martini singulis annis soluant. Hoc saluo, ut si de terra illa, de qua decime petebantur, plus est, quam aratura, dicte sorores et earum claustrum secundum extimationem et ratam predicte solutionis, eidem hospitali de superfluo vnius arature, decimas in eodem termino soluere teneantur. Quam ordinationem soror Herburgis et Gotfridus procurator sororum, habens super hoc speciale mandatum et frater Ricquinus pro ipso hospitali mandatum habens simile, ratam habuerunt et spontanee acceptarunt. In cuius rei testimonium presentem scribi paginam et sigilli nostri iussimus munimine roborari. Actum in Puztimir IV. Kal. Martii Anno domini MCCLVII. presentibus hiis testibus: Bartholomeo archidiacono Olomucensi. Magistro Iohanne archidiacono Prerouensi. Heydolfo archidiacono Opauiensi. Magistro Stephano, Alexio, canonicis Olomucensibus Friderico vicario sancti Mauritii in Olomuz et aliis quam pluribus.

Ex originali in archivo S. J. Brunensis.

CCL.

Alexander papa IV. ordini fratrum Praedicatorum de electione suorum priorum praescribit institutum. Dt. Laterani, XVII. Kalendas Aprilis, 1257.

Alexander episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis magistro et uniuersis prioribus ac fratribus ordinis predicatorum Salutem et apostolicam benedictionem. Ut ea que nobis interdum circa electionis negocium incumbunt expedienda pro tempore citius et salubrius ualeant expediri

uobis auctoritate presentium de gratia concedimus speciali, ut cum in aliquo uestri ordinis Capitulo uel Conuentu de prouinciali aut Conuentuali Priore occurrerit electio facienda si ex aliqua causa factam electionem a fratribus eiusdem ordinis quorum interest non contingat forsitan confirmari, superior ad quem confirmatio electionis huiusmodi pertinet aliquem de illis fratribus quos ipsi electores uel maior pars eorum per litteras suas ab eo petierint quando ad ipsum pro Electi confirmatione transmittunt eis de nostra licentia concedere ualeat in priorem. Per hoc enim et discursus fratrum et alia impedimenta que possent occurrere credimus euitari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Laterani XVII. Kalendas Aprilis. Pontificatus nostri Anno Tercio.

Ex originali Praedicatorum Olomucii.

CCLI.

Idem fratri Bartholomaeo de Boëmia facultatem concedit absolvendi cruce signatos adversus Lithuanos a sententia canonis. Dt. Laterani, Nonis Aprilis, 1257.

Alexander episcopus seruus seruorum dei. Dilecto filio fratri Bartholomeo de Boemia ordinis fratrum Minorum salutem et apostolicam benedictionem. Ut commissum tibi officium predicandi verbum crucis contra Litwanos, Iatuenzenos et Ruthenos ac alios paganos et schismaticos illarum partium prospere auctore domino in tuis manibus dirigatur, absoluendi a sententia canonis iuxta formam ecclesie per te ac alios fratres tui ordinis ad hoc idoneos illos, qui contra predictos assumserint signum crucis, dummodo in personis propriis ratum huiusmodi prosequantur, auctoritate tibi presentium concedimus facultatem, prouiso quod huiusmodi excommunicati super hoc satisfaciant et tenentur, et iniuncto eis a te vel a fratribus ipsis, quod de iure fuerit iniungendum. Datum Laterani, nonis Aprilis. Pontificatus nostri anno tertio.

Ex apographo Regesto Alexandri papae IV. anni III. epist. 310. — in tabulariis Vaticanis. — Excusum apud Wadding. — IV. Reg. 454.

CCLII.

Idem Bartholomaeum, lectorem de Bruna, et Lambertum dictum Teutonicum, ordinis fratrum Minorum, constituit inquisitores haereticae pravitatis in partibus regni Boëmiae et confiniis Poloniae. Dt. Laterani, XV. Kalend. Maji, 1257.

Alexander episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis *Bartholomeo lectori de Brunna et Lamberto dicto Teutonico,* fratribus ordinis fratrum Minorum, Olomucensis et Pragensis diocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Pre cunctis mentis nostre desiderabilibus catholice incrementum fidei affectantes, nimio utique dolore replemur, cum audimus aliquos vel sentimus ad illius depressionem quacunque malignitate satagere, vel damnabilibus ipsam deprauando reprehensionibus, aut detractionibus ei abrogabilibus derogando, seu commentis eandem mendacibus peruertendo. Ad quorum iniqua sternenda molimina eo animosius aspiramus, quo in animarum stragem perniciosius eos agnoscimus conspirare. Unde quia in aliquibus partibus regni et dominii carissimi in Christo filii nostri . . Illustris Regis *Boemorum et Polonie confiniis* adeo infidelitatis error inualuit, quod ibi quam plurimi a via veritatis prorsus auersi mentes, per deuium falsitatis, pestiferas ad concutiendum orthodoxe murum fidei machinas construebant, molientes ipsum fallacium argumentationum impulsibus demoliri, Sedis apostolice diligentia contra talium dolosam astutiam, ne diffusus serperet morbus ipse, remedium adhibuit opportunum, instituens illic viros idoneos, quorum honesta conuersatio exemplum tribueret puritatis et erudita labia doctrinam funderent salutarem, ut sacro ipsorum ministerio prefate partes ab huiusmodi contagiis purgarentur. Et licet horum ducatu (sic) homines partium earundem in rectam semitam sint directi, et per hec multis sit ibidem periculis obuiatum, cupientes tamen anxie, ut negotium inibi fidei iugi profectu, elisis omnino erroribus, fortius conualescat, vigilare ad hec per nos et alios, prout solertius possumus, non cessamus; et modo circa id ipsum eo studemus attentius, quo dictum regem feruentiorem sentimus ad idem negotium efficaciter promouendum. Quare habita deliberatione prouidimus ibidem ad presens personas aliquas circumspectas pro tanto negotio deputare. Quia igitur de sollicitudine, prudentia et industria

vestra firmam in domino fiduciam obtinemus, vos tamquam inter alios preelectos, in eisdem partibus ad instantiam prefati Regis ad hoc duximus deputandos, discretioni vestre per apostolica scripta districte precipiendo mandantes, ac in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus in charitate dei, hominum timore postposito, virtutem spiritus induentes ex alto, inquisitionis officium contra hereticos ad exstirpandam de predictis partibus hereticam prauitatem sub spe mercedis eterne totis assumentes affectibus sic efficaciter prosequi studeatis, ut per sollicitudinis vestre prudentiam de ipsis radix iniquitatis heretice succidatur, et vinea domini exterminatis vulpeculis, que peruersis moribus demoliuntur eandem, fructus afferat catholice puritatis; facientes vobis quaternos et alia scripta, in quibus inquisitiones facte contra hereticos et processus contra ipsos habiti continentur, a quibuslibet detentoribus assignari. Si quos autem de prauitate predicta culpabiles inueneritis vel infectos seu etiam infamatos, contra ipsos, nisi examinati absolute velint mandatis ecclesie obedire, nec non et receptatores, defensores et fautores eorum, iuxta sanctiones canonicas auctoritate apostolica, hominum metu diuino timori postposito, procedere procuretis, inuocato ad hec si opus fuerit auxilio brachii secularis. Contradictores etc. Non obstantibus aliquibus literis ad quoscunque alios, exceptis locorum diocesanis super huiusmodi negotio ab apostolica Sede directis, quas auctoritate presentium reuocamus. Nec tamen pretextu comissionis specialiter eisdem diocesanis super hec facte processum vestrum in eorundem ciuitatibus et diocesibus volumus impediri, nec per hoc, quod fidei negotium generaliter in eisdem vobis committimus, commissiones a prefata Sede ipsis factas, si forsan illarum vel ordinaria velint auctoritate procedere, intendimus reuocare. Si vero aliqui ex hereticis ipsis heretica labe penitus abiurata, redire voluerint ad ecclesie unitatem, eis iuxta formam ecclesie absolutionis beneficium impendentes, iniungatis eisdem, quod iniungi talibus consueuit; prouiso solerter, ne simulata conuersione redeant fraudulenter, et vos imo potius se ipsos fallentes, sub agni specie gerant lupum. Ut ergo commissi vobis officii debitum libentius exequamini, committendi citationes, testium examinationes, cum de predicto crimine ac ipsius circumstantiis duxeritis inquirendum et sententiarum denuntiationes, quas in quoslibet hac de causa tuleritis, plenam vobis concedimus facultatem;

non obstante si religiosis quibuslibet, quod causarum vel negotiorum commissiones minime teneantur suscipere, quodque excommunicari vel interdici aut suspendi nequeant, a Sede apostolica sit indultum. Sed quia in tam graui crimine cum multa oportet cautela procedi, ut in reos sine ullo proferatur errore dure ac digne seueritas ultionis, volumus et mandamus ut vos, vel quos ad hoc duxeritis deputandos in examinatione testium, quos recipi super crimine predicto ipsumque contingentibus oportuerit, adhibeatis vobis duas religiosas et discretas personas, sub quarum presentia per viros idoneos fideliter eorum testium deposita conscribantur. Ceterum cum aliqui fuerint iudicandi heretici, vel incarcerationis pena perpetue alicui pro huiusmodi crimine infligenda, ad id te diocesanorum vel vicariorum suorum si ipsi diocesanis absentibus presentes fuerint consilio procedatis, ut in tante animaduersionis iudicio non postponenda pontificum auctoritas intercedat. Verum ut predicta possitis utilius et liberius exercere, vobis largiendi viginti vel quadraginta dierum indulgentiam, quoties opportunum videritis, omnibus penitentibus et confessis, qui ad vestram conuocationem propter hoc faciendam accesserint, plenam tenore presentium concedimus facultatem. Vobis siquidem pro huiusmodi negotio laborantibus et omnibus personaliter vobis assistentibus in eodem illam peccatorum veniam indulgemus, que succurrentibus terre sancte in generali concilio est concessa. Illos vero, qui ad impugnandum hereticos, fautores et receptatores et defensores eorum vobis ex animo auxilium consilium prestiterint vel fauorem, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, tres annos de iniuncta sibi penitentia relaxamus; et si qui ex hiis in prosecutione huiusmodi negotii forte decesserint, eis peccatorum omnium de quibus corde contriti ac ore confessi fuerint, plenam veniam indulgemus. Compescendi quoque monitione preuia per censuram apostolicam appellatione postposita predicatores questuarios a predicationis officio, quod ad ipsos nullatenus pertinet, quorum interest tantum caritatiua subsidia simpliciter petere, ac indulgentiam si quam forte habent exponere, liberam vobis tribuimus facultatem. Quod si non ambo his exequendis potueritis interesse, alter vestrum ea nihilominus exsequatur. Datum Laterani, XV. Kalendas Maii. Pontificatus nostri anno tertio.

Ibidem — epistola 365.

CCLIII.

Bruno, episcopus Olomucensis, consecrat ecclesiam parochialem s. Jacobi Iglaviae, ejusque dotem describit et confirmat. Dt. Iglaviae, pridie Kal. Maji, 1257.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Amen. Nos Bruno dei gratia Olomucensis ecclesie episcopus. Notum facimus omnibus Christi fidelibus presentibus et futuris hanc paginam inspecturis. Quod obtentu et precibus conuentus ecclesie *Siloënsis et ciuium in Igla,* pridie Calendas Maii, feria quinta Pentecostes suffragante spiritus sancti gratia ad laudem et honorem dei, sancti quoque Iacobi apostoli et s. Marie Magdalene, chorum parochialem et altare summum, nec non in medio ecclesie altare vnum ad honorem s. Nicolai, et aliorum plurimorum dedicauimus sanctorum. De anniuersario siquidem die dedicationis taliter ordinantes, vt eiusdem chori et altaris summi dedicatio feria tertia pentecostes annis singulis peragantur, sequenti vero die dedicatio altaris s. Nicolai; et omnibus vere confessis et contritis, deuotionis affectu tunc inibi congregatis quadraginta dies de iniuncta eis penitentia, et sequenti die totidem dies ad altare s. Nicolai de omnipotentis dei et beatorum apostolorum Petri et Pauli confisi clementia misericorditer relaxamus. Porro ne ex vetustate et processu temporum in dubium prolabantur, dotes ipsius ecclesie cum ambitu ex terminis parochie attinentibus hoc modo sicut in priuilegiis principum inuenimus, fecimus circumscribi. Quorum hec sunt nomina, *Pobicozel, Borischow, Wincenow, Kossow, Bolemilziz, Dobresowiz, Porez, Lehotka, Slibor, et alterum Slibor, Bukow, Zmierzna, et secundum Zmierzna, Sareh,* molendinum, allodium cum suis agris. Decima vero hebdomada de theloneo. In quo pago seu ambitu iam scripto, per omnes villas adiacentes iam cultas seu in posterum colendas plene decime de omni grano parochie iam dicte in sustentationem plebani, ab eorum cultoribus in perpetuum annis singulis persoluentur. Quibus e conuerso plebanus hec recipiens, baptismum, sepulturam, nec non omnia ecclesie iura tenebitur exhibere. Cum hec ergo sane gesta sint utiliter et decenter iam dictam parochiam cum omni dote sua presenti et futura nostram recipimus in tutelam, ut qui temere et iniuriose contra eam presumpserit, nec condigne satisfecerit, reus anathematis

cum Iuda proditore recipiat portionem. Acta hec sunt anno gratie M CC LVII. Et vt omnibus super huiusmodi gestis rationabiliter obuiemus, presentem paginam sigilli nostri munimine dedimus roboratam. Datum in Igla pridie Calendas Maii.

E copia simplici in actis visitationum saec. XVII.

CCLIV.

Idem in consecratione ecclesiae in Přibice dotem et decimas ipsius confirmat. Dt. in Přibice, Nonis Maji, 1257.

Bruno dei gracia episcopus Olomucensis, omnibus Christi fidelibus, presentem paginam inspecturis, salutem in domino. Officii nostri debitum exercentes, cooperante sancti spiritus gratia, in dono *consecrationis ecclesie de Priwiz in honore s. Iohannis bapliste dedicate*, cuius dotem et decimas integras omnis annone, magnas et minutas, villarum uidelicet de *Priwiz*, de *Prenwiz* uero, et de *Topolan*, de octo laneis integras decimas omnis annone, de *yuuans* etiam de quolibet laneo per quinque capecias omnis annone. De *Szetes* autem et de *Boronawiz*, boemicales decimas, de quolibet laneo per tria capecia et omni iure parrochiali spectantes inuenimus ad ecclesiam supradictam asserentibus ita esse et fuisse multis temporibus retroactis uiris fide dignis eiusdem ecclesie plebesanis. Nos vero iura ecclesiarum, presertim parrochialium, cupientes illibata permanere, decimas integras et minutas villarum predictarum, prout superius est premissum, debere in perpetuum pertinere ad prenominatam ecclesiam in Priwiz, auctoritate ordinaria confirmamus. In cuius rei testimonium, et memoriam sempiternam, eidem ecclesie dari fecimus presens scriptum, sigilli nostri munimine roboratum. Datum anno domini Millesimo ducentesimo LVII. Nonas Mai, in loco ante dicto.

Ex originali in archivo M. Prioratus Melitensium Pragae.

CCLV.

Idem ecclesiam de Čejč post fugam Cumanorum consecrat, eique dotem assignat, indulgentiasque concedit. Act. IV. Nonas Junii, 1257.

Bruno dei gratia Olomucensis Episcopus. Officii nostri requirit debitum ut ea que Ecclesiis pietatis intuitu conferuntur et in dotem assignantur, ac deputantur in plebanis et sacerdotibus iesu christo, scriptis autenticis roboremus, ut intemeratum seruetur in terris, per quod acquiritur eterna merces in celis. Nouerit igitur tam presens hominum etas, quam in christo successura posteritas, quod nos dotem Ecclesie in *Cheyze,* quam *post fugam Cumanorum* auctore domino consecrauimus, coram nobis in ipsius consecratione nominatam, ut eius futuris temporibus, sit magis lucida et certa representatio, scripto presenti fecimus annotari; videlicet mansum vnum liberum et solutum ad curiam et allodium Plebani et alium mansum censualem et seruilem in omnibus eidem Ecclesie et Plebano. Item tertiam partem decimarum vini et frumenti, de eadem villa Cheyze, et de villa *Capaniz,* que ad eandem iure parrochiali spectat ecclesiam, et tertiam partem decime agnellorum. Has decimas plebanus ipsius Ecclesie quicumque pro tempore fuerit percipiet annuatim. Et hec omnia Ecclesia de Cheyze nomine dotis perpetuo possidebit, eaque in dotem sibi tam mansos quam decimas auctoritate ordinaria confirmamus, sub anathematis interminatione districtius inhibentes, nequis nominata bona temere presumat invadere, uel uiolenter auferre, aut quoquo modo illicito retinere. Si quis autem hoc attemptare presumpserit anathematis sit mucrone percussus. Et ut eadem Ecclesia congruis frequentetur honoribus, et frequentantes animarum suarum salutem feliciter ibidem auctore domino consequantur: Omnibus uere penitentibus et confessis, qui ad eandem in aniuersario dedicationis sue, deuote ac humiliter accesserint, divine propitiationis ibidem gratiam petituri, quadraginta dies de iniuncta sibi penitentia, de Omnipotentis dei misericordia relaxamus. Hanc Indulgentiam eidem Ecclesie de Cheyze concedimus, annis singulis ualituram. In testimonium autem et firmitatem perpetuam omnium premissorum, hanc paginam inde conscribi et sigilli nostri iussimus munimine roborari. Actum IIII. Nonas

Iunii. Anno domini Millesimo. Ducentesimo. LVII. consecrationis nostre anno decimo.

Ex originali in archivo monasterii Tišňowicensis.

CCLVI.

Alexander papa IV. ad petitionem fratrum Minorum Boëmiae, Poloniae et Austriae praedicantium verbum crucis inhibet, ne quis cruce signatos a voto absolvere praesumat. Dt. Viterbii, XVI. Kal. Julii, 1257.

Alexander episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis .. Ministris et aliis fratribus Boemie, Polonie, et Austrie, predicantibus verbum crucis, ordinis fratrum Minorum, salutem et apostolicam benedictionem. Lecta nobis vestra petitio continebat, quod licet vos de mandato apostolico contra *Litwanos* et *Iatuerzanos* et alios paganos illarum partium predicaueritis verbum crucis, et ad exhortationem vestram multi fideles signo viuifice crucis assumpto proponant in breui contra Paganos eosdem cum dei adiutorio proficisci: quidam tamen potius ardore auaritie, quam pietatis zelo succensi, nonnullos de crucesignatis eisdem obtentu pecunie, quam ab ipsis recipiunt, a voto crucis absoluunt pro sue libito voluntatis, asserentes se habere super hoc a Sede apostolica potestatem; propter quod huiusmodi negotii prosecutio in dispendium Christiane fidei non modicum impeditur. Quare fuit ex parte vestra nobis humiliter supplicatum, ut super hoc prouidere de opportuno remedio curaremus. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, ne quis de cetero crucesignatos eosdem absque nostro speciali mandato taliter absoluere presumat, auctoritate presentium districtius inhibemus. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostre inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Viterbii, XVI. Kalendas Iulii. Pontificatus nostri anno tertio.

Ex autographo Regesto Alexandri papae IV. anni III. epist. 346. in tabulariis Vaticanis. — Exc. apud Wadding — T. IV. pag. 454.

CCLVII.

Decisio litis inter monasterium de Nova Řjše (Neureusch) atque Ludmillam et Marquardum de Castello, filium ejus, de jure patronatus et decimis ecclesiae in Altreusch. Dt. Brunae, 14. Octobris, 1257.

Nos Theodericus, Abbas Zaburdewicensis ecclesie premonstratensis ordinis. Nicolaus, Olomucensis ecclesie prepositus. Magister Ioannes, Prerouiensis Archidiaconus, et Otto, plebanus Sancti Iacob in Brunna. Notum facimus uniuersis, quod, cum causa, que vertebatur inter *Gotfridum, prepositum de Rusch* premonstratensis ordinis, ex una parte, et dominam *Lutmillam* et filium eius *Marquardum de Castello, sito circa Rusch,* ex altera super iurepatronatus et decimis et duobus mansis, sitis in *Altenrusch,* ad claustrum dominarum in *Rusch* pertinentibus, coram venerabili patre, domino B.(runone), Olomucensi Episcopo, esset aliquamdiu agitata, tandem in nos tamquam in arbitros ex utraque parte supradicta causa committebatur de consensu venerabilis patris nostri Olomucensis Episcopi terminanda, adiecta pena decem Marcarum persoluendarum domino Episcopo, et nobis arbitris tantumdem a parte, nostro arbitrio contradicente vel non seruante. Nos itaque arbitrio in nos suscepto taliter decreuimus esse statuendum, quod Iuspatronatus parochie de Altenrusch ad prefatam dominam Lutmillam et eius filium Marquardum prenominatum eorumque successores debeat in perpetuum pertinere, Claustrales quoque, qui ibidem perpetuo de Rusch fuerint instituendi, percipient decimas maiores et minores a plebesanis suis, tantum in ipsa villa Altenrusch, quibus, sicut et aliis plebesanis suis, Sacramenta ecclesiastica administrabunt. Unum de predictis duobus mansis doti ecclesie in Altenrusch assignando; reliquus vero mansus cum omnibus prouentibus dicto preposito et claustro de Rusch cum decimis paruis et magnis de villis infra nominandis iam ammodo pertinebit. Quarum hec sunt nomina: *Marquardiz et Woykowiz. Schytech maior et minor. Paffendorp et Schedelethiz. Olschowe et Rzymove. Lupolze et Wessele.* Acta sunt hec Anno domini M. CC. LVII. in die Kalyxti pape. Brunne in ecclesia sancti Michaelis.

Ex originali confirmatione Brunonis episcopi in archivo ejusdem monasterii descr. R. P. Ritschel.

CCLVIII.

Přemysl, dominus regni Boëmiae, dux Austriae et marchio Moraviae, locationem munitionis seu oppidi Hradiště contra terminos Ungarorum ordinat, ejusque et monasterii Welehradensis jura ibidem stabilit. Dt. in Plaz, Idibus Octobris, **1257.**

C. In nomine sancte et indiuidue trinitatis amen. Ego Premizel dei gratia dominus Regni Boemie. Dux Austrie. et Marchio Morauie. Omnibus hanc paginam inspecturis imperpetuum. Decet Regalis excellentie dignitatem cuilibet ivra sua integra et illibata seruare ac ea que iuste et rationabiliter in temporalibus statuuntur. presertim que ecclesiarum commodum et profectum respiciunt regie potestatis presidio communire. et sic uota fidelium suorum attendere ac effectu prosequente complere quod et principis gratia exhibita. et subditorum deuotio manifesta presentibus sit ad gaudium et posteris gratie in exemplum. Hinc est quod ad petitionem venerabilium virorum Hartlibi Abbatis et Conuentus Monasterii *Weligradensis* Cysterciensis Ordinis in quorum Hereditate *contra terminos vngarorum munitionem vnam seu Oppidum pro necessitate ac conseruatione terre nostre preparari et edificari* ivssimus. dantes in mandatis venerabili in christo patri domino Brvnoni Olomucensi Episcopo. Heinrico de Lichtenstein. Wilhelmo de Hvztopetz. Parduzzoni Camerario. Zvdemiro fratri suo. et Iohanni de Wissenowe Ivdici nostro fidelibus nostris dilectis. et in animas committentes eorum ut taliter ordinare procurarent quod eiusdem Oppidi locatio prefatis Conuentui et Monasterio Weligradensi non preiudicialis nec in aliquo existeret onerosa. omnia per eosdem fideles nostros circa locationem eandem ordinata et statuta. ne ipsi exinde processu temporis ullum sentiant periculum et iacturam excellentie nostre curauimus priuilegio communire. Omnem ordinationem ipsorum et statuta singula instructi plenius per ipsos presentibus exprimi facientes. videlicet quod *ad insulam in qua sita est Capella Sancti Georgii* que pre ceteris in illo districtu ad construendam munitionem omnium predictorum fidelium nostrorum iudicio aptior videbatur tam homines nostri de *Conowiz* quam homines Monasterii Weligradensis de ipsa *forensi villa Weligrad.* cum pro omnibus sit latus et capax locus ille. simul debeant se transferre. et

quod census arearum in quibus tam nostri quam Monasterii residebunt homines. eidem Monasterio cum fundus ad ipsum spectet annis singulis persoluatur. et quod omnia in aquis. Molendinis. Piscationibus. Siluis. Pratis. et Agris. et quibuslibet aliis. de quibus Conuentus Weligradensis docere poterit nomine dicti monasterii teneat et possideat iure tali. eodemque libertatis titulo sicut hactenus dinoscitur possedisse. et quod ratione locationis huius nichil circa talia in preiudicium Monasterii debeat immutari. Forum rerum venalium in eodem Oppido nouo duobus diebus qualibet seruabitur septimana vno eodemque die sicut in ipsa forensi villa Weligrad hactenus est seruatum. et ipso die omnia que prouenire poterint cedent Monasterio iure fori. Alio die sicut in Conowiz hactenus est seruatum et illo die fori omnia que prouenient nobis cedent. Ceterum omnia que hominibus nostris de Conowiz circa eadem bona nostra in pascuis et lignis sunt communia. erunt exnunc hominibus de Weligrad simul cum ipsis communia. et e conuerso homines nostri de Conowiz in omnibus hiis simili cum hominibus de Weligrad circa bona Monasterii communitate gaudebunt. Item quandocunque steuram per ciuitates et oppida nostra tantum recipere uoluerimus tunc homines Monasterii in eodem nouo residentes Oppido nichil soluent nobis. sed quando generalem stevram per totam terram et singulas villas nobis placuerit recipere. tunc et ipsi nobis cum aliis soluere tenebuntur. sed in omnibus aliis ad Monasterium et Conuentum plenum habebunt respectum quemadmodum hactenus habuerunt. et ut magis in locatione tali dicti fideles nostri eidem prouiderent Monasterio decreuerunt et statuerunt quod tam ex parte nostri quam Monasterii et Conuentus in eodem Oppido esse debeat vnus Ivdex instituendus non per nos sed per Conuentum qui nichilominus nobis de ivdicio. de foro. de culpis hominum nostrorum et omnibus aliis que nos contingent. et Conuentui de hiis omnibus sicut ipsum contingunt ab hominibus suis fideliter respondebit. Prefatum etiam Monasterium et Conuentus in Oppido sepedicto Ius patronatus ecclesie obtinebunt. Hanc itaque ordinationem per dictos fideles nostros de mandato nostro factam. gratam. et ratam habemus et ad eius memoriam sempiternam et firmitatem perpetuam. ne processu temporis ullus heredum uel successorum nostrorum contra ipsam uenire debeat aut presumat presens priuilegium inde conscribi et sigillo nostre celsitudinis. nec non Sigillo venerabilis patris predicti domini Brvnonis

Olomucensis Episcopi iussimus communiri. Actum in Plaz. Idvs Octobris. Anno domini Millesimo CC. LVII. Indictione XV. Presentibus hiis Testibus venerabili domino Brvnone Olomucensi Episcopo. Abbate Heinrico de Plaz. Wilhelmo et Arnoldo protonotariis nostris. Geros Bvrgrauio Pragensi. Andrea dapifero. Heinrico de Cekking. Heinrico de Lihtenstein. Wilhelmo de Hvztopetz. Pardvzone et Zvdomiro fratre suo. Iohanne de Wissenowe. Hadmaro de Lihtenwerd. Cvnone et Zmilone fratre suo. Vlrico de Costel. Et aliis quam plurimis.

Ex originali cum duobus sigillis illaesis in arch. monast. Welehradensis.

CCLIX.

Smil de Lichtenburg decimas ex argentifodinis in Brod, Běla, Šlapanice et Přimislaw inter tria monasteria: Sedlecense, Sarense et Hradišťense in Boëmia dividit. Dt. in Sedlec, V. Novembris, 1257.

Vniuersis christi fidelibus. tam posteris qvam presentibus. Zmilo de Lichtenburch, presentes litteras perpetua valituras. Dum vivit littera vivit et actio commissa littere. nec aufert actioni vitam obliuio. cujus memoriam. presens littera reducit ad vitam. Hanc ob rem notum esse volumus vniuersis presentis pagine seriem inspecturis. quod nos inter gradus ordinum *Cisterciensem* ordinem speciali fauoris intuitu proseqventes. propter puram et continvam Officii divini contemplationem. tum propter veram ipsius Ordinis observanciam, tum ob reverentiam operum caritatis. videlicet hospitalitatis. precipue et uere compassionis erga proximos. que in eodem ordine a Patrum ipsius institutionibus non quiescunt. Attendentes etiam consultum atque cautum esse, in hac uita transitoria tantum penitentie deputata. curam gerere de futura. decimas omnium reddituum et prouentuum. quos de argenti fodinis in *Brode. Biela. Zlappanis.* et *Priemezlaves.* Immo eciam vbicunque per omnes partes hereditatis nostre cultura montivm fuerit recipimus, vel heredes nostri receperint in futurum, cum assensu filii nostri Heinrici. et fratris nostri Tzastezlai ordini prefato in elemosynam erogamus. assignantes terciam partem earundem decimarum Conventui et fratribus de *Scedelitz* terciam partem in *Gredish* et residuam terciam partem in *Sara,* vt ipsam de manu nostra quandiu vixerimus. et ab heredum

rorum manibus. postquam carnis debitum impleuerimus suscipiant an-
im. Speramus enim quod eorum approbata deuotio cum orationum dili-
tia Deo grata non solum nobis sed eciam proauis et successoribus
ris. esse debeat intercessio salutaris ad optinendam veniam delictorum.
autem super hac donatione nostra imposterum ambiguitatis alicujus
it scrupulus exoriri prememoratis Conventibus. Hanc litteram conscribi
nus. Nostri Sigilli mvnimine roboratam. Hujus rei testes svnt. Capel-
nostri. Heinricus. Iacobus. et Valentinus. Bohuzlaus Miles de Chuochel.
hik. de Ienikow. Petrus de Zkrechlebe. Zacharias de Konitz. Massuna
Vzthie. Laurentius de Ledeiz. Swezsth de dedijz. Bohuslaus de Boyman.
ezlaus de Boyman. Beneda de Marquardicz. Petrus de Ostirhoe. Hous
Vieczemlicz. Radosta de Thurkowicz. Gallus de Yporiticz. Marquardus
Clessicz. Lvtherus de Zvchodol. et alii quam plures. Datum in Sce-
cz. Anno ab incarnatione domini M. CC. LVII. Qvinto die intrante
ıse novembri.

Ex originali monasterii Sarensis. – Apud Steinbach II. p. 15. incorrectius.

CCLX.

l de Bjlkow et fratres ejus Marquardus et Ratibor jus patronatus ecclesiae in Ranožjř (Ranzern) conferunt monasterio Geracensi.

1257.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Ego Zmylo de Bilcowe
ratres mei, Marquardus, aduocatus illius ecclesie Ranzir et Ierus, et
borius, cum consensu uxorum nostrarum et filiorum nostrorum notum
cupimus vniuersis tam presentibus quam futuris, quod nos ius patro-
s ac collationis, quod dei gracia in *ecclesia Ransir* habuimus, simul
iam predicta ecclesia propter deum ac animarum nostrarum salutem
ibus et ecclesie sancte Marie contulimus *Ierocensi*, ut perpetuo possi-
it, et secundum dei timorem sepe dictam ecclesiam in cultu diuino
ant ac plantent fideliter ac studiose. Verumtamen quia propter labilem
di vitam necesse est, ut facta, que diuturnitate persistere debent, non
n testium, sed etiam scripture munimen sortiantur, inde factum, quod

sancte Marie et ecclesie fecimus Ierocensi, presenti scriptura studuimus roborare. Preterea innuimus omnibus scire volentibus, quod de terra, quantum ad aratrum spectat, sepe dictam ecclesiam Ierocensem perpetuo sumus locupletati. Testes huius rei sunt: Wychardus de Tyrna. Tobis. Leopoldus. Peschel. Gaitmar filius libri. Marquardus de Clatin et fratres sui. Wolframus et Albertus. Bertholdus de Primersdorff. Ortlibus de Cocasch. Walterus de Chodon. Walterus Ciuis. Conradus de Horn. Peregrinus. Et ut hec rata et inconuulsa permaneat, presens scriptum sigilli nostri munimine roborauimus. Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. LVII. concurrente VI. indictione XIIII. Domino duce Othacaro Austriam gubernante.

E copia simplici.

CCLXI.

Frater Titus, quondam episcopus Lithoviensis, de ordine fratrum Praedicatorum, fratribus Praedicatoribus Olomucensibus indulgentias elargitur.

1257.

Frater Titus dei gratia episcopus quondam Lithouiensis, de ordine fratrum predicatorum vniuersis Christi fidelibus presens scriptum inspecturis salutem in domino sempiternam. Licet is, de cuius munere venit, ut sibi a fidelibus suis digne et laudabiliter seruiatur, de habundantia sue pietatis, que merita supplicum excedit et uota, bene seruientibus multo maiora tribuat, quam valeant promereri; volentes tamen populum domino reddere acceptabilem ad conplacendum ei quibusdam illectiuis muneribus fideles Christi indulgentiis scilicet et remissionibus inuitamus, vt exinde reddantur diuine gratie aptiores. Cupientes igitur, ut ecclesia fratrum predicatorum in *Olomunz* congruis honoribus frequentetur, omnibus Christi fidelibus vere penitentibus et confessis, qui ibidem in die Natiuitatis domini et duobus sequentibus; Pasce et duobus sequentibus; Pentecostes et duobus sequentibus; omnium sollempnitatum beate virginis Marie; beati Michaelis et beati Nicolai; beati Dominici; Petri martiris; Marie Magdalene; Katherine; Margarethe; Elyzabeth; dedicationis ecclesie et aliarum festiuitatum, que

ibidem sollempnes habentur, ac per octauas earundem causa deuotionis conuenerint et accesserint. XL. dies indulgentie auctoritate domini pape Alexandri IIII. misericorditer indulgemus. Datum anno gratie MCCLVII.

Ex originali ejusdem monasterii.

CCLXII.

Bruno, episcopus Olomucensis, quatuor praebendas canonicorum creat, assignans villam Wilonice et silvam exstirpandam juxta Stařice. Dt. Olomucii, III. Nonas Januarii, 1258.

Bruno dei gratia Olomucensis Episcopus. Vniuersis Christi fidelibus hanc paginam inspecturis in perpetuum. Piam et laudabilem imitamur antiquorum consuetudinem, cum ea que ad honorem dei, et ecclesie nostre profectum, deliberatione prouida statuuntur, scriptis autenticis roboramus; vt intemeratum seruetur in terris, per quod acquiritur eterna merces in celis. Nouerit igitur tam presens hominum etas, quam in Christo successura posteritas, quod nos de speciali Sedis apostolice indulto, et de consensu bonaque voluntate capituli nostri, *quatuor prebendas* canonicorum de redditibus episcopalibus in ecclesia Olomucensi creauimus, et villam *Witaniz*, que episcopatui ab antiquo pertinuit, et LXVI. mansos de *silua* extirpandos *in districtu iuxta Stariz*, quem nos comparauimus ecclesie nostre, ad corpora prebendarum assignauimus earundem. Et ut Canonici prebendarum per nos creatarum in prandiis, distributionibus cottidianis, ac omnibus aliis sicut et ceteri canonici participationem habeant, nec in aliquo sint diuisi ab aliis, cum et eadem in Christo debeant esse membra, statuimus de consensu capituli nostri predicti, vt prepositus qui pro tempore fuerit, nomine prandiorum que ministrat, quinque talenta, et obedientiarius quadragesimalis nomine amministracionis prandiorum similiter quinque talenta; et capitulum superpelliciorum nomine, octo talenta de decimalibus denariis per archidiaconatum Olomucensem perpetuo percipiant annuatim. Insuper redditus et prouentus decanie qui nimis erant tenues et exiles, sicut visum fuit nobis et canonicis nostris de consensu et consilio eorundem per adiectionem ville *Wiklech* que ad mensam pertinebat episcopalem duximus

augmentandos; ita quod villa eadem decanie Olomucensi perpetuo cum suis omnibus attinentiis sit annexa, in cuius possessionem dilectum in Christo Herbordum decanum induci fecimus corporalem. Preterea ut ecclesia nostra frequentiori filiorum suorum consoletur presentia, ipsique presentes ab eiusdem sue matris vberibus gratiam sentiant potiorem; nos ex consulta deliberatione, et cum deliberato canonicorum nostrorum consilio satuimus et ordinauimus, quod de duabus villis videlicet *Ghelziz* que pertinuit episcopatui, quam nos ad hoc cum omnibus attinentiis et prouentibus suis inperpetuum contulimus; et de uilla *Hodena* sita iuxta pontem Olomuz, quam ad hoc canonici assignarunt, detur cuilibet canonico presenti per totum annum singulis diebus vnus panis de simila, et vnus de subsimila; solusque decanus hec percipiet duplicata. et hii panes tante debent esse magnitudinis, quod obedientiarius qui predictas villas tenuerit, qualibet ebdomada debet dare ad hos panes vnam muttam tritici, Brunnensis mensure. Ad hec idem obedientiarius de villis predictis dabit viginti scolaribus pauperibus, qui deputati fuerint, qui chorum frequentabunt, cuilibet panem vnum siligineum eciam diebus singulis et per totum annum; et hii panes in tanta debent esse quantitate, quod dimidia mutta Brunnensis mensure sufficiat per ebdomadem ad hos panes. Item eisdem scolaribus quolibet die per totum annum, vnicuique in conpetenti cipho cereuisie prouidebit. Item quatuor vicariis per totum annum et diebus singulis, ministrabit duas tantum prebendas in pane, sicut sunt canonicis constitute; et hoc de prebendis canonicorum absentium. Item duobus ministris vnam prebendam. magistro scolarum et organiste seu cantori prebendam vnam, similiter diebus singulis et per totum annum, eciam de prebendis absentium canonicorum et sicut sunt Canonicis constitute. Nullus eciam canonicorum et omnium predictorum nisi fuerit in choro, uel prepedicione canonica et honesta defuerit, in ciuitate uel in Curia sua existendo, percipiet hanc prebendam. Insuper statuimus quod in anniuersario episcopi Roberti. Adolphi, patris nostri, Adelheydis matris nostre, ac nostro cum decesserimus, in cuiuslibet dimidiam muttam siliginis, mensure Brunnensis, ad panem distribuendum pauperibus obedientiarius qui dictas villas tenuerit, annis dare singulis teneatur. reliqua omnia que in pane canonicorum absentium et in quibuscunque aliis, de villis eisdem prouenientibus, superauerint, idem

obedientiarius pro se tenebit, in hoc conuertendo quod panis pistetur, et omnia sicut expressum est superius ministrentur. Et si canonicos nostros omnes quandoque presentes contigerit, nichilominus tamen vicariis ministris, magistro scolarum; organiste seu cantori predictis, prebendam eis asscriptam et statutam tenebitur ministrare. Vt autem hec omnia laudabiliter et vtiliter ordinata perpetuum irreuocabiliter sortiantur effectum, et futuris permaneant temporibus inconuulsa ac a nostris successoribus, et a capitulo nostro inuiolabiliter obseruentur, presentem paginam inde confectam nostri et capituli nostri sigillorum fecimus munimine roborari. Actum Olomuz III. Nonas Ianuarii. Anno domini M. CC. LVIII. Presentibus Herbordo decano. Nicolao preposito. Bartholomeo archidiacono Olomucensi. Gregorio Custode. Simone. Willelmo. Iacobo. Magistro Iohanne Prerouensi archidiacono. Alexio. Arnoldo. Heydolfo Opauiensi archidiacono. Ottone. Magistro Stephano Romano. Marquardo. Conrado. Woytek Bartholomeo iuuene. Woyzlao. Petro. Iohanne. Canonicis nostris Olomucensibus.

Ex originali in archivo Capituli Olomucensis. — Apographum in codice Olomuc. membr. I. fol. 23.

CCLXIII.

Alexander papa IV. decano Wyšehradensi mandat, ut alienata bona hospitalis Hierosolymitani Pragae revocare procuret.. Dt. Anagniae, XII. Kal. Februarii, 1258.

Alexander episcopus seruus seruorum dei. Dilecto filio . . decano ecclesie Wissegradensis Pragensis diocesis Salutem et apostolicam benedictionem. Dilectorum filiorum . . prioris et fratrum *hospitalis Ierosolimitani* in Praga precibus inclinati presentium tibi auctoritate mandamus. quatinus ea que de bonis ipsius hospitalis alienata inueneris illicite uel distracta ad ius et proprietatem eiusdem hospitalis legitime reuocare procures. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita conpescendo. Testes autem qui fuerint nominati si se gratia odio uel timore subtraxerint censura simili appellatione cessante compellas ueritati testimonium perhibere. Datum Anagnie XII. Kalendas Februarii. Pontificatus nostri anno quinto.

Ex originali in archivo M. Prioratus Melitensium Pragae.

CCLXIV.

Idem episcopo Olomucensi concedit, ut tempore vacationis ecclesiarum officii sui debitum exsequatur. Dt. Viterbii, Idibus Februarii, 1258.

Alexander episcopus seruus seruorum dei. Venerabili fratri . . episcopo *Olomucensi* salutem et apostolicam benedictionem. Significasti nobis, quod cum frequenter ecclesias tue dyocesis, in quibus rectorum institutio ad te pertinet, vacare contingat nonnulli religiosi Cisterciensium, sanctorum Benedicti et Augustini ac Premonstratensis ordinum illarum patroni tempore uacationis earum prouentus, redditus, decimas, et alia bona ipsarum auctoritate sua propriis vsibus applicare, quidam vero partem eorum distrahere, aliqui quoque maiori bonorum ipsorum parte sibi retenta, clericos instituendos in eisdem ecclesiis ad minorem partem, alii autem ab huiusmodi clericis pecunia seu iuramento receptis, quod partibus minime sint contenti, eos non absque symonie uitio ad dictas ecclesias presentare, ac nonnulli patronorum ipsorum eosdem clericos in prefatis ecclesiis instituere, et destituere propria temeritate presumunt in sue salutis dispendium, tuum preiudicium, et ecclesiarum ipsarum non modicum detrimentum. Quare petebas a nobis, ut eosdem patronos compesci ab huiusmodi temeritatibus, et presumptionibus secundum statuta canonum faceremus. Nos itaque de tua circumspectione confisi presentium tibi auctoritate concedimus, ut non obstante friuole appellationis obiectu super hiis libere officii tui debitum exequaris. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Datum Viterbii Idus Februarii. Pontificatus nostri anno quarto.

E codice chartaceo Olomucensi I. 157.

CCLXV.

Bruno, episcopus Olomucensis, confirmat arbitrium de jure patronatus et decimis ecclesiae in Altreusch. Datum Cremsirii, VII. Kalendas Martii, 1258.

Bruno, dei gracia olomucensis Episcopus. Dilecto in Christo Gotfrido, preposito de *Rusch*, premonstratensis ordinis, salutem in domino.

a, que iudicio vel concordia terminantur, firma debent et illibata persistere, ne in recidiue contentionis scrupulum relabantur, scriptis conuenit autenticis communiri. Sane cum causa, que inter te ex una parte, et dominam *Cutmillam* et filium eius *Marquardum* super iure patronatus et decimis et duobus mansis, sitis in *Altenrusch*, ex altera vertebatur, de consensu partium, ad quod etiam noster dicitur accessisse consensus, sit per arbitros terminata, sicut in litteris, confectis exinde, ipsorum arbitrorum sigillis munitis, quarum tenorem de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, plenius continetur: Nos, tuis precibus inclinati, quod ab ipsis arbitris super hoc factum est et statutum, ratum habentes et gratum, illud auctoritate ordinaria confirmamus. Tenor autem ipsarum litterarum talis est: *(In nomine domini. Amen. Nos Theodericus ecl. . . . Datum VII. Kalendas Martii MCCVII. Vide n. CCLVII).* Ne quis autem hanc nostram confirmationem presumat infringere, vel ei ausu temerario contraire, sub Anathematis interminatione districtius inhibemus. Datum in Cremeser VII. Kalendas martii. Anno domini M. CC. LVIII.

Ex originali monasterii Novo-Řjšensis.

CCLXVI.

Otakarus, dominus regni Boëmiae, dux Austriae et marchio Moraviae, confirmat concambium factum super circuitu Sebranice inter Martinum, abbatem Břewnoviensem, et Bohuš, filium Crhonis. Dt. apud „Piezk", VIII. Kalendas Aprilis, 1258.

Ottacharus, dei gratia dominus regni Boemie, Dux Austrie, Marchio Morauie, vniuersis hanc litteram inspecturis in perpetuum. Ut affectum, quem gerimus cordis circa uenerabilem Abbatem de *Brewnov*, Martinum nomine, ipsi in effectu operis ostendamus, volentes in his aliis rationalibus complacere, ad notitiam tam presentium quam futurorum uolumus peruenire, quod nos concambium, factum inter ipsum Abbatem ex una parte, et *Bohusch*, filium Cerhonis, dilectum fidelem nostrum ex parte altera, super circuitu ipsius Abbatis *Sebranich* nominato, sito in *Uzbrunne*, et villa dicti fidelis nostri B., nominata *Sobulowitz*, sita in Brunensi prouincia, ratum

et gratum habentes, ipsum ob amorem pacis utriusque sigillis nostris et litteris confirmamus, et presentem damus litteram ad cautelam, munitam testibus et sigillis. Sunt autem testes: Bawor, Andreas, Ydik, Pardus, Zudomir, Zmilo, frater Pesconis, Wocho, Ioannes Zudarius, Benessius camerarius, Ieroscius, Pragensis burcrauius, et alii quam plures. Actum anno domini millesimo ducentesimo quinquagesimo octauo. Datum per manum Magistri Arnoldi, prothonotarii apud Piehk, octauo Kalendas Aprilis.

E copia vidimata. — Excus. minus correcte in Dobneri Monumentis VI. 27.

CCLXVII.

Idem fundatae et locatae civitatis et munitionis contra Hungaros (Hradišť) jura stabilit, eique varias libertates concedit. Dt. apud Novam Welehrad, feria V. infra octavam Trinitatis, 1258.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Amen. Ego Premisl dei gracia dominus regni Boemie, Dux Austrie, Marchio Morauie omnibus hanc paginam inspecturis inperpetuum. Decet regalis excellencie dignitatem, ea, que ipsius auctoritate iuste et rationabiliter statuuntur, et beneficia, que per graciam principis suis fidelibus et deuotis liberaliter inpenduntur, regie potestatis presidio communire et sic vota fidelium suorum attendere, quod et principis gracia exhibita ac subditorum deuocio manifesta, presentibus sit ad gaudium et posteris gracie in exemplum. Hinc est igitur, cum *pro necessitate* seu *conseruacione terre nostre municionem seu oppidum* in hereditate monasterii *Welegradensis*, Cisterciensis ordinis de voluntate vel consensu abbatis et conuentus eiusdem monasterii *contra terminos Vngarorum* preparari et edificari iussimus *in insula*, in qua sita est capella sancti Georgii, que ad construendam municionem dilectorum fidelium nostrorum, venerabilis in Christo patris domini Brunonis, Olomucensis episcopi, Henrici de Lihtensteyn, Vilhelmi de Hustopecz, Parduzonis camerarii, Zudomiri fratris sui et Iohannis de Wisshenoue iudicis nostri iudicio apcior videbatur, decreuimus de consilio dictorum fidelium nostrorum et de consensu abbatis et conuentus monasterii memorati, vt tam homines de

Kunowicz, quam homines monasterii de Welegrad de ipsa forensi villa Velegrad cum omnibus, cum omnibus sit latus et capax locus ille, simul ad idem opidum debeant se transferre. Et quod census arearum, in quibus tam nostri, quam monasterii residebunt homines, eidem monasterio cum fundis ad ipsum spectet annis singulis in festo sancti Martini per duodecim denarios de qualibet area monete temporis eiusdem persoluant. Forum rerum venalium in eodem opido nouo duobus diebus qualibet seruabitur septimana, vno eodemque die, sicut in ipsa forensi villa Velegrad hactenus est seruatum, ipso die eciam omnia, que prouenire poterunt, cedent monasterio iure fori; alio die sicut in Kunowicz hactenus est seruatum, et illo die fori omnia, que prouenire poterunt, nobis cedent. Ceterum omnia, que hominibus nostris de Kunowicz circa eadem bona nostra in pascuis, lignis sunt communia, erunt ex nunc hominibus simul cum ipsis communia. Et e conuerso homines nostri de Kunowicz in omnibus hiis simili cum hominibus de Welegrad circa bona monasterii communitate gaudebunt. Vnus quoque iudex in eodem opido tam ex parte nostri, quam monasterii et conuentus prelibati est instituendus non per nos, sed per conuentum; qui nichilominus nobis de iudicio, de foro, de culpis hominum nostrorum et omnibus aliis, que nos contingunt, et conuentui de omnibus hiis, que ipsum contingunt ab hominibus suis, fideliter respondebit. Verum considerauimus, quod in ipso oppido ciues nostri minus proficerent, vtpote in insula collocati, si per rus exterius subueccionem non haberent, villas nostras seu bona *Kunicz*, *Longenczyl* et *Minogwicz* ipsis dedimus et eorum successoribus, cum agris, siluis circa eadem bona existentibus, cum pratis, pascuis et cum omnibus ad easdem villas pertinentibus perpetuo possidendas, et eadem bona ab ipso tempore donacionis per X annos inmediate sibi succedentes sine omni censu et sine quauis tenebunt exaccione; finitis autem eisdem X annis nobis decetero vel camerario nostro singulis annis in festo sancti Martini ipsi ciues de eisdem bonis seu villis soluent XL marcas argenti nomine census, quem dicti ciues repetere debent et recipere ab eis, qui dictas villas colunt uel inhabitant, siue in eisdem villis vel cum eis in opido residentes fuerint memorato, et postea nobis vel camerario nostro, vt premissum est, presentare. Vt eciam nominati ciues structure ciuitatis vel propriis edificiis liberius valeant intendere, *siluam*

nostram circa Morauam, a terminis eiusdem opidi vsque ad terminos ville piscatorum, que dicitur *Costelan,* cum piscatoribus in ipsa parte residentibus dedimus eisdem. Volentes eciam, vt fideles nostri per nos proficiant in vniuersum, ecce indulsimus dilectis ciuibus nostris, opidi prenotati, vt annis singulis forum annuale debeant in sua ciuitate habere XIIII dies post festum beati Michaelis; idem forum dies XIIII inchoabit, dies XIIII stabit et dies XIIII consumabitur, vt in ceteris ciuitatibus est consuetum. Item omnes ad iam dictum forum venientes omnimodam libertatem habebunt, ita quod sine omni teloneo ad ipsum forum venient, stabunt ibidem et recedent, pro sue libito voluntatis. Item statuimus, vt via publica, que condam per Kunycz directe transitum habuit, nunc per ipsam ciuitatem seu municionem decetero vniuersi transeuntes nunc ire debeant, nec alias flectere iter suum, alias pena debita punientur. Item volumus et mandamus, vt infra miliare ciuitatis predicte nulla taberna penitus habeatur. Demum statuimus et volumus, ut ferrum monete nunc et decetero teneatur ibidem. Item volumus et mandamus, vt ciuitas ipso eo fundaretur iure et gauderet perpetuo, quo ciuitas Brunnensis fundata videtur vel gaudere. Et vt omnia premissa semper rata maneant atque firma, presentes litteras dari fecimus sigilli nostri munimine roboratas, cum testibus subnotatis, qui sunt: Venerabilis in Christo dominus Bruno episcopus Olomucensis. Henricus de Lichtenstein. Wilhelmus de Hustopecz. Zudmirus et Parduz fratres. Zmilo frater Boskonis. Chuno frater Boskonis. Benessius camerarius. Iohannes de Wissenowe et alii plures. Datum et actum aput nouam Velgrad; anno domini MCCLVIII. Datum per manum magistri Arnoldi nostri protonotarii, feria quinta infra octauam trinitatis.

E codice Welehradensi saec. XV. f. 140.

CCLXVIII.

Starchandus, filius Peregrini, vendit monasterio Cellae s. Mariae Brunae praedium suum ante civitatem ibidem. Dt. XIV. Kalendas Septembris, 1258.

Ego Starchandus filius pie recordationis Peregrini protestor presentium per tenorem, Quod curiam meam prope ciuitatem Brunnensem heredi-

tario iure uendidi dominabus de *Cella sancte Marie in Brunna*, ea tamen conditione adiecta, vt singulis annis, quando ager, qui ad eandem curiam pertinet totaliter seminatur, vnus modius cuiuscunque grani, ad parrochiam sancti Iacobi in remedium anime mee et predecessorum meorum absque contradictione qualibet assignetur. Cum autem non fuerit seminatus ex-integro, non est uoluntatis et intentionis mee, quod huiuscemodi conditione grauetur aliquo modo Cella superius nominata. In huius rei testimonium presentem cedulam procuraui sigillo ciuium Brunnensium communiri. Datum anno domini Millesimo CC L VIII. XIV. Kal. Septembris.

Ex originali in archivo S. J. Brunensis.

CCLXIX.

Otakarus, dominus regni Boëmiae, dux Austriae et marchio Moraviae, confirmat decisionem litis inter monasterium Tišňowicense et Albertum praepositum de jure patronatus ecclesiae s. Petri Brunae. Dt. Brunae, XVI. Kalendas Novembris, 1258.

Nos Otacharus dei gratia Dominus Regni Boemie, Dux Austrie, Marchyo Morauie. Vniuersis presentem paginam inspecturis uolumus fieri manifestum, quod cum inter religiosas dominas Abbatissam et conuentum de *Tuschenowiz* ex una parte, et dominum *Albertum* rectorem ecclesie *sancti Petri in Brunna* ex altera questio verteretur super prefata ecclesia, partibus litigantibus usque quaque; arbitrio virorum proborum, scilicet Abbatis Scotorum, fratris Haberni minorum fratrum et magistri Gerhardi plebani Wiennensis se duxerunt submittendum. Qui vtpote viri discreti arbitrium sub pena C. marcarum, parte parti soluendarum arbitrium seruare volenti promulgarunt. Taliter, quod predictus A. rector ius patronatus ecclesie sancti Petri in Brunna, quod olim dominus et pater noster pie recordationis *Venzeslaus* Rex Boemie illustris consenciente tunc episcopo, prefatis Abbatisse et conuentui contulerat, ipsis recognoscere debeat in eadem, et eandem ecclesiam ad dies uite sue possideat pacifice et quiete. Nos vero operis huiusmodi pietatis incrementum diligentes, gratum habemus et ratum ius patronatus, quod predictus pater noster prefatis Abbatisse et

conuentui de Tuschenowiz contulisse dinoscitur, ipsis recognoscimus, presentibus litteris declarantes et petentes, quod venerabilis pater Bruno, Olomuzensis episcopus predictis sanctimonialibus ius patronatus huiusmodi debeat confirmare. In cuius rei testimonium presentem paginam conscribi fecimus ac nostris sigillis presentibus communiri. Huius etiam rei testes sunt: Comes Otto de Hardekke. Otto de Misowe. Benisius. Cunradus de Zechingen. Ienzo. Hadmar de Lihtenwerde. Cuono marskalkus. Cunradus de Himperc. Besneto. Kadoldus orphanus. Smilo de Bilkow. Nobiles. Dominus Herbordus decanus Olomuzensis. Gaudentius et Nicholaus presbyteri nostri capellani. Actum Brunne indiccione XV. XVI. Kalendas Nouembris, anno domini MCCL octauo.

Ex originali ejusdem monasterii.

CCLXX.

Idem decisa lite eadem jus patronatus ecclesiae s. Petri Brunae monasterio Tišňowicensi confirmat. Dt. Brunae, XVI. Kalendas Novembris, 1258.

In nomine. sancte. et indiuidue. trinitatis. amen. Nos Otakarus. dei gratia dominus Regni Boemie. Dux Austrie. et Marchio Morauie. Vniuersis presentem paginam inspecturis salutem et ueritati testimonium perhibere. Exhibere nos faciles ad ea tenemur, que per nos uel progenitores nostros fiunt aut facta fuisse licite dignoscuntur, quod scripturarum nostrarum debeant amminiculo declarari, presertim, cum non per obliuionem, aut calumpniam alicuius res geste dispendium suboriri debeat huiusmodi sit remediis consulendum. Cum igitur inter dilectas nobis Abbatissam et Conuentum Ecclesie de *Tuschenowiz* ex una parte, et *Albertum* Rectorem Ecclesie *Sancti Petri in Brunna* ex altera coram venerabili patre Domino Brunone Olomuzensis Ecclesie Episcopo questio verteretur super eo videlicet, quod predicte Abbatissa et Conuentus asserebant, quod secundum quod pie recordationis Dominus et Pater noster *Venzeslaus* Rex Boemie olim Illustris ius patronatus, quod in ipsa Ecclesia habebat consentiente ordinario, pleno ipsis iure contulerat, ipsam Ecclesiam dictus Al. Rector

non intrauerat, nec iusto titulo possidebat. Verum tamen, nos cum causam, hinc inde uentilari uideremus, partium laboribus et expensis compati salubriter cupientes, de consensu et consilio antedicti Episcopi Brunonis viros ydoneos et discretos ac iuris peritos, arbitros ad hoc duximus statuendos, quod partibus coram ipsis constitutis, sine strepitu iudicii, de iusticia cognoscerent vtriusque. et moderato earum proposito ipsas iuste et rationabiliter concordarent. At ubi cum predicte Abbatissa et Conuentus, de iure ipsarum eosdem arbitros plenius docuissent, prefati, tamquam viri discreti, tale arbitrium protulerunt, ut cessante ammodo contencione huiusmodi, antedictus Albertus Rector sepedictis Abbatisse et Conuentui ius recognosceret patronatus, et Ecclesiam supradictam Sancti Petri, quam in earundem Abbatisse et Conuentus detinuit preiudicium et grauamen, ammodo vtpote ab ipsis presentatus, debeat ad dies suos earum nomine possidere. Nos uero arbitrio huiusmodi tam rationabiliter et legitime prolato, grato assensu concurrere cupientes, donationem quam pie memorie predictus dominus et Pater noster mera liberalitate in iure patronatus Ecclesie predicte Sancti Petri in Brunna fecerat tam laudabiliter ac ordinate, Ecclesie videlicet in Tuschenowiz gratam et ratam habere volumus, intentionem nostram uniuersis ac singulis tenore presentium declarantes. In cuius rei testimonium sepefatis Abbatisse et Conuentui presentem litteram contulimus sigillorum nostrorum munimine roboratam, cum testium nominibus qui aderant subscriptis: Domino Philippo Abbate Scotorum de Wienna. Herbordo Decano Olomuzensis Ecclesie. Magistro Gerhardo plebano Wiennensi. Magistris Arnoldo et Vlrico Notariis. Gaudentio et Nicholao Capellanis Curie nostre. Benisio. Smilone de Bilkowe. Cvonone. Besnethone. Bohuschone. Baronibus Morauie. Item Comite Ottone de Hardekke. Ottone de Misowe. Hadmaro de Lihtenwerde. Cvnrado de Zechingen ministerialibus Austrie, et aliis quam pluribus. Actum Brunne. Indiccione XV. XVI. Kalendas Nouembris. Anno domini M. CC. L octauo.

Ex originali cum sigillo bilaterali equestri integro in archivo ejusdem monasterii.

CCLXXI.

Magistri monetae regni Boëmiae Marsilio, abbati Siloënsi, et Stephano, plebano Iglaviensi, hospitale suum in Iglavia conferunt. Dt. Iglaviae, IV. Nonas Novembris, 1258.

In nomine domini. Amen. Uniuersis Christi fidelibus, hanc paginam inspecturis E.(berhardus), T.(itmarus), H.(einricus) et Heinricus, magistri monete totius regni Bohemie, nec non et fidelis unitas iuratorum ciuitatis *Iglauie* una cum uniuersitate concordi salutem. Cum Deus, cuius prouidentia in sui dispositione non fallitur, unicuique fidelium mandauerit, in culmine uirtutum et bonorum operum executione proficere, et ad profectum deducere salutarem: rationi consentaneum est, et honestum congruumque profectibus animarum, ut quos idem deus locupletes fecit in hac uita, et magnificauit honoribus in hoc tempore, non solum communi necessitate proximorum, sed etiam speciali inedia pauperum, infirmorum miserabiliumque personarum defectibus prouideant et intendant. Nos siquidem pio deuocionis affectu considerantes, et verissimis experimentis iam longo tempore transacto cognoscentes, hospitale nostrum per homines incertos et uagabundos proficere non posse, immo magis de die in diem deficere, et ad ultimum penitus inclinari, moti ergo diuine pietatis intuitu, et pauperum infirmorum solatio, nec non et dicti hospitalis profectu, reuerendo domino nostro et patre in Christo *Marsilio abbati Syloensi,* et *domino Stephano,* honorabili uiro, plebano nostro, et eorum successoribus dictum hospitale cum omnibus attinentiis et possessionibus, siue in terra siue super terram, habitis et habendis, libero arbitrio et bona uoluntate animoque concordi contulimus liberaliter perpetuo possidendum, et eorum incorporandum collegio salutari. Ne igitur aliquid a nobis tam solempniter in diuinis humanisque actum negotiis per aliquorum contrarietatem imposterum ualeat irritari, presentem paginam sigilli nostre ciuitatis munimine decreuimus consignari. Acta sunt autem hec in domo fratrum minorum, mediantibus fratre Bertholdo et fratre Thudone ordinis eiusdem. Testes quidem non posuimus, quia nos ipsi testes sumus, et bonum conscientie nostre, quod erit unicuique in districti iudicii examine, gloria specialis predicante Apostolo: Gloria nostra

hec est testimonium conscientie nostre. Datum in Iglauia. Anno Gracie M. CC. LVIII. IIII. Nonas Nouembris.

E copia simplici saec. XVII.

CCLXXII.

Alexander papa IV. fratribus Praedicatoribus Olomucii indulgentias elargitur. Dt. Anagniae, XII. Kalendas Decembris, 1258.

Alexander episcopus seruus seruorum dei. Uniuersis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem et apostolicam benedictionem. Vite perennis gloria qua mira benignitas conditoris beatam coronat aciem civium supernorum a redemptis pretio sanguinis fusi de pretioso corpore redemptoris meritorum debet acquiri uirtute inter que illud esse pregrande dinoscitur quod ubique sit precipue in sanctorum ecclesiis maiestas altissimi collaudetur. Rogamus itaque uniuersitatem uestram et hortamur in domino in remissionem uobis peccaminum iniungentes quatinus ad ecclesiam dilectorum filiorum *fratrum predicatorum Olomucensium* imploraturi a domino delictorum ueniam in humilitate spiritus accedatis. Nos enim ut Christi fideles quasi per premia salubriter ad merita inuitemus de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus uere penitentibus et confessis qui ad ecclesiam ipsam in singulis festiuitatibus gloriose marie uirginis beati Michaëlis archangeli, et beatorum Dominici confessoris, et Petri martiris eiusdem ordinis professoris ac in anniuersario die dedicationis eiusdem ecclesie et septem diebus immediate sequentibus causa deuotionis accesserint annuatim Centum dies de iniuncta sibi penitentia misericorditer relaxamus. Datum Anagnie XII. Kalendas Decembris. Pontificatus nostri anno quarto.

Ex originali ejusdem monasterii.

CCLXXIII.

Bruno, episcopus Olomucensis, Reinhardo de Prostějow curiam in Drozdowice cum annuo censu mediae marcae confert. Dt. Olomucii, XVIII. Kalendas Januarii, 1258.

Bruno dei gratia Olomucensis episcopus totumque eiusdem ecclesie capitulum. *Reynhardo de Prosteys* suisque heredibus aut successoribus in perpetuum. Vt rerum gestarum series robur in perpetum optineat firmitatis, tenore presentium notum facimus vniuersis, quod nos de communi assensu et libera uoluntate curiam in *Drozdowicz* cum suis pertinentiis *ecclesie sancte marie ante castrum in Olomuc* site ad hospitale nostrum. ibidem spectantem, tibi Reynharde tuisque heredibus seu successoribus iure illo quod vulgariter Burgrecht appellatur, sub tali concedimus condicione, ut in festo s. Michaelis hospitali eidem annuatim persoluas dimidiam marcam argenti et plenas decimas de tritico siligine auena pisa et ordeo post partem coloni et messorum in curia predicta soluas prefato hospitali. Si autem tu Reynharde uel heredes siue successores tui iam dictam decimam dare nolueris uel noluerint tunc mediam marcam pro ipsa decima dare teneberis aut successores tui dare tenebuntur in festo s. Michaelis memorato hospitali. In cuius rei firmitatem tibi presentem paginam assignamus sigillorum nostrorum munimine roboratam. Datum in Olomuc anno domini M. CC. LVIII. XVIII. Kalendas Ianuarij.

Ex originali in archivo capituli Olomucensis. — Apograph. in codice Olomuc. II. fol. 56.

CCLXXIV.

Přemysl, dominus regni Boëmiae, dux Austriae et marchio Moraviae, confirmat literas fundationis monasterii Tišňowicensis ejusque bona et possessiones latissime enumerat. Dt. Brunae, Nonis Januarii, 1259.

In nomine. sancte trinitatis. et. indiuidue. unitatis. Primizel dei gratia Rex Boemye. Dux Austrie. ac Marchio Morauie. omnibus ad quos presens scriptum peruenerit salutem in domino omnium saluatore. Priuilegium pie recordationis Marchionis Morauie *a quo nomen traximus* vidimus

non cancellatum. non abolitum nec aliqua parte uiciosum. In hec uerba. In nomine sancte trinitatis. etc. Ego Premizl . . *(Vide n. CCXLIX. T. II. usque . .)* Concambium autem hoc est *Gyglawa* cum thelonio et cum aliis uillis ad eam pertinentibus. *Buerdniz.* cum suis villis et omnibus attinentiis. *Wignanowe.* cum omnibus suis appenditiis ex mera liberalitate nostra addidimus claustro predicto et aliam uillam *Wemizliz.* nomine similiter. Appenditia autem uocamus quicquid est in siluis. in pratis. in pascuis. in aquis. in piscaturis. in molendinis. et huius modi que utilitati claustri conueniunt. Nunc autem per me Primizl Marchionem factum est aliud concambium de consensu et auctoritate fratris nostri clare memorie Wencezlai Regis Boemorum. *Thussnowiz.* cum ecclesia et decimis ac iudicio integrali ipsius ciuitatis et omnium uillarum ad idem monasterium pertinentium. *Srazow.* cum ecclesia et decimis. *Domaradiz. Briesym. Drahnisch. Lomniz. Selesne. Iamne. Hvmenze. Bvkowize. Rohozez. Schechowize. Comyn. Knehnize.* ecclesia et decime. *Zwatozlaus.* cum ecclesia et decimis. *Wemeliz.* cum ecclesia et pertinentiis. *Lvcowe.* cum ecclesia et decimis. *Bvdwiz* ecclesia cum decimis. *Scheitz.* cum tertia parte decimarum. ecclesia ibidem. *Cappaniz.* cum iudicio integrali et tercia parte decimarum. *Bochuwalewiz.* quod et *Hohendorf* nuncupatur cum tabernis ac omni iure et utilitate. Ecclesia in *Byless. seu Heinrichs.* cum decimis integralibus. Hec omnia que premisi dedi de consensu venerabilis patris Rvodberti tunc Episcopi Olomucensis in ecclesiis et decimis pertinentibus ad easdem. Per me in pratis. pascuis. siluis. aquis. aquarum decursibus. molendinis. piscariis. et omnibus que utilitati claustri conueniunt. Decreuimus etiam *(etc. . . . usque* Slauebor. — *Vide ut supra).* Nos Primizel Rex. dux. ac marchio. patris nostri clare memorie Wenzezlai regis Boemie. ac antecessorum nostrorum uestigiis inherentes. omnia iura. omnes libertates. in ciuitatibus. et uillis. terris. cultis. et incultis. siluis. aquis. aquarum decursibus. molendinis. pratis. pascuis. cum omnibus que premisimus sepedicto monasterio sanctimonialium in Thussnowiz. Cysterciensium ordinis. confirmamus. Testes sunt. *Dux Polonie Heinricus.* Wittego de noua domo. Gerozlaus. Andreas. Marquardus de Donawiz. Zdezlaus de Sternberch. Vlricus zageschech. nobiles Boemie. Parduz. camerarius. Egidius purchrauius. Beneda uenator. Nezamizl. Iohannes Olomucenses. Iænzo purchrauius de Græz. Hartlibus

frater eius. Zudomirus camerarius. Breschizlauiensis. Woytech. Andreas. Gerohneus. Breschzlauienses. Zmilo purchrauius Brumoensis. Chuno purchrauius de Eychorns. Karulus. camerarius. Luzlaus uenator. Lambertus zudarius. Bohuscha. Hartmannus fratres. Bohusche. Bznata fratres Brunnenses. Ruto camerarius. Zmilo de Byelkow. Wichardus de Tyrna. Znoymenses. Et alii quam plures. Datum in Brunna. per manum Willehelmi notarii. Anno ab incarnatione domini M. CC. L. V. IIII. Non. (sic) Ianuarii.

Ex originali, cujus sigillum est avulsum, in archivo ejusdem monasterii.

CCLXXV.

Albero, magister hospitalis s. Francisci Pragae attestatur, dominum Karulonem, praepositum s. Hippolyti, commutationem fecisse cum monasterio Oslowanensi de villa Řeznawice pro villa Mašowice. Dt. Znoymae, Kalend. Februarii, **1259.**

Vniuersis christi fidelibus presentem litteram inspecturis. Magister Albero. domus Hospitalis Sancti Francisci in Praga, ad rei memoriam sempiternam. Ne facta hominum apud posteros labantur in obliuionem cautum est et solitum ut populi testimonio et scripti memoria perennentur. Nouerint itaque tam presentes quam futuri. quod de consensu nostro et tocius capituli nostri et eciam assensu fundatricis nostre Sororis agnetis dominus *Karulo* prepositus *sancti ypolili* et confrater ordinis nostri commutationem fecit de uilla *Reznawitze* pro uilla *maswitz.* addendo quadraginta sex marcas puri argenti cum C. preposito et conuentu Sanctimonialium in *Osla* renunctiando omni iuri et proprietati quam habebat in uilla superius memorata. promittendo eisdem quod si qua in futurum ecclesiastica secularisve persona iam dictos prepositum et Sanctimoniales in Osla de uilla et proprietate in Reznawitz. inpetierit in uilla maswitz. equipolentes redditus ad usus suos recipient quo usque partis aduerse lites per omnia decidantur. Ne igitur de hac conmutatione tam sollempniter celebrata in posterum a malignis malorum hominum suggestionibus possit calumpnia suboriri presentem litteram sigillis nostris fecimus roborari. Datum in Snoym. Anno domini M. CC. Quinquagesimo. Nono. Kalendas Februarii. indictione

secunda. Acta sunt hec coram testibus subnotatis. Domino Lupo de Nasmeritz. Domino Ekhardo de mirslaus. Domino Hartlibo de miselboritz fratre eius. Domino Ranciro. Domino Zuzicray de Zeretitz. Domino Ottone et domino Ortilone fratribus. Domino Heinrico de Tobitz. Domino Alexio canonico pragensi. Domino Friderico prouinciali. Domino Hertwico. et aliis quam pluribus tam clericis quam laicis.

Ex originali cum unico sigillo hospitalis Pragensis superstite in arch. ejusdem monasterii.

CCLXXVI.

Bruno, episcopus Olomucensis, confirmat ecclesiae Olomucensi quinque mansos in Krčmany legatos in remedium animae Marquardi canonici.
Act. Olomucii, Idibus Aprilis, 1259.

Bruno, dei gratia Olomucensis Episcopus. Omnibus Christi fidelibus hanc litteram inspecturis, eternam in domino salutem. Que ad diuini nominis cultum et honorem, ac animarum salutem pie ac provide in nostra diocesi statuuntur, hiis merito ex officii nostri debito tenemur robur adicere firmitatis, vt nullius eis possit aduersitatis obesse calumpnia, cum debite munimento rectitudinis sunt suffulta. Cum igitur nobilis vir dominus *Beneda,* ad honorem dei et pro remedio peccaminum bone memorie Marquardi filii sui olim ecclesie nostre canonici, quinque mansos in villa sua *Crikzeman,* cum omnibus suis seruiciis, prouentibus et attinentiis ecclesie nostre, duxerit conferendos, petens et statuens, quod in qualibet ebdomada singulis annis et per circulum anni cuiuslibet perpetuus ecclesie nostre vicarius, quicumque pro tempore mansos eosdem tenuerit, ad minus duas missas pro defunctis, et vnam in honore beate Marie virginis, matris domini gloriose, diebus quibus licenter potest fieri debeat celebrare. debitum in choro ecclesie nostre vicarii nomine obsequium nichilominus prestiturus. Nos pium opus et affectum suum laudabilem in domino commendantes, statutum huiusmodi auctoritate ordinaria in nomine domini confirmamus; mandantes illud sub interminatione anathematis perpetuis inuiolabiliter temporibus obseruari. Ego Beneda in euidens huius collationis mee videlicet quinque mansorum

in villa mea Crikzeman, ut in hac confirmationis pagina plenius exprimitur, testimonium et sempiternam memoriam sigillum meum ipsi pagine iussi apponi. Et nos Herbordus decanus. Nicolaus prepositus. Bartholomeus archidiaconus. ceterique Olomucenses canonici, ut omnia in hac pagina confirmationis expressa, perpetuis in ecclesia nostra temporibus obseruentur, sigillum capituli eciam apposuimus huic scripto. Actum Olomuz, Idus Aprilis. anno domini M. CC. LIX. Indictione secunda. Datum per manum Conradi notarii nostri die ac loco prefatis.

Ex originali in arch. capituli Olomucensis cum sigillis laesis. — Apographum in codice Cremsir. n. CXXIV. et codice Olomuc. I. chart. fol. 23.

CCLXXVII.

Otakarus, dominus regni Boëmiae, dux Austriae et marchio Moraviae, monasterii Cellae s. Mariae areas extra civitatem Brunensem ab omni exactione eximit. Dt. in Klingenberg, Idibus Maji, (1259).

Othacharus Dei gratia dominus regni Boemie, dux Austrie et marchio Morauie. P. iudici, Hertelino, Franconi, Friderico scriptori, Cunzoni de antiquo foro, ciuibus Brunnensibus gratiam suam et omne bonum. Quia propter remedium anime nostre sorori *Herburge et conuentui de Cella S. Mariae* hanc graciam duximus faciendam, uidelicet, quod aree earundem extra ciuitatem posite ad censum, vel exactionem, vel precariam ciuitatis teneri non debent quoquomodo, volumus et sub obtentu gracie nostre districtius inhibemus, ut ipsam sororem, seu eius conuentum super huiusmodi grauaminibus non presumatis de cetero perturbare. Volumus etiam, et mandamus, ut racione huius libertatis seu gracie iura foralia, siue uendant, siue emant, eisdem nullatenus denegetis. Datum in Clingenberch idus Maii.

Ex originali cum sigillo equestri laeso in arch. c. r. aulico Vindobonae.

CCLXXVIII.

Bruno, episcopus Olomucensis, monasterio Oslowanensi jus patronatus ecclesiae in Mohelno confirmat. Dt. in Modřice, III. Nonas Junii, 1259.

Bruno dei gratia Olomucensis Episcopus dilectis iu Christo Abbatisse et conuentui in *Ozlawan* Ordinis Cisterciensis salutem in domino. Cum a nobis petitur quod iustum est et honestum tam vigor equitatis quam ordo exigit rationis vt id per officii nostri sollicitudinem ad effectum debitum perducatur. Cum igitur, sicut vestra nobis exhibita petitio continebat, magnificus princeps dominus Premilz Marchio Morauie illustris pium liberalitatis et deuotionis zelum erga uos et monasterium vestrum gerens ius patronatus quod habuisse dinoscitur in ecclesia de *Mohiln* nostre diocesis in vos duxerit transferendum sicut in litteris suis confectis exinde plenius continetur nos vestre deuotionis supplicationibus inclinati dictique principis factum pium et prouidum commandantes in domino vobis ius presentandi ad dictam ecclesiam de Mohiln nostro et successorum nostrorum et Archidiaconi loci qui pro tempore fuerit per omnia iure saluo auctoritate ordinaria confirmamus mandantes sub interminatione anathematis ne quis hanc nostram confirmationem presumat infringere uel sibi ausu temerario contraire. Datum in Moderiz III. Nonas Iunii anno domini M. CC. LVIIII.

Ex originali cum sigillo illaeso ejusdem monasterii.

CCLXXIX.

Wichardus de Tyrna confert jus patronatus ecclesiae in Dobřany sororibus sanctae Mariae Magdalenae. Dt. in Wranow, XI. Kalendas Augusti, 1259.

In nomine domini amen. Cum ea, que aguntur in tempore, libenter etiam tempore a memoria hominum dilabuntur, gesta memorabilia a studiosis et fidelibus scriptis et testibus roborantur, ut ad generationes transeant seculorum. Nos Wichardus de Tyrna et . . . uxor mea et Iohannes gener meus dictus de Dobran scire volumus uniuersos presentes et futuros

presentium inspectores, quod ius patronatus ecclesie nostre in *Dobran*, que iure hereditario nos contingit, ob animarum nostrarum et progenitorum nostrorum remedium et salutem religiosis et deuotis deo feminis, videlicet sororibus sancte Marie Magdalene contulimus in perpetuum possidendum, ut eedem sorores sibi edificent ibi domum, et officient ipsam ecclesiam, ibique ordo earundem sororum, scilicet sancte Marie Magdalene cum pace usque in finem seculorum laudibus dei vacet. Ad cuius rei uberiorem memoriam et cautelam presens eis porreximus instrumentum, sigillorum nostrorum appensione et munimine roboratum. Testes: Wernhardus de Plusk. Gerungus de Herttenstein. Hadmarus de Steriz. Grolom de Leim. Petrus plebanus de Wrein. Otto capellanus. Chunradus burgensis de Dobrinsan, et alii quam plures. Datum in Wrein XI. Kalendas augusti, scilicet in festo sancte Marie Magdalene, anno incarnationis dominice M. CC. quinquagesimo nono.

Dobner — in Annalium T. VII. MS. ex archivo Chotěšoviensi.

CCLXXX.

Otakarus, dominus regni Boëmiae, dux Austriae et marchio Moraviae, monasterio Litomyšlensi concedit, ut ejus civitas Litomyšl jure et libertate civitatum regiarum gaudeat. Dt. apud Pragam, VI. Kalendas Augusti, 1259.

Nos Othacarus, qui et Premizel, dei gracia dominus Regni Boemie, Dux Austrie et Marchio Morauie. Omnibus per Regnum Boemie constitutis gratiam suam et omne bonum. Nouerint presentium inspectores, quod nos ob reuerentiam beate uirginis et remissionem nostrorum peccaminum, contulimus et concessimus venerabili Abbati et Conuentui in *Lvthomicel* omnia iura et libertates, quas in suis priuilegiis, a nostris antecessoribus sibi rite collatis, noscuntur habere, volentes, vt Ciuitas ipsorum in *Lvthomicel* omni iure et libertate gaudere debeat, qua nostre ciuitates per Boemiam sunt contente. In cuius rei testimonium presens ipsis scriptum dari fecimus, sigillorum nostrorum munimine roboratum, testibus qui aderant,

subnotatis. Qvi sunt: Egidius, Cezama, Potho, Budizlaus, Vlricus, Zawiz, Styborius, et alii quam plures. Actum in Gretz. Anno domini M. CC. LVIIII. Datum per manus Magistri Arnoldi, prothonotarii. VI. Kalendas Augusti, apud Pragam.

Ex originali in archivo ejusdem monasterii.

CCLXXXI.

Idem jura et libertates civitatis Litomyšl literis monasterio ibidem datis instituit. Dt. apud Pragam, VI. Kalendas Augusti, 1259.

In nomine sancte et indiuidue Trinitatis. Amen. Nos Othacarus, qui et Premisl, dei gratia dominus Regni Boemie, Dux Austrie et Marchio Morauie. Omnibus per regnum Bohemie constitutis gratiam suam et omne bonum. Licet illius fauente clementia, per quem reges regnant, et principes imperant, ad hoc terreni principatus suscepimus moderamen, vt ex nostre serenitatis officio debeamus vniuersa pia et religiosa loca, sub nostro dominio constituta, nostre protectionis dextera defensare, ac eorum iura et libertates, ne a malignantibus infringantur, cura peruigili conseruare, illis tamen ecclesiis, quas progenitorum nostrorum sincera fundauit deuotio, sumus et esse uolumus specialis beneficentie debitores, quatinus ipsarum libertatem liberaliter ampliando ampliatamque conseruando post amministrationem terrene dignitatis ascribi numero supernorum ciuium mereamur. Nouerint igitur vniuersi tam moderni temporis quam futuri Christi fideles, quod nos consilio pietatis inducti, pro remedio animarum parentum nostrorum ac nostre, ecclesie *Luthomislensi,* nec non et abbati et fratribus, ibidem deo et beate Marie famulantibus, talem concedimus libertatem, videlicet: quod Ciuitas ipsorum, que *Luthomisl* dicitur, que et ipsi Ecclesie adiacet, iure fori, iure ciuili, iure iudicii ceterisque iuribus ac libertatibus gaudeat, quibus Ciuitas nostra Gretz et alie Ciuitates nostre per Regnum Bohemie sunt contente; et quod homines dicte Ciuitatis et ubique per abbatiam constituti nullius Castri nullorumque iudicum uel officialium seu beneficiariorum astent iudicio, sed Prage coram nobis uel nostro uicario iudicentur, et sint liberi et exempti ab omni iugo seruitutis seu exactionis

et grauaminis, tam ab hiis, que uulgariter dicuntur *Narok* seu *swode*, quam ab hiis, que uocantur *Narez* aut *Nozleh*, et a retibus ad uenationem ducendis, et a uictualibus canibus dandis ac ipsorum custodibus, qui *Hololi* uocantur; ab eo etiam, quod dicitur *Ozzep*, atque a sex denariis, quod dicitur *Seztne*, qui dari debent magistro uenatorie dignitatis. Statuimus etiam, ne homines memorate Ecclesie grauentur in hoc, quando aliquis occisus seu strangulatus fuerit, quod materna linqua *Hlaua* nuncupatur; siue se inuicem seditiose uulnerauerint, siue a latronibus uulnerentur, quod dicitur *Ranniz*, liberi sint et absoluti, abbati tamen de culpis huiusmodi responsuri. Si uero aliquis hominum dicte Ciuitatis et Ecclesie suspensus fuerit, uel suspendendus, quod *Wiseleh* dicitur Boemice, ipsos penitus decernimus absolutos, arbitrio abbatis nichilominus relinquentes, vt pro hiis et aliis culpis homines suos pena debita puniat, in usus monasterii, quicquid ex culpa prouenerit, conuertendo. Decernimus etiam, quod, quicquid emolumenti uel utilitatis de molendinis prefate Ecclesie prouenerit, abbas dumtaxat et nullus alter recipere teneatur. Ad maiorem preterea nostre liberalitatis concessionem omnia priuilegia predicte Ecclesie a nostris antecessoribus pia consideratione concessa, siue sint realia siue personalia, ad res seu iura pertinentia, dummodo appareant in prima figura et autenticis sigillis sigillata, non uitiata, non cancellata, non in aliqua sui parte abolita, rata habemus et firma, et ea auctoritate presentis scripti confirmamus, nolentes illa tractu temporis a maliuolis aliquibus ausu temerario uiolari. In cuius rei testimonium presentes litteras supra dicte Ecclesie pro memoria prefatorum omnium sempiterna concedimus, sigillorum nostrorum munimine roboratas, testibus, qui aderant, subnotatis: Bawarus, Camerarius regni Boemie. Gerossius, Castellanus Pragensis. Chez, iudex terre. Cezama de Costumlath. Poto de Bodensten. Vlricus de Dudleu. Stiborius de Loschan. Zawiz, et alii quam plures. Actum Prage. Anno domini M. CC. LVIIII. Datum per manus magistri Arnoldi, Prothonotarij. Sexto Kalendas Augusti, apud Pragam.

Ex originali cum sigillo illaeso in archivo ejusdem monasterii.

CCLXXXII.

Bruno, episcopus Olomucensis, decisa lite jus patronatus ecclesiae s. Petri Brunae monasterio Tišňowicensi confirmat, et expensas resarcit. Dt. in Modřice, in die b. Michaëlis, 1259.

Bruno dei gracia Olumecensis Episcopus dilectis in Christo . . Abbatisse et conuentui Sanctimonialium in *Tusnowiz* ordinis Cisterciensis nostre diocesis salutem. et sinceram in domino caritatem. Cum a nobis petitur quod iustum est et honestum, in quo potestatem habere uidemur ordinariam tam uigor equitatis, quam ordo exigit rationis. ut id per officii nostri sollicitudinem ad effectum debitum perducatur. Cum igitur sicut uestra nobis porrecta peticio continebat, Inclitus dominus noster bone memorie dominus Wenceslaus Rex boemorum illustris Iuspatronatus quod in *Ecclesia sancti Petri de Brunna* nostre diocesis habuisse dinoscitur, vobis et Monasterio vestro sicut per ipsius ostendistis litteras inde cofectas pia liberalitate contulerit ac ipse postmodum contra huiusmodi collationem de facto ueniens dilectum in Christo *Albertum* eiusdem ecclesie nunc rectorem Iuspatronatus usurpando sibi ad eandem ecclesiam presentarit, suusque filius Magnificus dominus noster Premizl Dominus Regni Boemie, Dux Austrie ac Marchio Morauie, inter uos et prefatum Albertum per arbitros concordiam faciens quemadmodum in ipsius exprimitur litteris patrisque sui factum gratum habens et ratum, Iuspatronatus eiusdem ecclesie sancti Petri de Brunna pium erga uos et monasterium uestrum liberalitatis gerens zelum, in vos iterum duxerit transferendum. Nos vestris deuotis supplicacionibus inclinati dictique domini nostri factum pium et prouidum commendantes in domino, et consensum nostrum fauorabiliter adhibentes Ius presentandi ad eandem ecclesiam sancti Petri de Brunna nostro et successorum nostrorum ac Archidiaconi loci qui pro tempore fuerit iure saluo vobis et per uos Monasterio vestro auctoritate ordinaria confirmamus. sub interminatione anatematis inhibentes ne quis hanc nostram confirmacionem presumat infringere, vel ei ausu temerario contraire. Ceterum quia circa personas in Monasterio vestro ad dei seruicium dedicatas expense plurime requiruntur in quibus sicut vestra nobis patefecit insinuatio defectum contingit aliquociens uos habere, supplicastis etiam humiliter nobis vt de prouentibus ipsius ecclesie sancti Petri in Brunna in subsidium expensarum

vestrarum aliqua consolacio vobis fiat, nos in hoc eciam affectu pio vestris condescendendo precibus habita super eo diligenti nichilominus consideracione quod ecclesie predicte competens prebenda remaneat et honesta, sic statuimus auctoritate ordinaria et statuendo uobis concedimus quod omnes fructus et reditus ville de *Bareuoz* qui in censu iudicio et in huiusmodi temporalibus proueniunt, et plenas frumenti decimas ville de *Curim* que spectare noscuntur ad eandem ecclesiam sancti Petri pro vobis et monasterio vestro post decessum in Christo dilecti Alberti ipsius ecclesie nunc rectoris annis singulis percipere ualeatis, ita tamen quod plebanus ecclesie sepedicte qui post ipsum pro tempore fuerit de decimis dicte ville de Curim decem muttas tritici et totidem muttas auene ac alios omnes eiusdem ecclesie reditus quos habere dinoscitur sine diminucione percipiat annuatim. Inspecta quoque monasterii uestri necessitate legitima et euidenti ut de prouentibus aliarum ecclesiarum parochialium nostre diocesis, in quibus Iuspatronatus obtinetis, post modernorum decessum plebanorum annuam possitis recipere pensionem videlicet de ecclesia in *Budwicz* quartam partem decimarum et de ecclesia in *Bites* quod et *Heyreichs* vvlgaliter appellatur terciam partem decimarum. Et de ecclesia in *Cheycz* quinque muttas tritici antique mensure Brunnensis, et totidem muttas siliginis, cum nichilominus iuxta consideracionem nostram, dictarum ecclesiarum rectores qui pro tempore fuerint, de prouentibus residuis possint honeste et commode sustentari, hospitalitatem seruare ac alia facere que de iure fuerint facienda vobis et monasterio vestro de gracia concedimus speciali. Insuper iuspatronatus dictarum ecclesiarum in Budwicz et de Bites quod et henrichs uulgaliter appellatur, collatum uobis per predictum pie recordacionis dominum Wencezlaum regem, ut in litteris suis inde confectis, plenius continetur, factum suum quod ex pia liberalitate processit, gratum habentes et ratum, nostro et successorum nostrorum ac archidiaconi loci qui pro tempore fuerit, iure saluo vobis similiter et per vos Monasterio vestro auctoritate ordinaria confirmamus. In huius autem confirmacionis et concessionis testimonium et euidenciam. presentes vobis dari iussimus litteras nostri sigilli munimine roboratas. Datum in Moderiz in die beati Michaelis. Anno domini M. CC. LVIIII.

Ex originali cum sigillo integro ejusdem monasterii.

CCLXXXIII.

Otakarus, dominus regni Boëmiae, dux Austriae et marchio Moraviae, confirmat decimas thelonei et census ecclesiae in Hlubčice Eliae, capellano suo, et successoribus ejus. Dt. Znoymae, XV. Kalendas Decembris, 1259.

Nos Otthacarus qui et Premizl, dei gracia dominus regni Boemie, dux Austrie, et marchio Moravie. Scire volumus vniuersos, quod nos, accepta sufficienti caucione, et testimonio honesto, super eo, quod decima decime nostre, thelonei et census ecclesie in *Hlupchyzhc* attineat ex debito, et de iure ipsam decimam dilecto nobis capellano *Elye*, et suis successoribus confirmamus. In cuius rei testimonium, sibi et ecclesie sue prescripte, et suis successoribus presens instrumentum dari mandauimus, cum subnotatis testibus sigillorum nostrorum munimine roboratum. Testes Benesius, camerarius noster, Milotha frater eius, frater Paulus, et frater Henricus ordinis minorum, et alii quam plures. Actum et datum in Znoym, per manus prothonotariorum nostrorum Arnoldi et Vlrici magistrorum. Anno millesimo CC. quinquagesimo nono. quinto decimo Kalendas Decembris.

E confirmatione Kunegundis, reginae Boëmiae, ab anno 1281. in archivo Melitensium Pragae.

CCLXXXIV.

Kuno, burggravius in Eichorn, confert monasterio Oslowanensi villam Kukwice cum villicatione in Strupochowice. (cc. 1259.)

Notum sit omnibus tam presentibus quam futuris presentem literam inspecturis. Quot ego Chvno burcrauius in Aychorns, ecclesie et cenobio Ozlauinensi et collecioni eiusdem cenobii in subsidium; villam dictam nouam plantacionem *Cvcouiz.* vna cum villicatione attinenti, in dotem pro remissione meorum peccaminum et antecessorum nostrorum large erogaui. in qua uilla XXII. lanei. colvntur. Et in *Struppochowiz* villicationem vnam cum iumentis et cum singulis atinentibus qualicunque vocabulo nominentur preter duos laneos quos serius contuli possidendos. Hec acta sunt in

presentia domini Zemielonis fratris sui et Bohussonis de Rozize et fratris sui Hartmanni. et Drahozlay. et Pauli. et Hotary. et Brathay.

Ex originali in curia Brunensi.

CCLXXXV.

Alexander papa IV. mandat arbitris, ut litem de decimis villae Starč decidant. Dt. Laterani, XIX. Kal. Februarii, 1260.

Alexander episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis . . de Siloa et . . de Ierus abbatibus necnon . . preposito de Dubranik Pragensis, Patauiensis et Olomucensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Exhibita nobis prepositi et sororum de *Rusch* Olomucensis diocesis petitio continebat, quod abbas et conuentus monasterii de *Trebech* super decimis in *Sterici* et rebus aliis iniuriantur eisdem. Ideoque uestre discretioni per apostolica scripta mandamus, quatenus partibus convocatis causam audiatis et appellatione remota debito fine terminetis, facientes, quod decideritis, per censuram ecclesiasticam firmiter obseruari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore substraxerint, per eandem censuram appellatione cessante compellatis veritati testimonium perhibere. Dt. Laterani XIX. Kalendas Februarii. Pontificatus nostri anno sexto.

Ex originali inter literas Daubrawnjcenses in curia Brunensi.

CCLXXXVI.

Heinricus de Doblice confert monasterio Lucensi curiam suam in Testice. Dt. in Luka, die 24. Februarii, 1260.

In nomine patris, et filii, et spiritus sancti. Ego Henricus de Dobliz, omnibus hanc litteram audituris ad rei memoriam sempiternam. Cum cunctas huius seculi facultates fallibili uite certitudine teneamus, cunctarum est propositum salubrius animarum, ut mutabilia immutabilibus commutentur, transitoria sempiternis. Notum sit igitur vniuersis tam presentibus, quam futuris, quod ego *Henricus de Dobliz* mei cordis sani consilii de inductu curiam

meam magigeram in *Testiz* cum cunctis attinentiis, quocunque nomine censeantur, ecclesie *sancti Vencezlay in Luca,* jure dedi proprio libere et quiete in perpetuum possidendam liberaliter, hoc excepto, quod hoc anno prouentus yemis et estatis in vsus proprios convertam, mee pro beneplacito voluntatis. Anno uero prehabito exspirato usque ad ultimum mee uite fructus agrorum curie prenotate ecclesie Lucensi per medium partientur, eciam hoc adiecto, quod meum post obitum curie sepe fate boues quatuor relinquentur. Et ne super hac donatione per successionem debilem posterorum possit aliqua calumpnia suboriri, testes viros ydoneos et discretos huic scripto duxi fiducialius adiungendos. Ranoscirus sentenciarius. Lupus de Naschmariz. De Heroltiz Raclaus. Rectus de Woluramiz. Alexius canonicus Olomucensis. Ditricus frater Alexii. Dirislaus. Wurscho. Zbor. Laurencius. filius Ranosciri. Vlricus Sweuus. Fridericus iudex prouincialis. Hermannus plebanus ecclesie sancti Nicholaij in Znoym. Acta sunt hec anno domini Millesimo CC. LX. Datum in Luca. In die sancti Mathie. Apostoli gloriosi.

Ex originali ejusdem monasterii.

CCLXXXVII.

Otakarus, dominus regni Boëmiae, dux Austriae et Stirie et marchio Moraviae, civibus Opaviensibus censum de tabernis relaxat. Dt. in „Piezk", die Pascae, 1260.

Nos Otacharus qui et Premizel, dei gratia, Dominus Regni Boemie, Dux Austrie et Stirie et Marchio Moravie. Uniuersis hanc literam inspecturis notum esse volumus, quod nos de singulari misericordia et amore cum gratie plenitudine et fauoris dilectis ciuibus nostris de *Opauia* cuppam, que de tabernis semper reddita est, relaxauimus et liberos ipsos perpetuo dimisimus ab eadem, ut ad solutionem eiusdem non teneantur, de cetero obligati. In cuius rei testimonium et cautelam ipsis damus presens instrumentum, sigilli nostri munimine roboratum, nobilium nostrorum nominibus, qui ibi aderant subnotatis Wocco de Rosenberh. Ierosius. Benesius. Ratmirus. Ulricus pincerna. Hermannus camerarius Bohemie. Beznata et alii

quam plures. Actum et datum in Piezck. Anno domini M. CC. LX. in die sancto Pasce.

E copiario diplomatum civitatis Opaviae MS. saec. XVII. in Museo Opaviensi.

CCLXXXVIII.

Idem praeposituae Olomucensi confirmat collationem villarum Nenakonice in Moravia et Rudec in Boëmia factam testamento Nicolai praeposili. Dt. Pragae, VI. Kalendas Maji, 1260.

In nomine domini amen. Ottakarus qui et Premizl. dei gracia dominus regni Bohemie. dux Austrie et Styrie. et marchio Morauie. Honorabilibus viris . . decano . . preposito . . totique capitulo *Olomucensis ecclesie.* bone voluntatis affectum. Semper diuinam clemenciam pie deuocionis operibus nobis reconciliare studentes. et nos ipsos ad instanciam venerabilis in Christo patris, domini Brunonis Olomucensis episcopi. et vestram fauorabiles offerentes, testamentum Nycholai. Olomucensis prepositi. quod in ultima sua uoluntate condidit recitatum. de uerbo ad uerbum huic scripto fecimus annotari. Hinc est, quod idem prepositus disposuit villam emi pro XL. marcis argenti. quas se dicit habere in parata pecunia. et assignari prepositure Olomucensi. loco ville quam alienauit ab ea. villas duas *Nenacuniz. in Morauia.* et *Rudech in Bohemia.* cum omnibus pertinentibus ad easdem. ecclesie Olomucensi legauit. statuens, quod duo inde habeantur vicarii. quorum unus officiabit altare unum ad sanctum Petrum in Olomuc. alter in ecclesia maiori similiter altare vnum tenebitur officiare. et iidem chorum in ecclesia Olomucensi obligati erunt nichilominus frequentare. et de predictis villis duo lumina perpetua ministrari debent ad ecclesiam Olomucensem. Domum eciam suam in *ciuitate Pragensi* sitam. cum omnibus in circuitu et immediate ad eam pertinentibus ecclesie Olomucensi legauit. Ita quod ex parte Olomucensis ecclesie orphanis et amicis suis in X. marcis nichilominus succurratur. Nos igitur testamentum huiusmodi gratum et ratum habentes. ad peticionem ipsius domini episcopi et vestram pro habundanti cautela huic pagine confirmacionis nostre insignia dignum

duximus apponenda. Ceterumque quia venerabilis in Christo pater dominus Olomucensis episcopus. vna vobiscum Herborde decane. Bartholomee archidiacone. Heydolphe. Conrade. Bartholomee. et cum pluribus Olomucensibus canonicis. et aliis bonis viris huic personaliter interfuit testamento. vos expressis nominibus testes super facto huiusmodi fecimus annotari. Datum Prage. anno domini. M. CC. LX. VI. Kalendas Maii.

Ex originali cum sigillo trito in archivo Capituli Olomucensis. — Apographum in codice chart. I. pag. 42.

CCLXXXIX.

Ekhardus de Mirslaw (Myslice) confert monasterio Oslowanensi jus patronatus ecclesiae in Droskowice. Dt. in Oslowan, III. Kalendas Julii, 1260.

Nos Ekhardus dictus de Mirslaus vniuersis presens scriptum uisuris ad rei memoriam sempiternam. Cum rerum et temporum incerti sint euentus et actiones humane quantumcumque sollempniter celebrate minime tardent defluere sane precauendum est quot ea que tractu temporis queunt alienari et a memoria resecari testimonio et litteris perennentur. Ad resecandum igitur tocius ambiguitatis scrupulum. Notum sit tam presentibus quam futuris quod nos pro honore dei et gloriose marie virginis matris eius nec non pro salute carorum nostrorum tam uiuorum quam mortuorum et pro nostrorum scelerum venia consequenda conuentui sanctimonialium in *osla* ibidem deo iugiter famulancium ius patronatus ecclesie in *Droscuwitz.* cum suis attinenciis contulimus recedentes ab omni iure et donatione que ad nos in iam dicta ecclesia pertinebat. Ne igitur tam sollempnis donatio. inposterum a malignis malorum hominum suggestionibus possit immutari presentem litteram sigilli nostri munimine roboratam ipsis dedimus ad cautelam. Datum in Osla anno dominice incarnationis M. CC. LX. III. Kalendas Iulii. Acta sunt hec in Snoym coram hiis testibus Domino Ranciro. Domino Brewici. Domino Zuzicraie. Domino Heinrico de Tobitz. Domino Hartlibo. de Miszelboritz. Fratre Friderico et fratre Ottone de Lae ordinis fratrum minorum et aliis quam pluribus tam clericis quam laicis.

Ex originali cum sigillo optime conservato in archivo ejusdem monasterii.

CCXC.

Attestatio donationis juris patronatus in Droscowicz, factae monasterio Oslowanensi. Dat. in Oslowan, III. Kalendas Julii, 1260.

Vniuersis presens scriptum visuris. W. gardianus et seruus fratrum Minorum in Lae. Patauiensis diocesis. salutem in eo qui est omnium uera salus. Ad tocius litis et calumpnie depressionem. notum esse cupimus presencium inspectoribus. et auditoribus vniuersis. quod frater Fridericus nostri ordinis predicator generalis coram nobis et fratribus nostris recognouit se et protestatus est. quod in sui presencia. dominus Ekhardus vir nobilis de Mirslaus, ductus pio zelo ad laudem dei et honorem gloriose virginis Marie, matris eius, ius patronatus ecclesie ville de Droscowitz, quod ad eum libere spectabat, cum omnibus suis attinentiis contulit conuentui sanctimonialium in Osla; et ut factum diuinitus inspiratum in suo vigore fortius permaneret, obtulit ius patronatus ecclesie ville prefate super altare virginis gloriose, recedens ab omni iure, quod in eo uidebatur habere. In huius rei testimonium presentem litteram sigilli nostri munimine fecimus roborari. Acta sunt hec in Osla, Anno domini M. CC. LX. III. Kalendas Iulii, coram testibus subnotatis: Domino Hartlibo de Miselboritz, suo fratre. Fratre nostro Friderico, et fratre Ottone, eius socio de Lae. C. preposito H. et W. capellanis et sacerdotibus, dominarum et conuentus sanctimonialium quam plurima pars.

Ex originali in museo Brunensi necnon ex alio autographo ejusdem monasterii.

CCXCI.

Attestatio super, jure patronatus ecclesiae in Myslice donato ab Hartliebo de Myslibořice monialibus in Oslowan. Act. in Oslowan, III. Kal. Julii, 1260.

Vniuersis presens scriptum visuris. W. gardianus et seruus fratrum minorum in Lae. Patauiensis diocesis. salutem in eo qui est omnium uera salus. Ad tocius litis et calumpnie depressionem. notum esse cupimus pre-

sencium inspectoribus. et auditoribus vniuersis. quod frater Fridericus nostri ordinis predicator generalis coram nobis et fratribus nostris recognouit se et protestatus est. quod in sui presencia. dominus Hartlibus vir Nobilis de Miszelboriz. ductus pio zelo ad laudem dei et honorem gloriose virginis Marie Matris eius. Ivs patronatus ecclesie predicte de *Miszelboriz.* quod ad eum libere spectabat. cum omnibus svis attinentiis contulit conuentui sanctimonialium in *Ozla* et ut factum diuinitus inspiratum in suo vigore forcius permaneret. obtulit Ivs patronatus ecclesie ville sepedicte super altare virginis gloriose. recedens ab omni iure quod in eo uidebatur habere. assignando eciam iam dicte ecclesie sanctimonialium in Ozla. sex Laneos in *Droscowiz.* libere et quieto ivre possidendos tunc primo dum eum transire contingat viam carnis vniuerse. Sic in litteris exinde confectis plenius continetur. In huius rei testimonium presentem litteram sigilli nostri munimine fecimus roborari. Acta sunt hec in Ozla. Anno domini M. CC. LX. III. Kalendas Ivlii. coram testibus subnotatis. Domino Ekhardo de Mirslaus fratre svo. fratre nostro Friderico. et fratre Ottone eius socio de Lae. C. preposito. H. et W. capellanis et sacerdotibus dominarum et conuentus sanctimonialium quam plurima pars.

Ex originali cum sigillo illaeso ejusdem monasterii.

CCXCII.

Alexander papa IV. Pragensi et Olomucensi episcopis mandat, ut eorum alteruter regem Boëmiae inungere atque coronare possit, dum Moguntinus electus a Sede apostolica non fuerit confirmatus. Dt. Anagniae, pridie Nonas Octobris, 1260.

Alexander episopus seruus seruorum dei. Venerabilibus fratribus .. Pragensi et .. Olomucensi episcopis salutem et apostolicam benedictionem. Quoniam ad subsistentiam multorum et regimen preesse oportet unum singulare precipuum, quia pluralitas in presistentia scissuram induceret et solidam gubernaculi disrumperet firmitatem: preminent quidem ob hoc singulis regnis et mundi prouinciis singula regnantium solia et singule principantium potestates; quia dum reges populis imperant et populi regibus

reverenter intendunt, dum hi humiliter subsunt et illi benigne presunt, dum congruis illi preeunt iussibus et deuotis isti animis obsequuntur, viget ex hoc in eisdem populis concordium unitas animorum, misericordia et veritas sibi obuiant, et iustitia et pax se ad inuicem complectuntur. Ideo namque a summo illo rege, per quem singuli reges regnant et principes principantur, temporalis gladii ad malorum vindictam laudemque bonorum terrenis est regibus attributa potestas, ut assumpto ab eis dominandi officio iudicent in equitate populos et dirigant in terris subiectas sibi gentium nationes, quatenus sit voluntas eorum in executione iustitie ac meditatio in lege rectitudinis et obseruantia sancte pacis. Ad que utique perfectius exercenda iidem reges unctionis sacre virtute, quam per venerabiles Christi ministros antiquo more suscipiunt, donum gratie recipiunt potioris, ut et in prosecutione iusti regiminis fortius conualescant, et tam in se quam in eorum subditis prudentiori et sanctiori spiritu dirigantur. Nam etsi differat principis unctio a pontificis unctione, quia in capite pontifex ungitur, princeps autem in brachio siue humero vel in armo, in quibus principatus congrue designatur, quia etiam illius caput consecratur crismate, brachium vero istius oleo delinitur: vehemens tamen est in ipsis regibus huius efficacia sacramenti, quoniam inuncto Saule insiliit spiritus domini super eum et in virum alterum est mutatus, et in David unctione suscepta spiritus domini est directus; ad insinuandum quoque quod in regibus esse debeat plenitudo virtutum, quodque in eis est integra dominii temporalis auctoritas, capiti principis honorabile ac venerabile sub circulari forma imponitur diadema; a quo siquidem principe, qui talibus decoratur insigniis et titulis presignitur, tamquam a capite subditis velut membris recte vivendi modus indicitur et modestie regula componitur et dictatur. Sane carissimus in Christo filius noster . . *Illustris Rex Boemie*, deuotissimus ecclesie filius, premissa veluti princeps catholicus diligenter attendens, ac sperans per huiusmodi unctionem spiritualis gratie rore perfundi, nobis humiliter supplicauit, ut cum progenitores sui reges Boemie inuncti et coronati in reges extiterint per archiepiscopos Maguntinos, qui fuere pro tempore, ac ipse per dilectum filium . . Maguntinum electum pro eo, quod nondum est eius electio per Sedem apostolicam confirmari (sic), inungi et coronari non possit, eum in regem inungi et regale diadema

suo imponi capiti faceremus. Nos igitur dicti regis deuotionem multimodam attendentes et considerantes, quod progenitoribus suis, qui fuerunt ardentes catholice fidei zelatores, non solum deriuatione sanguinis, sed et puritatis ac bonitatis imitatione succedit, ac cupientes ob hoc eum in his specialiter honorari, ipsius supplicationibus benignius inclinati, Fraternitati vestre mandamus, quatenus vos alter vestrum, adhibito vobiscum decenti episcoporum numero tum propter eiusdem regis honorificentiam, tum propter reuerentiam sacramenti, sibi auctoritate nostra huiusmodi unctionem impendere et capiti eius imponere regale diadema curetis. Volumus autem atque statuimus, ut nullum ex hoc in posterum pontificibus Maguntinis qui erunt pro tempore et ecclesie Maguntine preiudicium generetur, quin circa ipsius regis successores exequantur libere quod ad eos pertinet in hac parte. Ea vero, que exhibiturus esset idem rex archiepiscopo Maguntino si inungeret et coronaret eundem, integre ab eodem rege recipiatis, illa dicto electo, si eum confirmari contingat, alioquin ei, qui predicte Maguntine ecclesie regimini prefuerit, fideliter transmissuri. Datum Anagnie, II. nonas Octobris. Pontificatus nostri anno sexto.

Ex autographo Regesto Alexandri papae IV. anni VI. epist. 124. in tabulariis Vaticanis.

CCXCIII.

Idem Nicolaum, natum regis Boëmiae, legitimitatis titulo decorat, concedilque, ut ad omnes dignitates honoresque saeculares assumi possit. Dt. Anagniae, pridie Nonas Octobris, 1260.

Alexander episcopus seruus seruorum dei. Nobili viro *Nicolao* nato carissimi in Christo filii nostri . . Illustris Regis Boemie, salutem et apostolicam benedictionem. Sedes apostolica gratiarum fructus copiosa ubertate producens, sic fructus ipsos prouida largitione dispensat, quod genere, virtutibus et conditionibus personarum diligenter inspectis, illas facilius potioribus donis anticipat, quas illustris prosapia generis et decore nobilitat et nobilitate decorat. Et quidem circa statum talium personarum adeo se non immerito fauorabilem exhibet potestatis apostolice plenitudo, quod si

que genitorum suorum culpa notam patiuntur originis, illam benigne abolet et clementer astergit, ne altitudinem generis geniture vitium deprimat, et originis macula ingenue titulos obnubilet claritatis. Attendentes igitur, quod carissimus in Christo filius noster . . illustris *Rex Boemie pater tuus* coniugatus te genuerit ex soluta, ac volentes personam tuam intuitu Regis eiusdem, qui semper erga Romanam ecclesiam puritate fidei, deuotionis sinceritate, sedulique prosecutione obsequii specialiter dinoscitur claruisse, precipui fauoris gratia communire, ut quo abundantius apostolici uberis dulcedinem suxeris, tanto vehementius in nostris et predicte ecclesie beneplacitis delecteris, predicti Regis supplicationibus benignius inclinati te legitimitatis titulo auctoritate apostolica decoramus, eadem tibi auctoritate, ut huiusmodi tuorum natalium non obstante defectu ad omnes dignitates, honores et principatus seculares, ad quas vel quos te legitime assumi seu quas vel quos licite tibi conferri contigerit, obtinere libere valeas indulgentes. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostre legitimationis et concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Anagnie, II. nonas Octobris. Pontificatus nostri anno sexto.

Ibidem — epistola 123.

CCXCIV.

Idem regi Boëmiae petenti concedit, ut filiae ejus duae e soluta genitae ad omnes honores saeculares assumi possint. Dt. Anagniae, Nonis Octobris, 1260.

Alexander episcopus seruus seruorum dei. Illustri Regi . . *Boemie* salutem et apostolicam benedictionem. Sedes apostolica gratiarum fructus copiosa ubertate producens, sic fructus ipsos prouida largitione dispensat, quod genere, virtutibus et conditionibus personarum diligenter inspectis, illas facilius potioribus donis anticipat, quas illustris prosapia generis et decore nobilitat et nobilitate decorat. Et quidem circa statum talium personarum adeo se non immerito fauorabilem exhibet potestatis apostolice

plenitudo, quod si que genitorum suorum culpa notam patiuntur originis, illam benigne abolet et clementer astergit, ne altitudinem generis geniture vitium deprimat, et originis macula ingenue titulos obnubilet claritatis. Attendentes igitur, quod tu coniugatus ex quadam soluta duas quas habes ad presens filias genuisti, ac volentes easdem filias intuitu persone tue, que semper erga Romanam ecclesiam puritate fidei, deuotionis sinceritate, sedulique prosecutione obsequii specialiter dinoscitur claruisse, precipui fauoris gratia communire, ut quo abundantius eedem filie apostolici uberis dulcedinem suxerint, tanto vehementius in nostris et predicte ecclesie beneplacitis delectentur, tuis supplicationibus benignius inclinati, predictas filias legitimitatis titulo auctoritate apostolica decoramus, eadem eis auctoritate, ut huiusmodi suorum natalium non obstante defectu, ad omnes dignitates, honores et principatus seculares ad quas vel ad quos eas legitime assumi, seu quas vel quos sibi licite conferri contigerit, obtinere libere valeant indulgentes. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostre legitimationis et concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, iudignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Anagnie, nonis Octobris. Pontificatus nostri anno sexto.

Ibidem — epistola 123. a.

CCXCV.

Otakarus, dominus regni Boëmiae, dux Austriae et Styriae, et marchio Moraviae, de victoria adversus regem Ungarorum et ejus socios obtenta, nec non de concordia cum eodem reformata literas papae transcribit.

Datum Pragae, 8. Octobris, 1260.

A.

Sanctissimo in Christo Patri ac Domino, Dei gratia Sacro Sancte Romane Ecclesie Summo Pontifici, eadem gratia Dominus Regni Boemie, Dux Austrie et Stirie, et Marchio Morauie. Quia pium pastorem suarum a lupis liberatio ouium delectat, et benignum patrem iocundum reddit cum salute prosperitas filiorum, grauis belli, quod aduersus Belam et natum

eiusdem Stephanum Ungarie Reges Illustres et Danielem Regem Russie, et filios eius, et ceteros Ruthenos, ac Thartaros, qui eidem in auxilium venerant, et Boleslaum Cracouiensem, et Laczkonem, iuuenem Lansacie Duces, et innumeram multitudinem inhumanorum hominum Cumanorum, Ungarorum, et diuersorum Sclauorum, Siculorum quoque et Valachorum, Bezzeninorum, et Ismahelitarum, Scismaticorum etiam vtpote Grecorum, Bulgarorum, Rasniensium et Bosniensium hereticorum auctore deo gessimus et victorie nobis date celitus, et post victoriam inter nos ex parte una, et dictos Reges ex altera concordie reformate processum non ab re duximus P. V. preuia veritate presentibus declarandum. Sane cum ad flumen, quod Moraua dicitur, circa locum a castro et oppido Hemburg duobus milliaribus distantem Ungarie et Austrie inibi confinia terminantem cum nostris exercitibus venissemus ex aduerso. Sicque factum est, ut nostra et aduersariorum castra solum duntaxat deuideret fluminis meatus, cumque sic loci positio se haberet, ut aduersarios sine irremediabili nostrorum iactura votiuum possemus consequi accessum, et pro reformando inter nos et eosdem reges pace, postquam fuisset utrimque aliquociens multipliciter attemptatum, ipsis vero Regibus de die in diem, et de hora in horam suas in diuersas variantibus voluntates non restaret aliquis pacis locus. Haut dubium ad instar Pharaonis corda illorum indurante Domino ulcionum. Nouissime unius duorum parte aduerse obtulimus optionem, ut videlicet vel illa nobis cederet, quatenus ad eandem gerendi belli causa transire possemus, vel nos id parti adverse concederemus. E quibus disiunctis partibus alterum pars adversa elegit, ut videlicet nos cederemus, et nostra cessione eisdem locum transeundi daremus, et ut id posse fieri videretur, quovis impedimento cessante, dicti Reges, et eorum rami et comites threvgas constitutas, et suis iuramentis firmatas per totum diem beate Margarethe festum proxime precedentem, et medietatem ipsius festi diei nobis mediantibus ydoneis nunctiis remiserunt. Verum iidem sua facta, et iuramenta soliti violare per vada inventa, et sibi aptata clam nocte ad nostram partem cum omni suo exercitu transierunt. Et cum diceremus pax et securitas, subito cum inenarrabili multitudine contra nos improvisos apparuerunt in campo. Et cum in spe threvgarum vix decima pars nostri exercitus penes nos pro nostre custodia persone remansisset, eo quod plures de nostris transito

nubio oppidum Hemburg intrauerant, alii vero cum curribus descen-
rant ad staciones et loca castrorum, hostes nostri fraude pleni in modum
nicirculi per ordinatas acies nos cingentes nisi Dominus adiuvisset, vivos
sitan deglutissent. Igitur in tam evitabili necessitatis articulo constituti,
endentes potestatem esse celestem, et quoniam non multitudine exercitus,
l de celo victoria datur munere magni Dei, totam in adiutorio Altissimi
em ponentes, nostros adiutores, et commilitones primitus adhortati in
rimos aduersariorum cuneos, data nobis de celo fiducia, irruimus con-
enter. Quos Deus per manus nostras et nostrorum, ymmo suorum mili-
n exterruit, et prostrauit, et in fugam conuertit, ita ut fugientibus cum
petu, et se invicem comprimentibus dictus fluuius Moraua iuxta sui pre-
gii nominis ethimologiam tanquam mare rubrum egiptiis multo cesorum
nguine rubricatus factus, sic in se submersis et intereuntibus mortuis unda.
quidem in eodem flumine fugientium a facie Dei peccatorum tanta periit
ltitudo, quod per cadauera hominum et equorum quasi perfectos pontes
nnulli ex nostris aduersariorum castra intrarent, et occupantes currus
toria et expensas, queque preciosa spolia acceperunt. Quamuis igitur
st triumphum diuinitus nobis datum, quemadmodum communiter videbatur,
gnum Ungarie, nostre dicioni poterimus subiugare, et idem in perpe-
m premere seruitutem, aduertentes tamen, quod melius sit bonum vici-
m habere concordem, quam superare et exterminare rebellem. Pensantes
am, quoniam, ut ait Imperator Constantinus, crebro suauiores sunt ami-
ie post inimicitiarum causas ad concordiam restitute, cum participibus
proximis, alti sanguinis nostri, dictis scilicet Ungarie Regibus et Domina
gina, et Iuuene Rege Bela, secundum oblatam nobis a magno Comite
lando de Posonio formam maluimus pacis federa reformare, quam vastando
debilitando magnum Ungarie Regnum ad idem et nostri terras dominii
rtaris aditum apperire, (prouocare). Itaque compositionis formam predi-
rum Regum, Regine, et Ducis Bele, sigillis signatam vestro Apostolatui
nsmittentes suppliciter petimus eandem a Sede Apostolica confirmari, et
opere precium est, Apostolico in evum patrocinio communiri.

E Pulkavae chronico ad annum.

B.

Itaque talis ac tanta victoria digne soli Deo, et sanctis eius est cum condignis gratiarum actionibus et laudibus adscribenda. Quod etiam ex quibusdam reuelationibus comprobatur: Si quidem a multis fertur, quod quidam viri, qui a tergo ad custodiam exercitus fuerant deputati, imminente prelio referunt se vidisse quamdam auem in lineamentis ad modum aquile figuratam, sed in colore niue candidiorem, habentem aureum caput et collum; vexillum B. Wenceslai, quondam ducis semper vero patroni Bohemorum inclyti martyris, inseparabiliter prosequentem; que passim visa est eisdem crescere qvoad vsque ad pugnam procedentem, vniuersum corpore et plumis cooperuit exercitum Christianum. Eodem etiam die vir nobilis et deuotus, omnibus fide dignus, Ioannes miles, filius Suroslai cum in domo propria egrotaret, circa horam tertiam vidit in extasi, se quasi in campo certaminis cum exercitu suo constitutum; quem cum cerneret esse modicum et inordinatum, simul vidit patronos Bohemie gloriosos ad quemdam campum lucidum tali ordine procedentes: Primo conspicit procedentem S. Wenceslaum lorica indutum, habentem galeam suam in capite gestantem, gladium suum in vagina, auro et gemmis ornata, sub ascella sinistra; in dextra vero manu proprium vexillum preferentem; quem immediate sanctus Adalbertus, velut vir magnus et robustus, decenter ornatus pontificalibus, sequebatur. Posthec vidit beatum Procopium, quasi abbatem, cum suo baculo pastorali, sanctum pontificem e vestigio comitantem; nouissime cernit sequi quinque fratres martyres quasi propriis tunicis vestitos. Ac idem miles audiuit sanctum Wenceslaum predictis glorie sue consortibus sic clara voce dicentem: Debilis est noster exercitus, ad dei potentiam tendamus. Quo dicto vexillum suum contra hostes extendit, qui statim in fugam vniuersaliter visi sunt conuerti. Hec cum ab egrotante, qui adstabant, dixerunt: Hoc egri visum nihil significare, quam quod D. deus regi ipsorum victoriam dederit de suis inimicis. Que hoc loco vestre sanctitati scribo, omnia verissima sunt, et sine omni dubio acceptanda. Itaque pretereundum non esse iudicaui, quin vestre sanctitati tanquam religionis christiane apici significarem propter singulare solatium, vt dei domini nostri gloria per hoc miraculum amplificetur. Datum Prage octaua Octobris MCCLX.

Fejér P. V. Vol. I. pag. 324.

CCXCVI.

Bruno, episcopus Olomucensis, monasterio Oslowanensi jus patronatus ecclesiae in Myslibořice confirmat. Dt. in Modřice, IV. Idus Octobris, 1260.

Bruno dei gratia Olomucensis Episcopus. Dilectis in Christo . . Abbatisse et Conuentui Monasterii in *Ozla*, ordinis cisterciensis, nostre diocesis, salutem in domino. Cum a nobis petitur quod iustum est et honestum, tam vigor equitatis, quam ordo exigit rationis vt id per officii nostri sollicitudinem ad effectum debitum perducatur. Cum igitur sicut vestra nobis exhibita peticio continebat, nobilis vir Hartlibus dictus de Miszelboritz, pium deuotionis zelum erga vos et Monasterium vestrum gerens. Iuspatronatus quod habuisse dinoscitur in ecclesia dicte ville de *Miszelboritz* in vos duxerit transferendum, sicut in litteris suis confectis exinde continetur. nos vestre deuotionis supplicationibus inclinati, dictique nobilis factum pium et prouidum quod gratum et ratum habemus, in domino commendantes, vobis Ius presentandi ad dictam ecclesiam in Miszelboritz, nostro et successorum nostrorum et archidiaconi loci qui pro tempore fuerit per omnia iure saluo, auctoritate ordinaria confirmamus. sub anathematis interminatione districtius inhibentes, ne quis hanc nostram confirmationem presumat infringere, vel ei ausu temerario contraire. In huius autem confirmationis testimonium, presentem vobis concedimus paginam sigilli nostri munimine roboratam. Datum in Moderiz IIII. Idus Octobris anno domini M. CC. LX.

Ex originali cum sigillo illaeso ejusdem monasterii.

CCCXVII.

Alexander papa IV. regi Boëmiae declarat, intentionis suae non esse, ut filius filiaeque ejus, legitimitatis titulo decorati, ad honores etiam regios regnique successionem admittantur. Dt. Anagniae, XII. Kal. Novembris, 1260.

Alexander episcopus seruus seruorum dei. Illustri Regi Boemie salutem et apostolicam benedictionem. Ex parte tua fuit nobis humiliter

supplicatum, ut cum tu coniugatus dilectum filium nobilem virum *Nicolaum* natum tuum et duas quas ad presens habes filias genueris ex soluta, ipsum Nicolaum easdemque filias legitimitatis decorare titulo auctoritate apostolica curaremus, eadem auctoritate concedentes eisdem, ut huiusmodi suorum natalium non obstante defectu, ad omnes dignitates, honores et principatus seculares, ad quas vel ad quos ipsum *Nicolaum et dilectas filias* legitime assumi, seu quas vel quos licite eis conferri contigerit libere valeant obtinere. Nos igitur attendentes, quod tu semper erga Romanam ecclesiam puritate fidei, deuotionis sinceritate, sedulique prosecutione obsequii specialiter claruisti, ac volentes ex hoc eiusdem Nicolai et ipsarum filiarum personas precipui fauoris gratia communire, ut quo abundantius apostolici nberis dulcedinem suxerint, tanto vehementius in nostris et predicte ecclesie beneplacitis delectentur, tuas in hac parte supplicationes libenter ad exauditionis gratiam duximus admittendas. Et ecce apostolicas super huiusmodi dispensatione literas per dilectum filium Magistrum Berardum de Furconio scriptorum nostrum latorem presentium magnitudini tue destinamus. Verumtamen scire te volumus, quod nequaquam nostre intentionis extitit vel existit, quod item Nicolaus vel dicte filie aut aliqua ex eis per huiusmodi literas seu earum pretextu obtinere vel habere possint Regnum Boemie, vel eiusdem regni regiam dignitatem aut succedere in eisdem. Predictum autem scriptorem ideo ad tuam duximus presentiam transmittendum, ut huiusmodi intentionem nostram tibi aperte predicat et hec omnia coram te ex parte nostra publice protestetur. Datum Anagnie, XII. Kalendas Nouembris. Pontificatus nostri anno sexto.

Ex autographo Regesto Alexandri papae IV. anni VI. epist. 124. a. in tabulariis Vaticanis.

CCXCVIII.

Idem magistro Berardo de Furconio mandat, ut regem Boëmiae adiens, mentem Apostolici quoad filium filiasque ejus coram testibus idoneis aperte declaret. Dt. Anagnie, XII. Kalendas Novembris, 1260.

Alexander episcopus seruus seruorum dei. Dilecto filio Magistro Berardo de Furconio scriptori nostro salutem et apostolicam benedictionem.

Ex parte carissimi in Christo filii nostri .. *Illustris Regis Boemie* fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum ipse coniugatus dilectum filium nobilem *Nicolaum natum suum et duas filius* genuerit ex soluta, ipsum Nicolaum easdemque filias legitimitatis decorare titulo auctoritate apostolica curaremus eadem auctoritate concedentes eisdem, ut hujusmodi suorum natalium non obstante defectu, ad omnes dignitates, honores et principatus seculares, ad quos vel ad quos ipsum Nicolaum et dictas filias legitime assumi, seu quas vel quos licite eis conferri contigerit, libere valeant obtinere. Nos igitur attendentes, quod ille semper erga Romanam ecclesiam puritate fidei, devotionis sinceritate, sedulique prosecutione obsequii specialiter claruit, ac volentes ex hoc eiusdem Nicolai et ipsarum filiarum personas precipui fauoris gratia communire, ut quo abundantius apostolici uberis dulcedinem suxerint, tanto vehementius in nostris et predicte ecclesie beneplacitis delectentur, ipsius Regis in hac parte supplicationes libenter ad exauditionis gratiam duximus admittendas. Cum igitur apostolicas super huiusmodi dispensatione literas per te, de cuius sincera fidelitate plenam habemus fiduciam, Regi destinemus eidem, mandamus quatenus ad presentiam dicti Regis te personaliter conferens, coram aliquibus prelatis et aliis personis idoneis sibi aperte predicas in assignatione literarum huiusmodi, et ex parte nostra coram eo publice protesteris, quod nostre nequaquam intentionis extitit vel existit, quod idem Nicolaus vel dicte filie aut aliqua ex eis per huiusmodi literas seu earum pretextu obtinere vel habere possint Regnum Boemie, vel eiusdem regni regiam dignitatem, aut succedere in eisdem; et de protestatione huiusmodi confici facias publicum instrumentum, nobis per te fideliter assignandum. Datum Anagnie XII. Kalendas Novembris. Pontificatus nostri anno sexto.

Ibidem — epistola 125.

CCXCIX.

Olakarus, dominus regni Boëmiae et marchio Moraviae, monialibus Cellae s. Mariae Brunae plantationes domorum prope civitatem concedit. Datum Znoymae, pridie Nonas Decembris, (1260).

Nos Othacharus Dei gratia dominus regni Bohemie, Dux Austrie et Stirie et marchio Morauie iudici, scabinis ac vniuersis ciuibus in Brunna

siue quibuscunque aliis fidelibus suis graciam suam et omne bonum. Licet ex officio regie magestatis pupillorum ac viduarum tribulationibus obuiare et generaliter omnes nobis subiectos in viam pacis dirigere teneamur iuxta dominicam voluntatem; nos tamen affectu speciali et gracia erga Priorissam et conuentum de *Cella s. Marie in Brunna* sumus diuinitus illustrati. Hinc est, quod ad subleuandam inopiam earundem, ad promotionem diuine laudis pro anime nostre remedio concedimus plantationes quarundam domorum nouellas prope muros ciuitatis superius memorate, quas seriose in nostram protectionem recipimus misericorditer et fauorem, mandantes vobis sub obtentu gracie nostre ac rerum vestrarum, ne quis vestrum umquam racione exactionis, siue precarie ciuitatis, siue in iuribus foraliis emendo seu vendendo, uel quacunque alia de causa dictos homines in dictarum dominarum bonis degentes aliquam molestiam indebitam presumat seu violenciam irrogare. Quia quod Deo semel dicatum est, manibus laicorum non licet ulterius attrectari; qui autem de cetero secus facere presumpserit, gratiam nostram se nouerit offendisse. Datum in Zhnoym pridie nonas Decembris.

Ex originali in archivo c. r. aulico Vindobonae.

CCC.

Alexander papa IV. monasterio Welehradensi concedit, ut possessiones et bona fratrum suorum recipere et retinere possit. Datum Laterani, VI. Idus Januarii, 1261.

Alexander episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis abbati et conuentui monasterii de *Welegrad*, Cisterciensis ordinis, Olomucensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Deuotionis uestre precibus inclinati presentium vobis auctoritate concedimus, ut possessiones et alia bona mobilia et immobilia, que liberas personas fratrum vestrorum, mundi relicta vanitate ad vestrum monasterium conuolancium et professionem faciencium, in eodem iure successionis vel alio iusto titulo, si remansissent in seculo, contigissent et ipsi potuissent aliis libere erogare, rebus feudalibus duntaxat exceptis, valeatis petere, recipere ac eciam retinere. Nulli

ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignacionem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Laterani VI. Idus Ianuarii. Pontificatus nostri anno septimo.

E codice Welehradensi fol. 110.

CCCI.

Idem concedit monasterio Tišňowicensi, ut privilegiis et indulgentiis ejus ordini ab apostolica sede concessis libere uti valeat. Datum Laterani, VI. Idus Januarii, 1261.

Alexander episcopus seruus seruorum dei. Dilectis in Christo filiabus Abbatisse et conuentui monasterii de *Porta celi* Cisterciensis ordinis Olomucensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Meritis sacre uestre religionis inducimur, ut fauoris benigni gratia uos iugiter persequentes paci et tranquillitati uestre ne iurgiorum concutiatur procellis imposterum consulamus. Hinc est quod nos uestris supplicationibus inclinati ut priuilegiis et indulgentiis generaliter ordini uestro ab apostolica sede concessis in hiis que uobis competunt uti libere ualeatis auctoritate uobis presentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Laterani VI. Idus Ianuarii Pontificatus nostri anno septimo.

Ex originali ejusdem monasterii.

CCCII.

Idem archiepiscopo Moguntino episcopisque suffraganeis mandat, ut monasterium Welehradense adversus violatores et invasores defendant. Datum Laterani, III. Idus Januarii, 1261.

Alexander episcopus seruus seruorum dei. Venerabilibus fratribus . . Archiepiscopo Maguntino et eius Suffraganeis, ac dilectis filiis, Abba-

tibus, Prioribus, Decanis, archidiaconis, Prepositis, archipresbyteris et aliis ecclesiarum Prelatis per Maguntinam prouinciam constitutis. Salutem et apostolicam benedictionem. Non absque dolore cordis et plurima turbatione didicimus, quod ita in plerisque partibus ecclesiastica censura dissoluitur et canonice sententie seueritas eneruatur, ut uiri religiosi et hii maxime qui per sedis apostolice priuilegia maiori donati sunt libertate. passim malefactoribus suis iniurias sustineant et rapinas. dum vix inuenitur qui congrua illis protectione subueniat et pro fouenda pauperum innocentia se murum defensionis opponat. Specialiter autem dilecti filii . . Abbas et Fratres Monasterii de *Wellegrad* Cistertiensis ordinis Olomucensis diocesis tam de frequentibus iniuriis quam de ipso cotidiano defectu iustitie conquerentes, vniuersitatem vestram litteris petierunt apostolicis excitari, ut ita videlicet eis in tribulationibus suis contra malefactores eorum prompta debeatis magnanimitate consurgere, quod ab angustiis quas sustinent et pressuris vestro possint presidio respirare. Ideoque vniuersitati uestre per apostolica scripta mandamus atque precipimus, quatinus illos qui possessiones uel res seu domos predictorum fratrum inreuerenter invaserint, aut ea iniuste detinuerint, que predictis fratribus ex testamento decedentium relinquuntur seu in ipsos fratres uel ipsorum aliquem contra apostolice sedis indulta sententiam excommunicationis aut interdicti presumpserint promulgare uel decimas laborum de terris habitis ante Concilium generale, ante quod susceperunt eiusdem ordinis instituta, quas propriis manibus aut sumptibus excolunt seu nutrimentis animalium suorum spretis apostolice sedis priuilegiis extorquere monitione premissa si laici fuerint publice candelis accensis singuli vestrum in diocesibus et ecclesiis vestris excommunicationis sententia percellatis. Si uero clerici uel canonici regulares. siue monachi fuerint, eos appellatione remota ab officio et beneficio suspendatis, neutram relaxaturi sententiam donec predictis fratribus plenarie satisfaciant, et tam laici quam clerici seculares qui pro violenta manuum iniectione in fratres eosdem uel ipsorum aliquem anathematis uinculo fuerint innodati, cum diocesani Episcopi litteris ad sedem apostolicam uenientes, ab eodem uinculo mereantur absolui. Datum Laterani III. Idus Ianuarii Pontificatus nostri anno septimo.

Ex originali ejusdem monasterii.

CCCIII.

Idem abbati et conventui Welehradensi indulget, ut in civitatibus, villis et domibus suis liceat eis divina officia celebrare. Datum Laterani, XIX. Kalendas Februarii, 1261.

Alexander episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis . . abbati et conuentui monasterii de *Welegrad* Cisterciensis ordinis, Olomucensis diocesis salutem et apostolicam benediccionem. Deuocionis vestre precibus inclinati auctoritate vobis presencium indulgemus, vt in ciuitatibus, villis, grangiis et domibus vestris liceat vobis diuina officia celebrare sine iuris preiudicio alieni. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostre concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Laterani XIX. Kalendas Februarii. Pontificatus nostri anno septimo.

E codice Welehradensi fol. 113.

CCCIV.

Bruno, episcopus Olomucensis, praedia monasterio Sarensi collata per testamentum Bočkonis auctoritate dioecesana confirmat. Dt. in Modřice, VI. Kalendas Februarii, 1261.

Bruno dei gracia Episcopus Olomucensis Dilectis in christo Henrico Abbati et Conuentui Monasterii in *Saahr* Cisterciensis ordinis Pragensis diocesis Salutem et sinceram in Domino charitatem. Cum a nobis petitur, quod iustum est et honestum, tam vigor equitatis quam ordo exigit racionis ut id per Officii nostri Sollicitudinem ad effectum debitum perducatur. Cum igitur sicut vestra nobis exhibita peticio continebat Nobilis vir bone memorie dominus *Bozko olim Castellanus in Znohem* nostre Diocesis pium erga vos et monasterium vestrum deuocionis zelum gerens villas et possessiones alias in nostra diocesi vobis ac Monasterio vestro in remedium anime sue pia liberalitate cum omni iure ac attinenciis suis quemadmodum ipse possedisse dignoscitur contulerit perpetuo possidendas, quas propriis

vocabulis exprimendas duximus sicut in ipsius litteris confectis exinde vobisque concessis vidimus plenius contineri videlicet *Milhostowizi*, et *Plezna* villas, et medietatem ville *Pulsche* iuxta ciuitatem Oppauiensem. Item in confinio Brunensi *Kozherowe* et *Elhuta*. Item apud castrum *Iarslawiz* villam *Hfrelawiz* et in ea curiam cum duabus cultis araturis et *nemus* apud *Brazla*. Nos uestris supplicationibus fauorabiliter inclinati villas et possessiones easdem quas in nostra diocesi proponitis vos habere, sicut eas iuste ac pacifice possidetis, vobis et propter vos Monasterio de Saahr Pragensis diocesis auctoritate presencium confirmamus, sub anathematis interminacione districtius inhibentes ne quis hanc nostram Confirmacionem presumat infringere vel sibi ausu temerario contraire. Datum in Moderiz VI. Kal. Februarij Anno domini M. CC. L. XI.

Steinbach — P. II. p. 17. ex originali.

CCCV.

Alexander papa IV. confirmat monasterio Oslowanensi jus patronatus ecclesiae s. Jacobi Brunae. Dt. Laterani, V. Kalendas Februarii, 1261.

Alexander episcopus, seruus seruorum dei. Dilectis in Christo filialibus Abbatisse et conuentui monasterii *Vallis Sancte Marie de Ozlaua* Cisterciensis ordinis, Olomucensis diocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Deuotionis augmentum vobis Deo propitio prouenire confidimus, si super hiis, que digne cupitis, nos vobis inuenisse beniuolos gaudeatis. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod, cum clare memorie Primisl, Rex Boemie, ius patronatus, quod in ecclesia *Sancti Iacobi de Burgo Brunnensi* Olomucensis diocesis obtinebat de assensu venerabilis fratris nostri . . Olomucensis Episcopi, regia vobis liberalitate donasset intuitu pietatis, tandem dictus Episcopus circa vos dirigens paterne benignitatis affectum diligenti deliberatione prehabita vobis ordinaria auctoritate concessit, ut dictam ecclesiam tunc vacantem, cuius collatio spectabat ad eum, cum iuribus et pertinentiis suis in vestros usus proprios retinere possitis deputata de prouentibus ipsius ecclesie vicario ibidem perpetuo seruituro pro sustentatione sua et episcopalibus iuribus persoluendis et

supportandis eius consuetis oneribus congrua portione, prout in patentibus litteris exinde confectis ac sigillo Episcopi memorati signatis, plenius dicitur contineri. Nos itaque supplicationibus vestris inclinati, quod ab eisdem Rege et Episcopo super premissis pie et prouide factum est, ratum et firmum habentes, id non obstante, quod ad hoc assensus Olomucensis capituli minime interuenit, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostre confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Laterani V. Kalendas Februarii. Pontificatus nostri anno VII.

Apographum in codice s. Jacobi Brunae saec. XVIII.

CCCVI.

Idem monasterio Welehradensi decimas in possessionibus ipsius ab episcopo Roberto concessas confirmat. Dt. Laterani, V. Kal. Februarii, 1261.

Alexander episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis abbati et conuentui monasterii de *Welegrad,* Cisterciensis ordinis, Olomucensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Solet annuere sedes apostolica piis votis et honestis petencium precibus fauorem beneuolum impertiri. Exhibita siquidem nobis vestra peticio continebat, quod bone memorie *Robertus episcopus Olomucensis* circa vos paterne dirigens benignitatis affectum, decimas in villis, possessionibus, vineis, animalibus et aliis bonis uestris sue diocesis, nec non in aliis, que ad vos et monasterium vestrum empcionis titulo vel alio legittimo modo in eadem diocesi contigerit deuenire, vobis et per vos successoribus vestris inperpetuum de consensu capituli Olomucensis, cum decime huiusmodi ad eosdem episcopum et capitulum pertinerent, communiter pia et prouida liberalitate concessit, prout in patentibus litteris confectis exinde plenius dicitur contineri. Nos itaque vestris supplicacionibus inclinati, quod super hoc ab eodem episcopo pie ac prouide factum est, ratum et firmum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum

liceat, hanc paginam nostre confirmacionis infringere uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignacionem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Laterani quinto Kalendas Februarii. Pontificatus nostri anno septimo.

E codice Welehradensi fol. 109.

CCCVII.

Idem confirmat quasdam possessiones, quas nobilis Smil de Brumow dictus de Střilek monasterio Welehradensi ad fundandum novum monasterium (Smilheim) concessit. Dt. Laterani, III. Kal. Februarii, 1261.

Alexander episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis . . Abbati et Conuentui Monasterii de *Wellegrad* Cisterciensis ordinis Olomucensis diocesis. Salutem et apostolicam benedictionem. Iustis petentium desideriis dignum est nos facilem prebere consensum et uota que a rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Vestra siquidem nobis exhibita petitio continebat, quod dilectus filius Nobilis uir *Zmilo dominus Zdrilke* Olomucensis diocesis, quasdam possessiones spectantes ad eum uobis ad *opus cuiusdam Monasterii* ordinis uestri quod de nouo fundare disponitis pia et prouida liberalitate concessit, prout in patentibus litteris confectis exinde, ac sigillo Nobilis memorati signatis plenius dicitur contineri. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati quod ab eodem Nobili super hoc pie et prouide factum est ratum et firmum habentes id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Laterani III. Kalendas Februarii. Pontificatus nostri anno septimo.

Ex originali ejusdem monasterii. — Item apographum in codice Welehradensi fol. 114.

CCCVIII.

Idem monasterio Tišňowicensi jus patronatus ecclesiae s. Petri Brunae confirmat. Dt. Laterani, III. Kalendas Februarii, 1261.

Alexander episcopus seruus seruorum dei. Dilectis in Christo filiabus .. Abbatisse et Conuentui Monasterii de *Celiporta* Cistertiensis ordinis. Olomucensis diocesis. Salutem et apostolicam benedictionem. Deuotionis augmentum uobis deo propitio prouenire confidimus, si super hiis que digne cupitis nos uobis inuenisse beniuolos gaudeatis. Sane petitio uestra nobis exhibita continebat, quod cum clare memorie W.(enceslaus) Rex Boemie, ius patronatus quod in ecclesia *sancti Petri de Burgo Brunensi,* Olomucensis diocesis obtinebat, de assensu venerabilis fratris nostri . . Olomucensis Episcopi Regia liberalitate uobis donasset, intuitu pietatis. tandem dictus Episcopus, circa uos dirigens paterne benignitatis affectum, diligenti deliberatione prehabita, uobis ordinaria auctoritate concessit. ut dictam ecclesiam in qua Rectoris institutio spectabat ad eum, cum iuribus, et pertinentiis suis, cedente, uel decedente illius Rectore, in uestros usus proprios retinere possitis, deputata de prouentibus ipsius ecclesie vicario ibidem perpetuo seruituro, pro sustentatione sua et episcopalibus iuribus persoluendis, et supportandis eius consuetis oneribus congrua portione. prout in patentibus litteris confectis exinde, ac sigillo Episcopi memorati signatis, plenius dicitur contineri. Nos itaque uestris supplicationibus inclinati, quod ab eisdem Rege, et Episcopo, super premissis, pie ac prouide factum est, ratum et firmum habentes, id non obstante, quod ad hoc assensus Olomucensis Capituli minime interuenit, auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere, uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Laterani III. Kalendas Februarii. Pontificatus nostri anno septimo.

Ex originali ejusdem monasterii.

CCCIX.

Idem mandat episcopo Olomucensi, ut bona a monasterio Welehradensi alienata revocare studeat. Dt. Laterani, Nonis Februarii, **1261.**

Alexander episcopus seruus seruorum dei. Venerabili fratri . . Episcopo *Olomucensi.* Salutem et apostolicam benedictionem. Ad audientiam nostram peruenit, quod tam dilecti filii . . Abbas et Conuentus Monasterii de *Vallegrande* Cisterciensis ordinis Olomucensis diocesis, quam predecessores eorum Grangias, redditus, terras, possessiones et quedam alia bona eiusdem Monasterii nonnullis clericis et laicis aliquibus eorum ad uitam, quibusdam uero ad non modicum tempus et aliis perpetuo ad firmam uel sub censu annuo concesserunt datis super hoc litteris, factis renuntiationibus seu conuentionibus, adiectis penis et interpositis iuramentis in enormem ipsius lesionem. quorum aliqui dicuntur super hiis in forma communi a sede apostolica confirmationis litteras impetrasse. Quia uero nostra interest lesis Monasteriis et ecclesiis subuenire, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus. quatinus ea que de bonis ipsius Monasterii per concessiones huiusmodi, alienata inueneris illicite uel districta, non obstantibus renuntiationibus, conuentionibus, penis, iuramentis, confirmationibus et litteris supradictis ad ius et proprietatem eiusdem Monasterii studeas legitime reuocare. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Testes autem qui fuerint nominati si se gratia, odio uel timore subtraxerint, per censuram eandem, appellatione cessante compellas ueritati testimonium perhibere. Datum Laterani Nonis Februarii. Pontificatus nostri anno Septimo.

Ex originali ejusdem monasterii. — Item in codice eodem fol. 113.

CCCX.

Idem monasterio Tišňowicensi concedit, ut professarum suarum possessiones recipere et retinere possit. Dt. Laterani, V. Idus Februarii, **1261.**

Alexander episcopus seruus seruorum dei. Dilectis in Christo filiabus Abbatisse et conuentui monasterii de *porta celi* Cisterciensis ordinis

Olomucensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Deuotionis uestre precibus inclinati presentium uobis auctoritate concedimus ut possessiones et alia bona mobilia et immobilia que liberas personas sororum uestrarum mundi relicta uanitate ad uestrum monasterium conuolantium et professionem facientium in eodem iure successionis uel alio iusto titulo si remansissent in seculo contigissent et ipse potuissent aliis libere erogare rebus feudalibus dumtaxat exceptis ualeatis expetere recipere ac etiam retinere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Laterani V. Idus Februarii. Pontificatus nostri anno Septimo.

Ex originali ejusdem monasterii.

CCCXI.

Idem mandat abbati Scotorum, ut litem inter monasterium Tišňowicense et plebanum de Biteš aliosque clericos super decimis decidat. Dt. Laterani, V. Idus Februarii, 1261.

Alexander episcopus seruus seruorum dei. Dilecto filio Abbati monasterii de Scotis Wiennensis Patauiensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Conqueste sunt nobis dilecte in Christo filie Abbatissa et conuentus monasterii de *Porta Celi* Cisterciensis ordinis quod plebanus ecclesie de *Heinrichs* et quidam alii clerici Olomucensis ciuitatis et diocesis super decimis terris possessionibus et rebus aliis iniuriantur eisdem. Ideoque discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus partibus conuocatis audias causam et appellatione remota debito fine decidas, faciens quod decreueris per censuram ecclesiasticam firmiter obseruari. Testes autem qui fuerint uocati si se gracia odio uel timore subtraxerint censura simili appellatione cessante compellas ueritati testimonium perhibere. Datum Laterani V. Idus Februarii. Pontificatus nostri anno septimo.

Ex originali ejusdem monasterii.

CCCXII.

Idem in monasterio Welehradensi indulget sepulturam fundatoribus et aliis saecularibus. Dt. Laterani, Idibus Februarii, 1261.

Alexander episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis . . abbati et conuentui monasterii de *Welegrad* Cisterciensis ordinis, Olomucensis diocesis salutem et apostolicam benediccionem. Solet annuere sedes apostolica piis votis et honestis petencium desideriis fauorem beneuolum impertiri. Eapropter dilecti in domino filii uestris iustis postulacionibus grato concurrentes assensu, auctoritate vobis presencium indulgemus, ut si fundatores Monasterii vestri vel alii Christi fideles aput vestrum monasterium elegerunt sepulturam, dummodo non sint excommunicati vel interdicti aut eciam publici vsurarii deuocioni et extreme voluntati eorum in hac parte nullus obsistat, sed liceat vobis illorum corpora, cum decesserint, non obstante alicuius contradiccione temeraria ecclesiastice tradere sepulture, salua tamen iusticia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumentur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignacionem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Laterani Idus Februarii. Pontificatus nostri anno septimo.

E codice Welehradensi fol. 110.

CCCXIII.

Idem monasterio Welehradensi indulget, ut ad receptionem et provisionem alicujus in beneficiis ecclesiae minime teneantur. Dt. Laterani, Idibus Februarii, 1261.

Alexander episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis . . abbati et conuentui monasterii de *Welegrad*, Cisterciensis ordinis, Olomucensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Meritis vestre sacre religionis inducimur, ut vos speciali gracia prosequamur, hinc est, quod nos vestris supplicacionibus annuentes auctoritate vobis presencium indulgemus,

vt ad receptionem et prouisionem alicuius in pensionibus vel beneficiis ecclesiasticis minime teneamini nec ad id compelli possitis per litteras apostolicas, que plenam et expressam de indulgencia huiusmodi et ordine vestro non fecerint mencionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignacionem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Laterani Idus Februarii. Pontificatus nostri anno septimo.

Ibidem — fol. 111.

CCCXIV.

Idem monasterio Tišňowicensi confirmat jus patronatus ecclesiae s. Wenceslai in Tišňowice. Dt. Laterani, XV. Kalendas Martii, 1261.

Alexander episcopus seruus seruorum dei. Dilectis in Christo filiabus Abbatisse et conuentui monasterii de *Celiporta* Cisterciensis ordinis Olomucensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Deuotionis augmentum uobis deo propitio prouenire confidimus si super hiis que digne cupitis nos uobis inuenisse beniuolos gaudeatis. Sane petitio uestra nobis exhibita continebat quod cum clare memorie *Constantia* regina Boemie ius patronatus quod in *ecclesia sancti Vuenceslai de Thusnawiz* Olomucensis diocesis obtinebat uobis regia liberalitate donasset intuitu pietatis tandem bone memorie Robertus Olomucensis episcopus huiusmodi donationem approbans diligenti deliberatione prehabita uobis ordinaria auctoritate concessit ut dictam ecclesiam in qua rectoris institutio spectabat ad eum cum iuribus et pertinentiis suis cedente uel decedente illius rectore in uestros usus proprios retinere possitis deputata de prouentibus ipsius ecclesie uicario presbytero ibidem perpetuo seruituro pro sustentatione sua et episcopalibus iuribus persoluendis ac supportandis eius consuetis oneribus congrua portione prout in patentibus litteris confectis exinde ac sigillo episcopi memorati signatis plenius dicitur contineri. Nos itaque uestris supplicationibus inclinati quod ab eisdem regina et episcopo super premissis pie ac prouide factum est ratum et firmum habentes id non obstante quod

ad hoc assensus Olomucensis capituli minime interuenit auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmacionis infringere uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Laterani XV. Kalendas Martii Pontificatus nostri anno septimo.

Ex originali ejusdem monasterii.

CCCXV.

Idem indulget monasterio Welehradensi, ut de bonis sibi collatis nullam teneatur solvere portionem. Dt. Laterani, X. Kal. Martii, 1261.

Alexander episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis . . Abbati et Conuentui Monasterii de *Wellegrad* Cisterciensis ordinis. Olomucensis diocesis. Salutem et apostolicam benedictionem. Meritis uestre sacre religionis inducimur, ut uos speciali gracia prosequamur. Hinc est quod nos uestris supplicationibus annuentes, auctoritate uobis presentium indulgemus, ut de bonis mobilibus et immobilibus, feudalibus duntaxat exceptis, que Christi fideles sani et incolumes ad se spectantia in uita sua uobis et Monasterio uestro contulerint intuitu pietatis, nullam teneamini alicui soluere portionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere, uel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Laterani X. Kalendas Martii. Pontificatus nostri anno septimo.

Ex originali ejusdem monasterii. — Cod. Welehrad fol. 113.

CCCXVI.

Idem possessiones et libertates monasterio Welehradensi concessas latissime enumerat et confirmat. Dt. Laterani, V. Kal. Martii, 1261.

Alexander episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis . . abbati monasterii sancte Marie in *welegrad* eiusque fratribus tam presentibus

quam futuris regularem vitam professis imperpetuum. Religiosam vitam eligentibus apostolicum conuenit adesse presidium ne forte cuiuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito reuocet aut robur quod absit sacre religionis infringat. Ea propter dilecti in domino filii vestris iustis postulacionibus clementer annuimus et monasterium sancte dei genitricis et virginis Marie de *Welegrad* Olomucensis diocesis in quo diuino mancipati estis obsequio sub beati Petri et nostra proteccione suscipimus et presentis scripti priuilegio communimus. Inprimis siquidem statuentes, ut ordo monasticus qui secundum deum et beati Benedicti regulam atque institucionem Cisterciensium fratrum a nobis ante concilium generale susceptam in eodem monasterio institutus esse dinoscitur perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur. Preterea quascumque possessiones quecumque bona idem monasterium inpresenciarum iuste ac canonice possidet aut in futurum concessione pontificum largicione regum uel principum oblacione fidelium seu aliis iustis modis prestante domino poterit adipisci summa uobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo prefatum monasterium situm est cum omnibus pertinenciis suis decimas terras possessiones prata et pascua que habetis in villa que dicitur *Welegrad.* decimas terras possessiones prata et pascua que habetis in villa que dicitur *Maraticz.* terras possessiones prata et pascua in villis *Popowicz et Popowicz* vulgariter nominatis. terras possessiones prata et pascua in villa que dicitur *Kennespole.* decimas possessiones prata et pascua que habetis in villis *Walcowicz. Ceichowe. Tupicz* et *Borschicz* vulgariter nominatis. Possessiones prata et pascua que habetis in villis *Costelan Babicz Wasan Nealu (?)* et *Traplicz* vulgariter nuncupatis. Possessiones molendina cum aquarum decursibus prata pascua que habetis in villa que *Naconicz* vulgariter nominatur. Possessiones decimas vineas prata et pascua que habetis in villis *Poelspicz Prist Poluwaricz Nenewicz Clobhuc Mistersinghen Domaninghen Vriecha Luebric wulkowicz et walterstoph* vulgariter nuncupatis. possessiones decimas vineas molendina cum aquarum decursibus prata pascua et piscarias quas habetis in villis *Prillhuc Nemsicz* vulgariter nominatis. possessiones prata et pascua que habetis in villa que *Stiboricz* dicitur et in villis omnibus dependentibus ab eadem cum terris pratis vineis nemo-

ribus vsuagiis et pascuis in bosco et plano in aquis et molendinis in viis et semitis et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis. Sane laborum uestrorum de possessionibus habitis ante concilium generale ac eciam noualium que propriis manibus aut sumptibus colitis de quibus noualibus aliquis hactenus non percepit siue de ortis virgultis et piscacionibus uestris uel de nutrimentis animalium uestrorum nullus a uobis decimas exigere uel extorquere presumat. Liceat quoque uobis clericos *(etc. . . . uti in bulla Innocentii papae III. dt. II. Kal. Maji. MCCVIII. — sub n. XXXIX. Tomi II. . . . usque* premia eterne pacis inueniant. Amen.) . . . Datum Laterani per manum magistri Iordani sancte Romane ecclesie notarii et vicecancellarii V. Kalendas Marcii. Indiccione III. Incarnacionis dominice Anno millesimo CC. LX. Pontificatus uero domini Alexandri pape IIII. anno septimo.

E codice Welehradensi MS. fol. 94.

CCCXVII.

Idem confirmat rectori ecclesiae sancti Jacobi Brunae incorporatam per Robertum, episcopum Olomucensem, capellam s. Nicolai. Dt. Laterani, V. Idus Martii, 1261.

Alexander episcopus seruus seruorum dei. Dilecto filio, rectori ecclesie sancti Iacobi in burgo Brunnensi, Olomucensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod iustum est et honestum, tam vigor equitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Sane petitio tua nobis exhibita continebat, quod bone memorie Robertus, Olomucensis episcopus, de consensu capituli sui duxit deliberatione prouida ordinandum: ut ecclesia tua sancti *Iacobi in burgo Brunnensi* parochiam ipsius loci, que nondum deputata fuerat alteri ecclesie, habeat, et in eadem ecclesia sancti Iacobi predicte parochie pueri baptizentur, et parochiani eius recipiant ibidem omnia ecclesiastica sacramenta, nec non quod ecclesia ipsa liberam habeat sepulturam; declarans et statuens, quod capella s. *Nicolai* supradicti loci, que a predicta dependet ecclesia, parochiam aut ius aliquod

parochiale habere non debet, prout in patentibus litteris, confectis exinde ac sigillo episcopi prefati signatis plenius dicitur contineri. Quia vero huiusmodi ordinatio, statutum et declaratio sunt, sicut asseris, a longis retroactis temporibus pacifice obseruata: nos tuis supplicationibus inclinati, quod super ipsis ab eodem episcopo prouide factum est, et in alicuius preiudicium non redundat, ratum et firmum habentes id auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostre confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Laterani, V. Idus Martii. Pontificatus nostri anno septimo.

E codice ecclesiae s. Jacobi Brunae saec. XVIII.

CCCXVIII.

Pataviensis, Olomucensis et Pragensis episcopi promittunt, Otakarum regem initam cum rege Ungariae pacem servaturum sub excommunicationis poena. Dt. Viennae, pridie Kalendas Aprilis, 1261.

Nos O. Patauiensis, B. Olomucensis et I. Pragensis dei gracia ecclesiarum episcopi, omnibus presentium inspectoribus declaramus nos promisisse et promittere bona fide, quod dominum nostrum, dominum regni Boemie, ducem Austrie et Styrie marchionemque Morauie, ad obseruandum omnia illa et singula, que in instrumentis inter dominum nostrum antedictum, et dominum regem Ungarie et reginam ac ipsorum filios mediantibus religioso viro fratre Ludwico de domo Teutonica commendatore domorum per Boemiam et nobilibus viris Iarosio Pragensi purcrauio, et Wokkone marscalco regni Boemie confectis continentur omni diligentia inducemus. Si vero compositionem predictam per dominum nostrum vel suos contigerit violari, et idem dominus noster requisitus non emendaret infra quartuor mensium spatium ex tunc ipsum denuntiabimus excommunicationis vinculo innodatum quiuis nostrum in diocese sua. terras eius ecclesiastico subicientes interdicto et ad hoc faciendum quilibet nostrum iurauimus

et per virtutem prestiti sacramenti nos obligauimus, et obligamus presentium testimonio litterarum, quibus sigilla nostra duximus appendenda, et ut premissa omnia suum fortiantur effectum, memoratus regni Boemie dominus, dux Austrie et Styrie Marchioque morauie, se et terras suas nostre iurisdictioni subiecit, renuntiando priuilegijs omnibus pro sua persona vel terris suis omnibus, a sede apostolica indultis, inpetratis vel impetrandis, super eo videlicet, quod persona ipsius excommunicari, vel terre sue interdici non possint, absque sedis apostolice mandato, vel eius nuntio speciali. Datum Vienne Anno domini MCCLXI. pridie Calendas Aprilis.

Hormayr — Archiv 1828. pag. 480.

CCCXIX.

Otto, episcopus Pataviensis notificat, sese Otakarum regem esse excommunicaturum, si pacem cum rege Ungariae initam non servaverit. Datum Pataviae, VII. Idus Aprilis, 1261.

Otto, dei gratia ecclesie Patauiensis episcopus uniuersis Christi fidelibus hanc litteram inspecturis salutem in domino. Quia pacis tranquillitas et bonum concordie piis amplectanda affectionibus et sinceris nos qui pacis et concordie debemus esse modis omnibus sectatores, ad peticionem et instantiam serenissimi domini O. regis Bohemie, ducis Austrie et Styrie, Marchionis Morauie, iurati promittimus bona fide, quod ipsum per nostram diocesem excommunicabimus et terram ipsius Austriam ecclesiastico supponemus interdicto si idem, quod absit, formam concordie inter ipsum et dominum regem Hungarie ordinatam, iuxta quod in instrumentis ipsorum exinde confectis continetur, excesserit et attemptauerit violare. In cuius rei testimonium presentes litteras nostro sigillo fecimus communiri. Datum patauie anno domini MCCLXI, VII. Idus Aprilis.

Ibidem.

CCCXX.

Urbanus papa IV. eximit religiosos ordinis s. Sepulchri de Zděraz eorumque ecclesias a jurisdictione episcopi Olomucensis. Dt. Viterbii, VI. Kal. Maji, 1261.

Urbanus episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis . . . Preposito, et fratribus domus Dominici Sepulchri de *Sderaz* ordinis Sancti Augustini Pragensis diocesis salutem et apostolicam bendiccionem. Pro re delectabili et iocunda ducimus, ut cum loca diuino dicata cultui ex potestate nobis diuinitus attributa multipliciter honorare possimus, sanctam Ierosolimitanam ecclesiam, et uniuersa loca subdita sibi, de cuius regimine, licet immeriti, fuimus ad apostolice dignitatis fastigium euocati, graciosi fauoris munere prosequamur. Sane peticio vestra nobis exhibita continebat, quod licet in ecclesiis, quas in *Olomucensis civitate ac diocesi* obtinetis, per fratres domus vestre presbyteros consueueritis a tempore, cuius non existit memoria, facere seruiri. Venerabilis tamen frater noster *Olomucensis* episcopus vos super hoc interdum molestat, pro sue libitu voluntatis in vestrum, ac eiusdem domus preiudicium, et ipsius ecclesie Ierosolimitane, ad quam prefata domus pleno iure pertinet, non modicum detrimentum. Quia vero iam dicta ecclesia cum omnibus suis membris ad Romanam ecclesiam nullo pertinet mediante, nos ipsam volentes plena exempcionis libertate gaudere, ut in dictis ecclesiis sicut hactenus, sic et in posterum per huiusmodi fratres possitis facere deseruiri, non obstante contradiccione temeraria prefati Episcopi, vobis auctoritate presencium indulgemus. Sentencias autem suspensionis, aut interdicti, vel excommunicacionis, si que propter hoc in vos, vel aliquem vestrum per eundem episcopum, aut alium de mandato eius promulgate fuerint, ex nunc decernimus irritas, et inanes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis, et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignacionem omnipotentis dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Viterbii VI. Kalendas Maii. Pontificatus nostri anno primo.

Dobner — Monumenta IV. 267.

CCCXXI.

Idem committit episcopo Pragensi, ut defendat religiosos s. Sepulchri in Zděraz adversus capitulum ecclesiae Olomucensis. Dt. Viterbii, VI. Kal. Maji, 1261.

Urbanus episcopus seruus seruorum dei. Venerabili fratri . . episcopo Pragensi salutem et apostolicam benediccionem. Dilecti filii . . . prepositus et fratres domus Dominici Sepulchri de *Sderaz* nobis grauiter sunt conquesti, quod decanus et capitulum Olomucensis diocesis *Brunensem, Znoemensem* et *Betouensem* ecclesias ad dictam domum pleno iure spectantes indebitis exaccionibus aggrauant, et molestant. Quocirca paternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, dictum decanum, quod ab huiusmodi exaccionibus omnino desistat, monicione premissa per censuram ecclesiasticam appellacione remota preuia racione compellas. Non obstante, si eis, vel ipsorum alicui a sede apostolica sit indultum, quod suspendi, vel interdici, aut excommunicari non possint, sine aliqua ipsius sedis indulgencia, per quam effectus iusticie in hac parte impediri valeat, vel differri, et de qua in nostris literis plenam et expressam oporteat fieri mencionem, seu constitucione de duabus diebus edita in concilio generali, ita quod ultra terciam vel quartam aliquis extra suam diocesim auctoritate presencium ad iudicium non trahatur. Datum Viterbii VI. Kalendas Maii. Pontificatus nostri anno primo.

Ibidem.

CCCXXII.

Elisabeth, relicta Kadoldi Orphani, renovat collationem juris patronatus ecclesiae in Mohelno, et resignat curticulam et quinque laneos in Popowice monasterio Oslowanensi. Dt. in Ozlowan XIV. Kal. Junii, 1261.

In nomine patris et filii et spiritus sancti amen. Cum sacrilegium in distractione rerum ecclesiasticarum committatur. et sanctorum patrum decreuerit auctoritas. vt omnium ecclesiarum modis omnibus vitetur indemnitas (sic). decet et expedit quod ea que pia hominum deuotione ecclesiis

conferuntur. litterarum notionibus et testium assertionibus conseruentur. ne cursu temporis que rite pro animarum salute scilicet et religiosis locis collata sunt erronee et vesane retractentur. Inde est quod ego Elisabeth vxor beate memorie domini Kadoldi orphani notum esse cvpio vniuersis tam presentibus quam futuris. quod rem multis annis retroactis pie inceptam. piius et deuocius innouaui. videlicet in eo quod ius patronatus ecclesie in *Mohvln* ecclesie *ozlawensi* et collegio inibi devote deo famulanti a principibus dudvm collatam recognoui. Preterea notum façio quod iam dictus Kadoldus pro agro dotali quem ab ecclesia Mohvln alienauerat in vita sua lanevm et curticulam restaurauit. et ego vt plena fieret reconpensatio curticulam addidi. Insuper quinque laneos qui a dicta ecclesia alienati fuerant in villa que dicitur *Pobwiz* resignaui. Testes huius rei sunt Wilhelmus et Milota de ordine fratrum minorum. Otto et Heinricus sacerdotes de Ozlawan. Kadoldus miles qui cognominatur Weinger. Cvonradus miles de dvrrenholz. et alii quam plures. Et vt hec firmitatem habeant. presentem paginam sigilli nostri appensione roboraui. Datum in Ozla anno domini M. CC. LXI. XIIII. Kalendas Ivnij.

Ex originali cum sigillo bene conservato in archivo ejusdem monasterii.

CCCXXIII.

Olakarus, dominus regni Boëmiae, Austriae et Styriae dux, et marchio Moraviae, Brunoni, episcopo Olomucensi, pro magnis serviliis ab ipso praestitis confert circuitum Huljn cum villis Prawčice, Němčice et Altendorf. Dl. apud „Piezk," X. Kalendas Junii, 1261.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis amen. Nos Othacarus qui et Premizl. dei gratia dominus regni Boemie, Austrie et Styrie dux, marchioque Morauie. omnibus imperpetuum. Interest principaliter regum, grata suorum fidelium et deuotorum obsequia, gratuitis compensare retribucionibus, et eorum vota diligenter attendere, et sic ea effectu prosequente complere, vt eis quasi debitam exhibentes graciam, multos alios sibi constituant in fide ac constancia debitores. et dum benemeritos iuste remunerant, plures alios ad bene merendum alliciant et inuitent. Cupientes igitur prompti ad graciam inueniri, libenter et liberaliter sicut decet fidelibus nostris illam

impendimus, qui eam tamquam ipsis debitam, propriis student sibi fidei et constancie meritis vendicare. Sane sincere deuocionis affectus, et fidei puritas indefesse, quam reuerendus in Christo pater, dominus Bruno, venerabilis Olomucensis ecclesie episcopus, erga nostram incessanter gessit *celsitudinem, iuste ac laudabiliter promeretur, quod non solum ipsum, et Olomucensem ecclesiam prosequamur gracia et fauore; verumeciam ex habundanti nostre liberalitatis munificencia,* cum benefecisse bonis sit ex *omni parte lucrosum, quibus possumus honoribus et profectibus attollere debeamus. Hinc est quod inspectis seruiciis multiplicibus atque magnis, que non sine graui persone sue periculo, et maximo rerum suarum dispendio, tamdiu nobis pro defensione terre, et honoris nostri, contra nostros aduersarios impendit fideliter,* vtiliter et prudenter, vt regii fauoris et *gracie* plenitudo, circa sui et ecclesie sue honoris et comodi promocionem, liberaliter extendatur; damus et concedimus, et conferimus ipsi et *ecclesie suo nomine suo,* et ipsius successoribus in eadem, pia et mera liberalitate, totum districtum *Hulyn* cum ipsa forensi villa *Hulyn* et aliis villis ad ipsam spectantibus *Praweziz Nemeziz,* et *Allendorf* cum omnibus attinenciis suis, agris, cultis et incultis, siluis, nemoribus, venacionibus, pascuis, pratis, aquis, et aquarum decursibus, piscacionibus, molendinis, theloneis, viis et inuiis, iure pleno et iurisdictione perfecta, per ipsum episcopum, et successores ipsius, et ecclesie nomine suo, cum iurepatronatus ecclesie in *Hulyn.* perpetue possidendum. quemadmodum progenitores nostri, et nos ad hec tempora dinoscimur possedisse. Igitur ne in posterum calumpnia modernorum actuum nouerca, inuenire ualeat sibi locum, vel dictus episcopus, aut successores ipsius, et ecclesia inquietari super premissis per aliquos valeat infuturum; presens instrumentum sigillorum nostrorum munimine consignitum, cum subscriptione testium qui tunc aderant, ipsis dedimus ad cautelam. Testes huius rei sunt: *Fridericus, filius domine G.(ertrudis) ducisse de Iudenburch. H.(enricus) filius domini H. ducis Slesie.* Herbordus prepositus Olomucensis. Heydolfus archidiaconus Znoymensis. Chunradus notarius ipsius episcopi Olomucensis. De Boemia. Wocko marscalcus regni Boemie. Ieroscius purcrauius Pragensis. Zmilo de Lubtenburch. Andreas summus camerarius regni. Hermannus subcamerarius. Diwiscius dapifer. Stiborius Hlauua. Onsco subpincerna.

De Morauia. Benescius camerarius Znoymensis. Ditricus camerarius Vetowensis. Nezamizl pincerna. Chuno marscalcus Morauie. Zmilo de Brumowe. Iaenzo burcrauius de Gretz. Hartlibus frater suus. et alii quam plures. Actum apud Piezk. Anno dominice incarnacionis Millesimo ducentesimo sexagesimo primo. Datum per manum magistri Arnoldi tunc prothonotarii nostri. Decimo Kalendas Iunij. indictione iiij.

Ex originalibus literis cum sigillis illaesis in arch. capituli Olomucensis, necnon archiepiscopali Cremsiriensi. — Apograph. in codicibus Cremsiriensi B. V. — Olomucensi fol. 11. et 18.

CCCXXIV.

Smil, castellanus Brumoviensis, dictus de Střjlek, fundat monasterium Cisterciensis ordinis in Wyzowice, a nomine suo Smilheim appellatum, dotemque assignat et latissime describit. Dt. Olomucii, dominica post assumtionem Mariae, 1261.

In nomine sancte trinitatis et indiuidue vnitatis. Amen. Nos Zmilo de Strieltz, castellanus perpetuus Brunowensis, Vniuersis Christi fidelibus, tenorem presentis cedule cognituris, ad rei memoriam sempiternam. Quoniam sacre scripture dogmate attestante et cottidiano humane fluxibilitatis exemplo nos euidencius edocente, omnes morimur et quasi aqua in terram dilabimur, que non reuersatur. Vnde necesse est, vt iuxta Christi euangelizacionis hortamina, thezauros nobis in celo, thezaurizare studiosius sathagamus, vbi nec erugo nec tynea demolitur, nec fures effodiunt nec furantur, de mammona iniquitatis seu presentis fallacis seculi diuiciis, amicos nobis facientes, qui cum defecerimus, de hoc nequam seculo exituri, gratulantes tamquam ouem perditam et inuentam in habitacula nos recipiant sempiterna. Nouerit igitur tam presens hominum etas hos apices cognitura, quam in Christo fidelium posteritas successura: Quod nos *Zmilo castellanus de Brunow*, vnacum *Bohuvlast* nostra coniuge predilecta, vnanimi deliberatione prehabita, peccata nostra more fidelium redimere cupientes, maxime cum heredibus et liberorum propagine volente deo careamus, ad honorem dei omnipotentis et beatissime virginis Marie, eius gloriose

genitricis, omniumque sanctorum Cysterciensis ordinis abbatiam in propria hereditate nostra *Bysowicz* fundauimus serenissimi domini nostri Psremizel, qui et Ottakarus, domini regni Boemie, ducis Austrie ac Styrie, marchionisque Morauie voluntate ac fauoris liberalitate accedente, necnon et reuerendo in Christo patre ac domino, domino Brunone episcopo Olomucensi consentiente, in cuius dyocesi est fundata, nomen eidem abbacie *Zmilenheim* nostro ex nomine imponentes, venerabili domino *Nicolao, Welegradensis* ecclesie abbati, secundum Cysterciensis ordinis instituta, vtpote a conuentu *Welegradensium* propagatam, committendo visitacionis officia, seu alia quelibet iura ordinis predicti ab eodem suisque successoribus regulariter substituendis, more debito percepturam. Vt ergo predictam nouellam abbatiam, a nobis inchoatam, successus prosperi comitentur, et fratres inibi deo die ac nocte fideliter seruituri, ad habenda uite necessaria fulciantur, subscriptas villas et hereditates illis contulimus iure hereditario perpetuo possidendas. In primis *Bysowicz* tercie ferie forum. *Krasteschow Luthonin* villas et omne quod habuimus in *Zadwasicz Dyrnowicz Byssoka Lhota*, que et *Byssokapoli* dicitur, villas *Wilperkc* insuper, siue *Vgesd* vocatam villam forensem, ferie quinte, *Lutsch* preterea villam, *Halosicz* quoque et *Zmilonov* villas iam sitas, et adhuc plurimis circumquaque in eodem nemore statuendis, omni iure, quo possedimus, eisdem fratribus tradidimus cum metis et terminis suis perpetuo possidendas. Et quia diuturnitas facti et gesti operis longeuitas a memorie defectu rubiginatur, inducitque sepius opinionem erroris, idcirco metas, prout tenuimus et tenemus, ab omni inquietacione circumquaque residencium libere et quiete huic charte propter futurum malum contencionis, a prenotatis fratribus amouendum decernimus inscribendas. Incipiunt enim contra *Sluschowicz*, vbi influit *Ostrata* in *Drsievnicz* et per vltimam vallem, que est contra Sluschowicz, ascendunt in cacumen montis, et in illo cacumine montis transeunt ad quoddam signum aque, que dicitur *Pschemina*, abinde per idem cacumen vadunt, quo oriuntur *Roketnicz* ad dextram et *Tyrnawa* ad sinistram, quibus riuulis pretermissis pertingunt in *Czieschikowpotok*, per cuius defluxum descendunt in *Betschwa*, hoc considerato, quod quicquid a prescripto monte defluit per aquam pluuialem siue viuam in dexteram partem, et per Betschwa, vsque in *Syennicza* et sursum, vbi a tergo dimittitur *Mammona huera* et

Polumpni donec influat *Blatnasyenenka*, que in eodem monte oritur, vbi et due aque habent inceptum, que vocantur *Smolin*, in vtroque littore plenam et firmam habuimus et habemus potestatem, molendina locandi, siue in virgultis ibi natis, et in piscacione, et in omnium fructu, qui poterit prouenire ibidem. Per Smolina vero descendunt coequaliter gradiuntur in *Camenecz*, qui admixtus cum *Byschnowa* et *Boynieczin* ostentant metas, vbi influit *Schwework* in easdem. Schwework ingreditur riuulus, qui oritur sub monte, qui est vltra *Blachowicz*, per quem riuulum ascendunt et ab ortu eiusdem transcendunt vltra *Motschedni*, et tenent medietatem montis vltra *Milonov* vsque in aquam dictam *Nevschowa*, per quam aquam ascendunt montem oppositum, sub quo simili modo fluit Milonov, et incumbunt descensui montis et distinguunt per aquam pluuialem metas, donec incipiatur aqua dicta *Lippowskazahumni*, ab cuius ortu pertingunt ad initium *Lippowskipotok*, et in egressvm *Lukschin*, quo postmisso transeunt in *Studnitschni*, et vltra *Schtewnicza* in primum effluxum *Oschniczi*, et ultra montem transcendunt in riuulum, qui primum in silua oritur et cum quam plurimis aliis riuulis ex vtraque parte in eum fluentibus subtus castrum dictum *Engelsperk* et subtus montem, in quo illud castrum est situm, ostentant metas inter duos montes, quorum vnus vocatur *Brsyes* et alter *Tlustahuera* in *Suchaosselna*. Hoc considerato, quod sub eisdem montibus tres aque oriuntur, que omnes nuncupantur *Osselna*, sed hec sola finalem terminum metarum ostendit, que descendit per *Selichowicz* in *Drsiewnicz*, et sic iterato mete desingnantur per Drsiewnicz ascendendo, quo primo fuerunt incepte, vbi Ostrata fluit in Drsiewnicz. Inserimus quoque, quod partem in *Zadwasicz* et *Lip* villam et *Selichowicz*, quantum inclusiue continetur in suprascriptis terminis, predictis fratribus *Wilhelmus* nobilis vir *de Hustopetsch*, matura deliberatione prehabita, et sponsione voluntaria facta, post mortem suam libere resingnauit. *Slopnam* denique villam discretus vir dominus *Petrus* heres eiusdem a se et a fratribus suis prescriptis fratribus de Zmilenheym simili modo post mortem suam libere condonauit, que videlicet villa Slopna connexa est *Wilperk*, vbi eciam ecclesiastica percipit sacramenta. Vnde prenotatas villas et bona in circulo metarum descripsimus, quia ad hoc accessit domini nostri Psremizel, qui et Ottakari prenotati, mera et libera voluntas. Ceteras

quoque villas et hereditates per quenis loca sint per Morauiam site, cum nominibus suis proprie expressimus et distincte, videlicet *Bissokolkotz* villam super riuum, qui *krouczko* vocatur, annexam *Compne* et terminos suos extendit usque in *Drziehum*, *Schonor* quoque villam in terminis Hungarorum sitam, *Nynnicz* insuper villam cum terminis et metis suis, que incipiunt in fonticulo, qui *Czieschow* vocatur, et transcendunt vltra *Cralowahuera*, et pertingunt duo ingera subtus *Sucholusi* in *Wistricz* aquam, per quam descendunt in *Lawna*, per quam ascendunt vsque dum Lawna primum habeat ortum, abinde gradiuntur per descensum saltus, sub qua fluit Lawna et equaliter girant vltra primum egressum *Brussne* et vltra *Byeczkowecz*, qui primum ortum ostentat in fonticulo, de quo equaliter opposito modo descendunt in aquam, que fluit retro *Slerkor*, abinde extendontur in *Thopolor*, quo deficiente transeunt vltra *Scheronor* in vallem dictam *Dgolkor*, cuius vallis medietatem tenent vltra *Nyebniczkipotok*, et per *Bayowecz* subtus *Cralowahuera*, iterato in *Cyeschow*, *siluam* quoque quondam nobis a principali magnificencia et ex libera voluntate prenotatus dominus noster Psremizel serenissimus donauit, predicte ville denotamus, que nobis imperpetuum est collata pro omnibus vsibus predicte ville, tam cremandis quam edificandis, et in quoscunque vsus redigendis, eciam si in infra descriptis metis ville inposterum locarentur, et cuicunque hominum in feodum siue in hereditatem a succedentibus principibus donarentur, tamen predicta villa a silua et vsu eius non possit frustrari. Termini autem huius silue sic limitantur. Incipiunt a *Luwna* et per totum montem et usque in flumen, quod *Clanschni* vocatur, et in *Gewornik* montem et circumquaque, donec in *Nemtschipotok*. Item villas *Pleschowicz*, *Lhotka*, *Chropin*, *Zorsiecz* in distinctu metarum, que incipiunt in via tendentem per *Tschirni* in *Brsiest*, quo propius adfluit *Moschdenicz*, ibi incidunt et per eam descendunt in *Morauam*, per Morauam ascendunt et girant siluam, quam ambit *Tschirni* et iterato per Morauam circueunt insulam dictam *Gestrshauri*, per *Struhomesni* et *Czeki*. Iterato in Morauam, per quam tendunt in *Lukowecz*, et in *Betschwa*, per quam tenent vim suam, donec diuidatur Tschirni ab eadem et per Tschirni descendunt, quo prime mete sunt incepte. Omnes istas aquas circumquaque in vtroque littore, cum propriis piscacionibus, molendinis iam positis et adhuc ponendis, insulis et aquis decurrentibus, que proprie ad

sunt expresse, prout tenuimus, omni preiudicio et offensa semotis predictos fratres perpetuos facimus possessores. Item quicquid habuimus in *Brsiesolub* villa antedictos fratres volumus possidere. Item *Czethochowicz* villam coniunctam ecclesie in *Roschtschin*, cum omnibus terminis et circuitu suo, siluis et pertinenciis suis sepedictos fratres facimus heredes. Item *Lowschicz*, *Prsiestawulk*, *Czwikow* villas, quamlibet mediam, cum terminis, siluis et ambitu suo, eisdem condonamus. Mete autem siluarum ibidem sunt hee. Includunt totum montem a valle incipiendo penes *Nechwalin* vsque in cacumen montis et per viam, que est vltra *Gesercze*, et tendunt vltra incepcionem vallis, que descendit in *Halosicz* et per viam vsque in *Geleneroht*. Item *Lesch* et *Obcze* villas iuxta Brunnam sitas, que talibus metis distinguuntur. Primo incipiunt contra *Podole*, vbi mons totaliter deficit, et in plano tendunt ad stratam publicam Brunnensem, per quam vadunt, donec deficiant mete de Podole, penes quas descendunt ad viam, que est de *Slaczin* in *Slapanicz*, et duo iugera de Slaczin reuertuntur ad stratam publicam supradictam, ascenduntque contra *Scalicz*, ita quod Scalicz includatur, adiacens vero mons excludatur, sed solum descensus eius, per quem defluunt aque pluuiales in subiacentem vallem, vsque dum equaliter tendunt vltra vallem in cacumen montis dictum *Lissahuera*, in cuius eminentia potest videri *Obersen*, abinde diriguntur mete in monticulum, qui est vltra *Recznianicze*, et per medium *Stwelik* in verticem montis, qui nominatur *Bissoka*, et in summitate *Winprechticz*, abinde per medium vallis que nuncupatur *Obeczuischleb*, tenentque verum medium inter *Obcze* et *Ochosa* vsque in vallem, que oritur circa *Telnicz*, ab ortu vero Telnicz et infra, vbi mete incipiunt, quicquid potest influentiam habere per aquam pluuialem siue fluentem ex parte sinistra a monte, sub quo fluit, quia dextera inclusiue est in metis, omnem siluam, prata, piscaciones in vtroque littore, et omne, quod poterit prouenire, prout tenuimus hactenus, ab omni molestia et iniuria a vicinis circumquaque liberum et tutum pretaxatos fratres possessionis munere condonamus. *Prus* et *Iursikowicz* preterea villas in Breczliauiensi prouincia sitas cum omni circuitu metarum, vtilitatibus et prouentibus suis, solum Prus, prout in *potworicz* villa in omnibus sedent, prenotatos fratres perpetua possessione dotamus. De omnibus vero et de singulis hereditatibus et villis prenotatis et prescriptis talem facimus con-

clusionem in dando predictis fratribus iure hereditario et patrimoniali omnes vtilitates vndecumque prouenientes, agros cultos et incultos, montes, valles, siluas, prata, pascua, piscaciones, molendina iam posita et ponenda, rubeta, siue virgulta, in omnibus terminis prenotatis, ab omni inquietacione hominum et circumsedencium quorumlibet vicinorum, quacumque exparte secure et inconwulse, resingnamus, et sepedictos fratres perpetuos facientes possessores. Acta sunt hec in presencia serenissimi principis ac domini nostri Psremizel, qui Ottakarus, suprascripti domini regni Boemie, ducis Austrie ac Styrie, marchionis Morauie, necnon et promissio facta coram eodem de resingnandis et donandis racione testamenti post exitum corporalem, a prenotatis dominis et nobilibus viris, domino Wilhelmo de Hustopetsch de parte in Zadwasicz et Lipa villa, sed et Zelichowicz medium, Et Petro de Sloppna a se et a fratribus suis, eandem villam Sloppnam iure hereditario, quod et idem serenissimus princeps consensit eisdem. Vt itaque hec nostra donacio debitum robur obtineat firmitatis, presens priuilegium exinde confectum sigilli nostri iussimus munimine confirmari. Cuius rei testes sunt. Venerabilis dominus Bruno episcopus Olomucensis, Arnoldus notarius domini ducis, Borscho de Risenburchc, Zmilo de Luchtenburchc, Wilhelmus de Hustopetsch, Wichardus de Tyrna, Hartlibus frater Ienzonis, Egidius de Zwawnicz, Beneschius, Milota et Andreas fratres, Chuno de Eychorns marschalcus Morauie, Zmilo et Gerhardus fratres et filii Botschkonis, Zudomirus camerarius Breczizlauiensis, Iohannes de Tymenicz, Boycich de Raschkowicz, Woyslaus, Dubiko, Petrus de Sloppna et alii quam plures. Datum et actum in Olomucz in capitulo predicatorum dominica infra octauam assumpcionis virginis gloriose, Anno domini Millesimo ducentesimo sexagesimo primo, Indiccione quarta.

E transumto initiantis saec. XIV. in archivo archiepiscopali Cremsiriensi. — Dobner in Monumentorum Tomo IV. p. 270. hoc primae notae diploma e copia bohemica in latinum translatum mendosissime ad annum 1264. typo protulit.

CCCXXV.

Otakarus, dominus regni Boëmiae, Austriae et Styriae dux, et marchio Moraviae, confirmat ecclesiae Olomucensi collationem villae Wsisko, a fideli suo Pardus, camerario Olomucensi, factam. Dt. Olomucii, XII. Kalendas Septembris, 1261.

In nomine domini amen. Othakarus qui et Premisl dei gracia dominus regni Bohemie dux Austrie et Styrie et marchio Morauie. Dilectis et fidelibus suis . . decano . . preposito totique ecclesie sancti Wenceslai capitulo et eorum successoribus in perpetuum. Specialis dileccionis prerogatiua qua *Olomucensem ecclesiam* ob reuerenciam gloriosi ipsius patroni sancti Wenceslai martyris de cuius progenie traximus originem amplectimur ex intimis visceribus karitatis eandem honorare semper et sublimare volentes dilecti et fidelis nostri *Pardus* Olomucensis camerarii precibus inclinati pio fauore duximus annuendum vt villam nomine *Wsysche prope Olomuc* sitam quam eidem pro sue fidei meritis iure contulimus hereditario cum omnibus suis attinenciis in perpetuum obtinendam prout hipsum in priuilegiis nostris super eo confectis plenius est expressum. Quam idem pardus pro remedio anime sue et suorum progenitorum in gremio Olomucensis ecclesie quiescencium vobis et vestris successoribus contradidit pleno iure prout priuilegia huiusmodi vobis per eundem in signum perpetue donacionis assignata testantur presentibus scripti munimine et sigillorum nostrorum karactere confirmamus quam collacionem et nostram confirmacionem per manus Bartholomei Olomucensis decani super altare sancti Wenceslai vice nostra poni fecimus et conspectui diuine maiestatis offerri ad rei memoriam sempiternam. Huius rei testes sunt barones nostri tam Boemie quam Morauie videlicet. Ratmir de Primda Smilo de Luchtmburch Wylhelmus de Podebrad Chstibor de Cosan Herman de Rychnow Iarec de Waldenberc Boleslau Borutich Potha de Ryetich Cuna de Weuerie Artleb de Duban Sudomirus de Wessele Ludizlau de Hlubochan Wilhelmus de Namesch Egidius de Swabenich Nezamisl Burgrauius Olomucensis Arcleb Subcamerarius Morauie Zasith de Tlumachow Cadolt de Wehgna Marquart frater Galli Castolow de Ronow Hindrich de Luchtmburch

Dytrich Ryestin et alii quam plures. Datum in Olomuc Anno domini MCCLXI. XII. Kalendas Septembris.

E codice Olomucensi membr. I. fol. 12.

CCCXXVI.

Idem committit, ut Olomucii theatrum seu domus communis, quae vulgo Kaufhaus dicitur, aedificetur, et forum annuale sit in eadem civitate in festo b. Galli. Dt. apud Iglaviam, III. Idus Octobris, **1261.**

Nos Otacharus qui et Premizl. dei gracia Dominus Regni Boemie. Dux Austrie et Styrie. Marchioque Moravie vniuersis presencium inspectoribus fieri cupimus manifestum, quod nos Ciuitatem nostram in *Olomuz.* propter honestatem et conuersationem laudabilem, inhabitatorum eius, quorum vtilitati et commodo intendimus graciose, proficere cupientes, et in omnibus emendari, consensimus et admisimus, quod edificetur ibidem *Theatrum, siue domus communis.* que in vulgo *Chaufhus* dicitur. pro bono publico et profectu. Adicientes ex plenitudine gracie et fauoris, quod in predicta ciuitate nundine siue forum annuale sit in festo beati Galli, annis singulis in futurum. ita quod venientes ad nundinas supradictas siue forum annuale. per sex septimanas. scilicet per duas septimanas in veniendo. ad forum, per duas septimanas stando in foro. per duas septimanas recedendo a foro, siue nundinis annualibus supradictis. sint liberi et exempti ab omni theolonio siue muta. quocumque nomine censeatur, addito et adiecto Iure tocius libertatis et gracie, quod ratione nundinarum et fori annualis, in ciuitate nostra Brunna dinoscitur ad hec tempora viguisse. Et ne in posterum dicte ciuitati nostre in Olomuz. et inhabitatoribus eius de premissis ambiguitas, questio, siue calumpnia valeat aliqua suboriri, presens instrumentum valiturum perpetuo, sigillorum nostrum insignitum karactere. ipsis dari fecimus ad cautelam. Testibus qui tunc aderant subnotatis. Qui sunt. Nezamizl. Olomucensis Purccrauius. et Pincerna Moravie. Hartlibus Camerarius Moravie. Bsnata Dapifer Moravie. Hermannus filius Zmylonis de Luchtenburch. Ludzlaus phorestiarius Moravie. Pota. Zazlaus de Pencick. et alii quam plures. Actum apud Iglauiam. Anno domini M. CC. LXI.

Datum ibidem per manus Magistrorum Guilhelmi et Arnoldi, tunc nostrorum prothonotariorum. III. Idus Octobris.

Ex originali cum sigillo bilaterali rupto in curia ejusdem civitatis.

CCCXXVII.

Idem Wernherum, archiepiscopum Moguntinum, in itinere ad coronationem in expensas et conductum suum recipit. Dt. Pragae, in dominica Ad te levavi, 1261.

Nos Odacharvs dei gratia dominus regni Boemie dux Austrie et Styrie, marchioque Morauie: recognoscimus et protestamur, quod nos venerabilem patrem, dominum Wernhervm archiepiscopum Maguntinum, ad nos *in Boemiam,* ab Erfordia venientem, apud nos stantem, ac post recessum a nobis usque Erfordiam redeuntem, cum persona, familia, et rebus suis, in expensis et conductum nostrum sub nostro periculo recepimus, omni dolo prorsus excluso. Ita quod si eum, vel aliquem suorum de familia sua existentium, tempore medio, donec est in veniendo ad nos, donec stat apud nos, et donec a nobis est in redeundo, usque Erfordiam, captiuari, seu dampnificari contigerit ullo modo, quod absit, seruabimus eos prorsus indempnes. Et hoc promittimus fideliter et constanter. Ad maiorem autem certitudinem predictorum sponte subicimus nos, et terras nostras, iurisdictioni iudicum sancte Maguntine sedis; ut, si secus fecerimus, valeant, in personam, excommunicationis: et in terras nostras interdicti, sententias libere promulgare; ita quod contra hoc nullum nobis iuris auxilium valeat aliquo modo suffragari, donec omnes et singuli, captiuati seu aliqualiter dampnificari facti, fuerint liberi, et indempnes omnino. Dat. Prage, Anno domini MCCLXI., in dominica ad te leuaui.

Gudenus — Codex diplomaticus — I. 691.

CCCXXVIII.

Otakarus, quintus Boemorum rex, cavet eundem archiepiscopum causa suae coronationis indemnem servaturum. Dt. Pragae, in die Natali domini, 1261.

Venerabili in Christo patri, et amico sincere dilecto, domino Wernhero sancte Maguntine sedis archiepiscopo, sacri imperii per Germaniam archicancellario, Odacharvs dei gratia *quintus Boemorum rex* cum sincero affectu paratam ad obsequia voluntatem. Quia culminis nostri quodammodo denigraret honorem, si pro obsequio et honore *quem in nostra*, et precipue in dilecte *coniugis nostre Cvnegvndis, coronatione* non absque graui labore nobis liberaliter ac hilariter iuxta vestrum debitum impendistis, vestram ecclesiam vel personam contingeret dampnum seu dedecus aliquod sustinere; ecce! per salutem nostram, et per fastigium dignitatis regalis, vobis promittimus firma fide, quod si per ecclesiam romanam contingeret vestram personam aliquibus grauari sententiis occassione coronationis huiusmodi, nostris illas expensis procurabimus relaxari. Et si vos pro recuperanda gratia sedis apostolice in hac parte aliquas expensas subire contingeret servabimus vos sine preiudicio, et indempnem. Ceterum si eadem Romana ecclesia occasione huiusmodi aliquid ordinaret, vel statueret in preiudicium ecclesie Maguntine circa coronationem regum Boemie; vos aut vestros successores a coronatione huiusmodi suspendendo ad tempus, aut coronationis auctoritatem in aliam ecclesiam omnimodis transferendo; vobis, vestrisque successoribus et ecclesie Maguntine sub simili fidei firmitate pro nobis et nostris successoribus bona fide promittimus, et constanter, quod numquam ab alio, quam archiepiscopo Maguntino qui pro tempore fuerit, coronationem accipient. Illam quoque ecclesiam, et personam, que taliter sibi auctoritatem coronationis assumeret, persequemur, et nostri successores persequentur, una cum Maguntina ecclesia, sicut hostem publicum regni nostri. Datum Prage, in die coronationis nostre, que fuit dominica, et Natalis domini. Anno gratie MCCLXII.

Ibidem — 692.

CCCXXIX.

Relatio comitum itineris Wernheri, archiepiscopi Moguntini, in Boëmiam de peracta coronatione, nec non de taxa soluta. Dt. Pragae, in die Natali domini, 1261.

Godefridvs de Eppenstein, Fridericvs de Bichelingen, Heinricvs de Willenowe, Diethervs de Cazenellenbogen, Gvnthervs de Schwarzburg comites: et Wernhervs de Bolandia imperialis aule camerarius. Recognoscimus et testamur, quod nos cum venerabili patre, domino et consanguineo nostro, domino Wernhero sancte Moguntine sedis archiepiscopo, fuimus presentes in ecclesia Pragensi anno domini MCCLXII, in dominica die natalis domini, ubi ipse dominus archiepiscopus *unxit et coronauit in regem dominum Othacarum, heredem regni Boemie, et uxorem eius Kvnegvndim in reginam.* Idem etiam rex, qui et fuit dux Austrie ac Styrie, marchioque Morauie, assumpserat Erfordie in expensas et conductum suum in eundo Pragam, ubi procurauit nos XVIII diebus, et in reditu, usque Erfordiam, nos, et dominum archiepiscopum memoratum, et totam ipsius familiam, cum personis et rebus eorum. Ministrauit quoque nobis omnibus copiosas expensas. Dedit etiam domino archiepiscopo pro iure suo centum marcas auri. Item pro iure curie sexaginta et quatuor marcas capitulo Moguntino pro iure suo, ad emendum ecclesie aliquid in ornatum. Insuper honorauit nos in spadonibus et xeniis, pulchre satis, et taliter, ut decebat eundem. Acta sunt hec, anno domini et die predicto.

Ibidem — 693.

CCCXXX.

Urbanus papa IV. libertates et immunitates monasterii Zarensis confirmat. Dt. apud Urbem veterem, Idibus Januarii, 1262.

Urbanus episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis . . abbati et conuentui monasterii *fontis sancte Marie in Sar* Cisterciensis ordinis Pragensis diocesis, Salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod iustum est et honestum, tam uigor equitatis quam ordo exigit

rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter dilecti in domino filii uestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, omnes libertates et immunitates a Romanis pontificibus predecessoribus nostris siue per priuilegia seu alias indulgentias uobis aut monasterio uestro concessas, necnon libertates et exemptiones secularium exactionum a regibus et principibus aliisque Christi fidelibus rationabiliter uobis aut monasterio predicto indultas, terras quoque possessiones redditus decimas domos et alia bona uestra, sicut ea omnia iuste ac pacifice obtinetis uobis et per uos eidem monasterio auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Salua in predictis decimis moderatione concilii generalis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere uel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum apud vrbemueterem Idus Ianuarii Pontificatus nostri anno secundo.

Ex originali in museo Brunensi.

CCCXXXI.

Idem fundationem monasterii Zarensis confirmat, ejusque jura, libertates et regulas stabilit. Dt. apud Urbem veterem, XIV. Kalendas Martii, 1262.

Urbanus episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis . . abbati monasterii *fontis sancte Marie in sar* eiusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Religiosam uitam eligentibus apostolicum conuenit adesse presidium ne forte cuiuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito reuocet aut robur quod absit sacre religionis infringat. Eapropter dilecti in domino filii uestris iustis postulationibus clementer annuimus. ut monasterium sancte dei genitricis et virginis Marie fontis sancte Marie in Sar Pragensis diocesis in quo diuino estis obsequio mancipati sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti priuilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo monasticus qui secundum deum et beati Benedicti regulam atque

institutionem cisterciensium fratrum a uobis post concilium generale susceptam in eodem monasterio institutus esse dinoscitur perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur. Preterea quascumque possessiones quecumque bona idem monasterium impresentiarum iuste ac canonice possidet aut in futurum concessione pontificum largitione regum uel principum oblatione fidelium seu aliis iustis modis prestante domino poterit adipisci firma uobis uestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda uocabulis. Locum ipsum in quo prefatum monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis, cum terris, pratis, vineis, nemoribus, usuagiis, et pascuis, in bosco et plano, in aquis et molendinis, in viis et semitis et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis. Sane noualium uestrorum, que propriis manibus aut sumptibus colitis de quibus aliquis hactenus non percepit, siue de ortis uirgultis et piscationibus uestris seu de uestrorum animalium nutrimentis nullus a uobis decimas exigere uel extorquere presumat. Liceat quoque uobis clericos uel laicos liberos et absolutos e seculo fugientes ad conuersionem recipere et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum uestrorum post factam in monasterio uestro professionem fas sit sine abbatis sui licentia de eodem loco discedere. Discedentem uero absque comunium litterarum uestrarum cautione nullus audeat retinere. Quod siquis forte retinere presumpserit licitum uobis sit in ipsos monachos et conuersos regularem sententiam promulgare. Illud districtius inhibentes, ne terras seu quodlibet beneficium ecclesie uestre collatum liceat alicui personaliter dari seu alio modo alienari absque consensu totius capituli uel maioris aut sanioris partis ipsius. Sique uero donationes aut alienationes aliter quam dictum est facte fuerint eas irritas esse censemus. Adhec etiam prohibemus ne aliquis monachus siue conuersus sub professione uestre domus astrictus sine consensu et licentia abbatis et maioris partis capituli uestri pro aliquo fideiubeat uel ab aliquo pecuniam mutuo accipiat ultra summam capituli uestri prouidentia constitutam nisi propter manifestam domus uestre utilitatem. Quod si facere forte presumpserit non teneatur conuentus pro hiis aliquatenus respondere. Licitum preterea sit uobis in causis propriis siue ciuilem siue criminalem contineant questionem fratrum uestrorum testimoniis uti ne pro defectu testium ius uestrum ualeat in aliquo deperire.

Insuper auctoritate apostolica inhibemus ne ullus episcopus uel quelibet alia persona ad synodos uel conuentus forenses uos ire, uel iudicio seculari de uestra propria substantia uel possessionibus uestris subiacere compellat nec ad domos uestras causa ordines celebrandi causas tractandi uel aliquos conuentus publicos conuocandi uenire presumat, nec regularem electionem abbatis uestri impediat, aut de instituendo uel remouendo eo qui pro tempore fuerit contra statuta Cisterciensis ordinis se aliquatenus intromittat. Si uero episcopus in cuius parrochia domus uestra fundata est cum humilitate ac deuotione qua conuenit requisitus substitutum abbatem benedicere et alia que ad officium episcopale pertinent, uobis conferre renuerit licitum sit eidem abbati, si tamen sacerdos fuerit, proprios nouitios benedicere, et alia que ad officium suum pertinent exercere et uobis omnia ab alio episcopo percipere, que a uestro fuerint indebite denegata. Illud adicientes ut in recipiendis professionibus que a benedictis uel benedicendis abbatibus exhibentur. ea sint episcopi forma et expressione contenti, que ab origine ordinis noscitur instituta. ut scilicet abbates ipsi episcopo saluo ordine suo profiteri debeant et contra statuta ordinis sui nullam professionem facere compellantur. Pro consecrationibus uero altarium uel ecclesiarum siue pro oleo sancto, uel quolibet ecclesiastico sacramento nullus a uobis sub obtentu consuetudinis uel alio modo quicquam audeat extorquere set hec omnia gratis uobis episcopus diocesanus impendat. Alioquin liceat uobis quemcumque malueritis catholicum adire antistitem gratiam et comunionem apostolice sedis habentem qui nostra fretus auctoritate uobis quod postulatur impendat. Quod si sedes diocesani episcopi forte uacauerit interim omnia ecclesiastica sacramenta a uicinis episcopis accipere libere et absque contradictione possitis, sic tamen ut ex hoc in posterum proprio episcopo nullum preiudicium generetur. Quia uero interdum proprii episcopi copiam non habetis siquem episcopum Romane sedis ut diximus gratiam et comunionem habentem et de quo plenam notitiam habeatis per uos transire contigerit ab eo benedictiones uasorum et uestium consecrationes altarium ordinationes monachorum auctoritate sedis apostolice recipere ualeatis. Porro si episcopi uel alii ecclesiarum rectores in monasterium uestrum uel personas inibi constitutas suspensionis et excommunicationis uel interdicti sententiam promulgauerint siue etiam in

mercennarios uestros pro eo quod decimas sicut dictum est non persoluitis sine aliqua occasione eorum que ab apostolica benignitate uobis indulta sunt seu benefactores uestros pro eo quod aliqua uobis beneficia uel obsequia ex caritate prestiterint uel ad laborandum adiuuerint in illis diebus in quibus uos laboratis et alii feriantur eandem sententiam protulerint ipsam tanquam contra apostolice sedis indulta prolatam decernimus irritandum. Nec littere ille firmitatem habeant quas tacito nomine Cisterciensis ordinis et contra indulta apostolicorum priuilegiorum constiterit impetrari. Preterea cum comune interdictum terre fuerit liceat uobis nichilominus in uestro monasterio excommunicatis interdictis diuina officia celebrare. Paci quoque et tranquillitati uestre paterna in posterum sollicitudine prouidere uolentes auctoritate apostolica prohibemus ut infra clausuras locorum seu grangiarum uestrarum nullus rapinam seu furtum facere ignem apponere sanguinem fundere, hominem temere capere uel interficere, seu uiolentiam audeat exercere. Preterea omnes libertates et immunitates a predecessoribus nostris Romanis pontificibus ordini uestro concessas necnon libertates et exemptiones secularium exactionum a regibus et principibus uel aliis Christi fidelibus rationabiliter uobis indultas auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti priuilegio comunimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prefatum monasterium temere perturbare aut eius possessiones auferre uel ablatas retinere minuere seu quibuslibet uexationibus fatigare set omnia integra conseruentur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Salua sedis apostolice auctoritate. Siqua igitur in futurum ecclesiastica secularisue persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere uenire temptauerit secundo tertioue commonita nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore ac sanguine dei et domini redemptoris nostri iesu christi aliena fiat atque in extremo examine districte subiaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus sit pax domini nostri iesu christi, quatinus et hic fructum bone actionis percipiant et apud districtum iudicem premia eterne pacis inueniant amen amen amen. Ego Vrbanus catholice ecclesie episcopus. *(signum:* fac mecum domine signum bonum.)

Frater Hugo tituli sancte Sabine presbyter cardinalis ss. mp. Ego Symon tituli sancti Martini presbyter cardinalis ss. mp. Ego frater Guido tituli sancti Laurentii in Lucina presbyter cardinalis ss. mp. Ego Ancherus tituli sancte Praxedis presbyter cardinalis ss. mp. Ego Guilelmus tituli sancti Marci presbyter cardinalis ss. mp. Ego Odo Tusculanus episcopus ss. mp. Ego Stephanus Prenestinus episcopus ss. mp. Ego frater Iohannes portuensis et sancte Ruffine episcopus ss. mp. Ego Radulfus albanensis episcopus ss. mp. Ego Ottauianus sancte Marie in via lata diaconus cardinalis ss. mp. Ego Ortobonus sancti Adriani diaconus cardinalis ss. mp. Ego Gottofridus Ego Iacobus Marie in Co . . . diaconus cardinalis ss. mp. Ego Vbertus sancti Georgii ad velum aureum diaconus cardinalis ss. mp. sancti Eustachii diaconus cardinalis ss. mp. Ego Iordanus sanctorum Cosme et Damiani diaconus cardinalis ss. mp. Dat. apud vrbemueterem per manum magistri Michaelis de Tholosa sancte Romane ecclesie vicecancellarii XIIII. Kalendas Marcii Indictione VI. Incarnationis dominice Anno M. CC. LXII. Pontificatus uero domini Vrbani pape IIII. Anno secundo.

Ex originali — ibidem.

CCCXXXII.

Bruno, episcopus Olomucensis, commutatas villas Biskupice pro praebenda ecclesiae Olomucensis, et Martinice pro praebenda in Cremsiriensi ecclesia assignat. Dt. Olomucii, III. Nonas Martii, 1262.

Nos Bruno dei gracia Olomucensis episcopus. notum esse cupimus presentium inspectoribus vniuersis; quod villa *Biscopiz sita iuxta Ghevitz*, que ad mensam spectabat episcopalem, in cuius nos adhuc possessione sumus; debet ex ordinatione nostra et capituli nostri post mortem *Ottonis de Aldenburch*, Olomucensis canonici, siue post cessionem aut resignationem suam, ad corpus prebende in eadem Olomucensi ecclesia perpetuo pertinere. nam villa *Merlinicz*, prius pertinens ad prebende corpus, quam de consensu capituli nostri, *Cremeserensi* contulimus ecclesie, pro eadem villa Biscopiz, est in permutatione recepta. In cuius rei testimonium et memoriam sempiternam, presentem paginam inde conscribi et sigilli nostri

Frater Hugo tituli sancte Sabine presbyter cardinalis ss. mp. Ego Symon tituli sancti Martini presbyter cardinalis ss. mp. Ego frater Guido tituli sancti Laurentii in Lucina presbyter cardinalis ss. mp. Ego Ancherus tituli sancte Praxedis presbyter cardinalis ss. mp. Ego Guilelmus tituli sancti Marci presbyter cardinalis ss. mp. Ego Odo Tusculanus episcopus ss. mp. Ego Stephanus Prenestinus episcopus ss. mp. Ego frater Iohannes portuensis et sancte Ruffine episcopus ss. mp. Ego Radulfus albanensis episcopus ss. mp. Ego Ottauianus sancte Marie in via lata diaconus cardinalis ss. mp. Ego Ortobonus sancti Adriani diaconus cardinalis ss. mp. Ego Iacobus Marie in Co . . . diaconus cardinalis ss. mp. Ego Gottofridus sancti Georgii ad velum aureum diaconus cardinalis ss. mp. Ego Vbertus sancti Eustachii diaconus cardinalis ss. mp. Ego Iordanus sanctorum Cosme et Damiani diaconus cardinalis ss. mp. Dat. apud vrbemueterem per manum magistri Michaelis de Tholosa sancte Romane ecclesie vicecancellarii XIIII. Kalendas Marcii Indictione VI. Incarnationis dominice Anno M. CC. LXII. Pontificatus uero domini Vrbani pape IIII. Anno secundo.

Ex originali — ibidem.

CCCXXXII.

Bruno, episcopus Olomucensis, commutatas villas Biskupice pro praebenda ecclesiae Olomucensis, et Martinice pro praebenda in Cremsiriensi ecclesia assignat. Dt. Olomucii, III. Nonas Martii, 1262.

Nos Bruno dei gracia Olomucensis episcopus. notum esse cupimus presentium inspectoribus vniuersis; quod villa *Biscopiz sita iuxta Ghewitz*, que ad mensam spectabat episcopalem, in cuius nos adhuc possessione sumus; debet ex ordinatione nostra et capituli nostri post mortem *Ottonis de Aldenburch*, Olomucensis canonici, siue post cessionem aut resignationem suam, ad corpus prebende in eadem Olomucensi ecclesia perpetuo pertinere. nam villa *Mertinicz*, prius pertinens ad prebende corpus, quam de consensu capituli nostri, *Cremeserensi* contulimus ecclesie, pro eadem villa Biscopiz, est in permutatione recepta. In cuius rei testimonium et memoriam sempiternam, presentem paginam inde conscribi et sigilli nostri

iussimus munimine roborari. Actum. et datum. Olomuz. iij. Nonas. Martij. anno domini M. CC. LXII. presentibus Bartholomeo decano. Herbordo preposito. magistro Stephano archidiacono Olomucensi. Symone custode. Heydolfo archidiacono Znoemensi. et alijs quampluribus canonicis Olomucensibus.

Ex originali in archivo capituli Olomucensis.

CCCXXXIII.

Urbanus papa IV. regem Boëmiae monet, ut monasterium de Cella sanctae Mariae Brunae tueatur. Dt. apud Urbem veterem, III. Nonas Martii, 1262.

Vrbanus episcopus seruus seruorum dei. Carissimo in Christo filio . . Illustri regi Boemie. Salutem et apostolicam benedictionem. Personas pias et humiles diuini nominis laudibus insudantes, benigno teneris fauore prosequi, ut earum meritis augeatur tibi diuine gratia pietatis. Cum itaque dilecte in Christo filie . . . Priorissa et Conuentus Monasterii de *Cella sancte Marie in Brunna* ordinis sancti Augustini Olomucensis diocesis presidii Regalis subsidium sibi contra peruersorum nequitias asserant quamplurimum oportunum, serenitatem tuam attente rogandam duximus et monendam, quatinus dictas Priorissam et Conuentum pro diuina et nostra reuerentia efficaciter commendatas habeas ipsasque ab aliquibus tue ditioni subiectis molestari aliquatenus non permittas. Ita quod eisdem Priorissa et Conuentu gaudentibus obtatum commodum de nostris reportasse precibus, nos tibi exinde speciales gratias referamus. Datum apud Vrbem ueterem III. Nonas Martii. Pontificatus nostri anno secundo.

Ex originali in archivo S. J. Brunensis.

CCCXXXIV.

Idem jura et libertates monasterii ejusdem confirmat. Dt. apud Urbem veterem, Nonis Martii, 1262.

Vrbanus episcopus seruus seruorum dei. Dilectis in Christo filiabus . . Priorisse et Conuentui Monasterii de *Cella sancte Marie in Brunna,*

ordinis sancti Augustini, Olomucensis diocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod iustum est et honestum, tam uigor equitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri, ad debitum perducatur effectum. Ea propter dilecte in Christo filie, uestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, omnes libertates, et immunitates a Romanis Pontificibus predecessoribus nostris, siue per priuilegia, seu alias indulgentias, uobis, aut monasterio uestro concessas, necnon libertates et exemptiones secularium exactionum, a Regibus et Principibus, aliisque Christi fidelibus, rationabiliter uobis aut Monasterio predicto indultas, sicut eas iuste ac pacifice obtinetis, uobis, et per uos, eidem Monasterio auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostre confirmationis infringere, uel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei, et beatorum Petri et Pauli, apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum apud Vrbem ueterem Nonis Martii. Pontificatus nostri anno secundo.

Ex originali in eodem archivo.

CCCXXXV.

Idem episcopo Olomucensi mandat, ut monialibus de Cella sanctae Mariae Brunae sacerdotes idoneos pro necessitate spirituali deputet. Datum apud Urbem veterem, II. Idus. Aprilis, 1262.

Vrbanus episcopus seruus seruorum dei. Venerabili fratri . . Episcopo Olomucensi. Salutem et apostolicam benedictionem. Vota personarum humilium diuinis laudibus ascriptarum que fructum salutis eterne continere perspicimus, ad effectus gratiam pio dirigere fauore debemus. Hinc est quod nos deuotis precibus dilectarum in christo filiarum . . Priorisse et Monialium inclusarum Monasterii de *Cella sancte Marie in Brunna* ordinis sancti Augustini Olomucensis diocesis annuentes, fraternitatem tuam rogamus, et hortamur attente, per apostolica tibi scripta mandantes, quatinus circa easdem Priorissam et Conuentum pro diuina et nostra reuerentia, paterne dirigens benignitatis affectum, eis cum super hoc fueris

requisitus, aliquos sacerdotes idoneos deum timentes deputes sine iuris alieni preiudicio, qui confessiones ipsarum audiant, ipsisque diuina celebrent, ecclesiastica sacramenta ministrent; ita quod exinde digna laudibus apud nos tua sinceritas habeatur. Datum apud Vrbem ueterem II. Idus Aprilis. Pontificatus nostri anno secundo.

Ex originali in eodem archivo.

CCCXXXVI.

Smil de Lichtenburg cum consensu conjugis et heredum monasterio Zarensi donat villam Bobrowa. Dt. XVIII. Kalendas Maji, 1262.

Nos Zmilo dei gracia Dominus de Luhtinburc. vniuersis hoc scriptum inspecturis in perpetuum. Cum in factis mortalium nichil sit quod uicissitudinis non subiaceat passioni, caute res digne memoria. conmendantur litteris ut ex his emolumenti capiant firmamentum. Hinc est quod tenore presencium perhenni constare volumus nocioni. quia divina inspiracione conpuncti de consensu et voluntate vxoris nostre Elizabet, et astipulacione heredum nostrorum. ad honorem et gloriam Dei. et intemerate Matris eius ex discussa deliberacione villam dictam. *Cappilbobrowe.* quam dicte vxoris nostre de parte libere possedimus. Claustro dicto *Sar.* Cisterciensis ordinis Pragensis diocesis cum omnibus suis pertinentiis. cultis et incultis. siluis. pratis. pascuis. piscationibus. venationibus. perpetuo contulimus possidendam. Vt autem hec nostra donacio inconcussa et stabilis perseueret. litteras has dicto claustro dedimus sigilli nostri munimine roboratas. Datum anno domini M. CC. LXII. XVIII. Kal. Maij. Testes huius rei sunt. ipsa domina Elisabet de Luhtinburc. et filius eius Smilo. Domina Eufemia fundatrix predicti claustri. Filii eiusdem. Smilo. et Gerhardus. Buslaus burcgrauius in Luhtinburc.

Ex originali ejusdem monasterii cum sigillo rupto. — Excusum apud Steinbach — II. p. 18.

CCCXXXVII.

Anshelmus, Warmiensis episcopus, sedis apostolicae legatus, Olomucensi ecclesiae indulgentias quadraginta dierum concedit. Dt. Olomucii, in die Paschae, 1262.

Anshelmus miseracione diuina Warmiensis episcopus sedis apostolice legatus vniuersis Christi fidelibus per ciuitatem et dyocesim *Olomucensem* constitutis in salutis auctore salutem. Cupientes quod ecclesia in *Olomuc* tanquam mater que omnes alias in Olomucensi dyocesi excellit ecclesias congruis omnibus diebus dominicis et festiuis frequentetur hominibus et frequentantes animarum suarum salutem feliciter ibidem auctore domino consequantur. Ad quod Christi fideles indulgenciis quasi quibusdam illectiuis inducere credimus et speramus. Nos de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus vere penitentibus et confessis qui eandem ecclesiam in dei nomine ac in spiritu humilitatis accesserint diebus dominicis et festiuis diuine propiciacionis graciam petituri. XL. dies de iniuncta sibi penitentia relaxamus presentibus perpetuo robore valituris. Datum Olomuc in die Pasce. Anno domini M. CC. LXII.

E codice Olomucensi chart. fol. 41.

CCCXXXVIII.

Urbanus papa IV. rato habito divortio regis Boëmiae Otakari atque Margarethae, cum eodem rege ejusque nova conjuge Kunigunde dispensat, ut consanguinitate et affinitate eorum non obstante in contracto matrimonio licite remaneant. Dt. Viterbii, XII. Kalendas Maji, 1262.

Vrbanus episcopus seruus seruorum dei. Carissimo in Christo filio Ottacaro regi Boemie illustri salutem et apostolicam benedictionem. Cum summus pontifex collatis sibi in persona b. Petri ab eo qui eterna prouidentia celestia et terrena disponit clauibus regni celestis ligandi obtineat pontificium et soluendi nonnumquam supra ius de iure dispensans necessitatis vinculum quo ad ipsius iuris obseruantiam cuncti tenentur laxat

prouide de sue potestatis plenitudine circa quosdam. Ex parte siquidem tua fuit propositum coram nobis, quod olim nobilis mulier *Margareta* quondam Romanorum Regina in prouinciali capitulo fratrum predicatorum apud Treuerim congregato solemni voto castitatis emisso, ordinem sororum secundum instituta fratrum predictorum viuentium se seruaturam, ac obedientiam in manibus H. tunc in Alamannia prioris prouincialis eorundem fratrum predicatorum promittens, habitum ibidem religionis assumpsit, et tandem ad monasterium sororum S. Marci Herbipolensis secundum instituta predicta viuentium, cuius curam et regimen prior ipse gerebat se transferens, per annum et amplius sub eodem habitu in dicto monasterio moram traxit. Cum qua postmodum de facto matrimonium contraxisti, ei aliquamdiu cohabitans ut uxori. Demum vero tam tu, quam dicta nobilis attendentes, quod non poteratis in prefato matrimonio, quod nullum erat, sine proprie salutis interitu remanere, voluistis abinuicem separari, alterutro ab altero diuertente. Que quidem omnia in literis plurium episcoporum illarum partium et predicte nobilis, que propter hoc ad Sedem apostolicam certum nuntium destinauit, et alias etiam existens libera, hoc sponte confessa extitit, continentur. Quidam quoque religiosi et alii de dictis partibus apud Sedem existentes eandem, asseruerunt eadam esse vera. Tuque carissimam in Christo filiam nostram *Kunigundim illustrem reginam Boemie,* neptem carissimi in Christo filii nostri . . Regis Ungarie illustris tibi matrimonialiter copulasti, que tibi quarto consanguinitatis et tertio affinitatis gradibus est coniuncta. Cum autem sicut accepimus ex persistentia matrimonii taliter inter te et dictam Kunigundim contracti pax in Ungarie atque Boemie regnis et aliis vicinis prouinciis conseruetur, ac fideles illarum partium roborentur ad resistendum perfidie Tartarorum, nec non aliis hostibus fidei Christiane, multorumque liberatio, qui alias subiicerentur perpetue seruituti ac plures alie utilitates prouenire noscantur: nos his et aliis premissis diligenter pensatis, denuntiamus veris existentibus supradictis matrimonium quod ut predictum est tu et dicta nobilis contraxistis ad inuicem non tenere, ac tuis et prefati regis apostolicam super hoc gratiam implorantis supplicationibus inclinati, ut non obstante impedimento, quod ex huiusmodi consanguinitate ac affinitate prouenit, tu dictaque Kunigundis in predicto matrimonio contracto inter vos possitis licite remanere, vobiscum auctoritate apostolica dispensamus.

Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostre denuntiationis et dispensationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Viterbii, XII. Kal. Maii. Pontificatus nostri anno primo.

Ex autographo Regesto Urbani papae IV. tom. 2. anni I. fol. 58. in tabulariis Vaticanis.

CCCXXXIX.

Idem confirmat ecclesiae Olomucensi privilegium regis Přemysl super libertatibus et fundatione praeposituraе. Dt. Viterbii, X. Kalendas Maji, 1262.

Vrbanus episcopus seruus seruorum dei. Uenerabili fratri episcopo et dilectis filiis capitulo *Olomucensi* salutem et apostolicam benedictionem. Iustis petentium desideriis dignum est, nos facilem prebere assensum, et uota que a rationis tramite non discordant, effectu prosequente compleri. Exhibita siquidem nobis uestra petitio continebat, quod clare memorie *P.(remysl)* rex boemie, antiqua priuilegia ecclesie uestre a progenitoribus suis concessa renouans, regia pietate decreuit, omnes possessiones eiusdem siue sint in *boemia,* siue in *morauia,* fore ab omni genere tributorum, uectigalium, collectarum aliarumque omnium exactionum secularium absolutas, adiiciens, ut nullus pro castrorum edificatione seu reedificatione siue pro aliqua ingruenti expeditione, secundum quod in predictis antiquis priuilegiis continetur, homines eiusdem ecclesie inquietare presumat. *Cancellariam* quoque regiam, cum quadam uilla et nonnullis prouentibus tunc ad eam spectantibus prepositure ipsius ecclesie ac diuersas libertates et exemptiones secularium exaccionum ecclesie prefate et hominibus eius dextera liberali concessit, prout in patentibus literis ipsius regis confectis exinde ac suo sigillo signatis plenius continetur. Nos itaque uestris supplicationibus inclinati, quod ab eodem rege super premissis prouide factum est, ratum et firmum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenorem autem literarum ipsarum de uerbo

ad uerbum presentibus fecimus annotari, qui talis est: *(In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Ego Premisl . . MCCVII. Vide n. XXXI. T. II.)* Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere, uel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Viterbii X. Kalendas Maij. Pontificatus nostri anno primo.

E codice Olomucensi membr. I. fol. 9.

CCCXL.

Otakarus, rex Boëmiae et marchio Moraviae, innovat privilegium suum olim datum Heinrico de Lichtenstein super praedio Nikolsburg. Datum Viennae, Kalendis Maji, 1262.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis amen. Nos Ottacarus dei gratia Boemorum rex, dux Austrie et Styrie, et marchio Morauie. Omnibus in perpetuum. Ne per obliuionis caliginem, ea que de maturitate nostri consilii gessimus et gerimus prouide, rationabiliter et consulte, robur perpetue firmitatis amittant, tam viuentibus quam victuris constare volumus, presentium per tenorem: Quod nos fidelium nostrorum utilitati commodo et honori ut tenemur ex debito affectione sincera intendere cupientes, pro future vexationis et iniurie, que per obliuionem sepe nascitur, malitia resecanda, renouari fecimus nostrum priuilegium olim datum: Dilecto fideli nostro *Henrico de Lichtenstein* et heredibus ipsius utriusque sexus, ratione et causa multorum et magnorum seruitiorum, que ipse patri nostro felicis recordationis, et nobis non sine graui persone sue periculo, et rerum suarum maximo dispendio exhibuit et impendit fideliter, utiliter et constanter, priuilegium inquam datum eidem, super predio in *Nikolspurg* et suis attinentiis uniuersis, agris, vineis, ortis, cultis, et incultis, quesitis et inquirendis, siluis, nemoribus, viis, et inuiis, venationibus, pratis, ripis, aquis, piscationibus et aquarum decursionibus, molendinis et generaliter cum omnibus que spectant ad illud quocunque titulo seu nomine censeantur, gratum et ratum et inuiolabile statuentes, ut premissa a nobis una cum

suis heredibus utriusque sexus, ut predictum est, perpetuo teneat proprietatis nomine, pleno iure et libertate perfecta, quemadmodum progenitores nostri et nos illa bona dinoscimur possedisse. In cuius rei testimonium presens instrumentum dari fecimus ipsi sigillorum nostrorum munimine roboratum, testibus qui tunc aderant subnotatis, qui sunt: Wocho de Rosenberg, capitaneus Stirie. Ierascius Pragensis burggrauius, Andreas summus regni Bohemie camerarius, Zmilo de Luchtenburg, et Henricus filius eius, Sdezlaus de Sternberg. Ratimirus de Pfrimberg. De Austria: Henricus comes de Hartegg. Otto de Meyssovve, Otto de Haslovve. Al.(bero) dapifer de Welsperg. Conradus de Zelkingen. Al. et L. fratres de Zelkingen. Henricus dapifer de Lengenpach. De Stiria: Fridericus de Betthouia, Hardnidus de Orth. Wolffgangus de Stubenberg. Bernhardus comes de Pfannenberg, cum fratre suo. Ulricus de Wildonia, et filii sui. Rudolphus et Ludoldus fratres de Stadegge. Erchengerus de Landesser dapifer, Gundackerus pincerna. De Morauia: Benescius Znoymensis, Andreas et Milota fratres ipsius, Zmilo de Brumoue, Hartlibus et Ienzo fratres de Doblin. Wichardus de Tyrna, Chuno marscalcus: Bsnata dapifer, Nezamizl pincerna. Hartlibus camerarius, Zmilo de Belkovve. Theodoricus filius Hrutonis. Buhusch filius Cirhonis. Wilhelmus de Ustbecz et alii quam plures. Actum Vienne anno M. CC. LXII. Datum per manum magistri Arnoldi, tunc nostri prothonotarii Kalendis Maij regni nostri anno primo, quinte indictionis feliciter, Amen.

Wurmbrandt — Collect. archivi statuum inf. Austriae 192.

CCCXLI.

Urbanus papa IV. episcopo Olomucensi ad ea, quae suadebat, respondet, mandatque, ut a M. Petro de Pontecurvo pecuniam ecclesiae Romanae debitam recipiens, Venetias transmittat. Dt. Viterbii, V. Nonas Maji,

1262.

Vrbanus episcopus seruus seruorum dei. Venerabili fratri episcopo *Olomucensi* salutem et apostolicam benedictionem. Literas quas nuper nobis tua Fraternitas destinauit benigne recepimus, et earum tenore plenius

intellecto, gratum gerimus et acceptum, sinceritatem tuam in domino commendantes, quod de nostro et ecclesie uniuersalis statu sollicitus prudenter cogitas et diligenter exponis instruendo et suggerendo fideliter, que pacis et tranquillitatis nostre ac eiusdem ecclesie credis profectibus profutura. Verum licet quod de translatione nostre et ecclesie Romane pro ipsius statu salubri et utilitate sentiendo suades, nostris etiam sensibus forsan non inutile videatur: negotiorum tamen non patitur conditio, que incumbunt, ut ad presens possimus efficere quod hortaris. Nostrum tamen iactamus in domino cogitatum, de ipsius abundantia pietatis, cuius vices licet insufficientibus meritis in terris gerimus confidentes, quod ipse rectitudinem intentionis nostre ac fidei respiciens puritatem inter presentis seculi deuia reget ac diriget vicarii sui gressus, et ecclesiam sanctam suam inter turbulentas inundationum tribulationum procellas, licet frequenter et terribiliter agitetur, sponsus eius Christus pati naufragium non permittet. Ceterum cum dilecto filio Magistro Petro de Pontecuruo, clerico capelle nostre, Sedis apostolice nuntio, nostris demus literis in mandatis, ut totam pecuniam, quam ipse in partibus Ungarie ac Polonie predicte Sedis auctoritate collegit, tibi nomine nostro assignare procuret: nos de tue deuotionis sinceritate plenius confidentes, Fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus pecuniam ipsam sine difficultate recipias et receptam per fideles et securos nuntios transmittas pro reuerentia nostra Venetias, ibidem in Thesauraria ecclesie S. Marci per eosdem nuntios nomine nostro, cum cautela tamen debita fideliter deponendam, rescripturus nobis quantocius, quid et quantum tibi assignatum fuerit ab eodem clerico de pecunia memorata, et quid inde duxeris faciendum. Datum Viterbii, V. nonas Maii. Pontificatus nostri anno primo.

Ex autographo Regesto Urbani papae IV. tom. 2. anni I. fol. 3. in tabulariis Vaticanis.

CCCXLII.

Bruno, episcopus Olomucensis, confirmat donationem hospitalis infirmorum in Iglavia per magistros monetae abbati Siloënsi factam, et ejus ordinationem plebanis Iglaviensibus confert. Dt. Olomucii, pridie Nonas Julii, 1262.

Bruno, dei gracia Olomucensis episcopus. Dilectis in Christo Marsilio, abbati *ecclesie Syloensis,* et Heinrico, plebano *Yglauiensi,* Salutem in Domino. Cum a nobis petitur, quod iustum est et honestum, tam vigor equitatis quam ordo exigit rationis, ut id per officii nostri sollicitudinem ad effectum debitum perducatur. Cum igitur, sicut uestra peticio continebat, Scabini et ciues *yglauienses,* pium erga *hospitale infirmorum eiusdem loci* gerentes deuotionis affectum, voluntate pia et libera et unanimi consensu decreuerint statuendum, quod abbas ecclesie Syloensis et plebanus yglauiensis, qui pro tempore fuerint, hospitale predictum, considerantes in hoc profectum et utilitatem ipsius, in temporalibus debeant ordinare, sicut in litteris ipsorum confectis exinde plenius continetur, quarum tenorem de uerbo ad uerbum presentibus inseri fecimus, qui talis est: *(In nomine etc. .. MCCLVIII. Vide n. CCLXXI.)* Nos vestre deuotionis precibus inclinati, quod ab eisdem ciuibus in hac parte factum est, gratum habentes et ratum, id authoritate ordinaria confirmamus, sub anathematis interminatione districtius inhibentes, ne quis hanc nostram confirmationem presumat infringere, vel ei ausu temerario contraire. Datum Olomuz, pridie Nonas Iulii. Anno domini M. CC. LXII.

E copia simplici saec. XVIII.

CCCXLIII.

Richardus, Romanorum rex, Olakaro in feudum concedit Austriam et Styriam, confirmatque Boëmiam et Moraviam. Dt. Aquisgrani, 9. Augusti, 1262.

Richardus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus. Uniuersis Christi et sacri Imperii Romani fidelibus, ad quos presentes litteras peruenire contigerit, habere notitiam rei geste. Cum regalis diuinitas potestatis quandam quodam modo diuine in terris maiestatis imaginem representet, et quanto quis diuine voluntati magis innititur, tanto copiosioribus

gratie sue donis et insignioribus illustratur, decens et congruum estimamus, ut ad imitationem illius, qui omnibus dat et nulli improperat, illi nostra benignitas gratiosior atque benignior semper illuceat, qui nostro beneplacito voluntatis cum maiori libertate et promptitudine se conformat. Hinc est, quod cum illustris *Otogarus Boemorum rex* nullius gratificationis muneribus, sed proprie duntaxat virtutis et liberalitatis instinctu pellectus liberaliter ad nostri cultum dominii sit conuersus, et promittat legaliter se deinceps nostre deuotionis obsequiis, et mandatis constanter et fideliter adhesurum; nos ipsum ob hoc condignioribus honoribus, et gratioribus beneficiis prosequi cupientes; nosse vos volumus uniuersos quod eundem regem de principatibus *Regni Bohemie*, et *marchionatus Morauie*, ac omnibus feudis dictis duobus principatibus attingentibus, quos et que clare memorie pater et progenitores eiusdem iuste et rationabiliter ab imperio tenuerunt authoritate presentium inuestimus, eique dictos principatus et feuda simpliciter authoritate regia confirmamus. Et quia non multum gratie tante potentie et claritatis viris per ista videmur impendere, que constat claros progenitores suos officiosis laboribus, et gloriosis actibus meruisse; nos ipsum pro sue deuotionis meritis plenius et insignius honorare volentes eidem regi et suis legitimis heredibus, qui ei in bonis feudalibus secundum ius et consuetudinem sacri imperii de iure poterunt, et habebunt pro nobis et nostris successoribus imperatoribus et regibus Romanorum illos duos nobiles principatus, ducatum videlicet Austrie, et marchionatum Stirie ad manum imperii et ad nostram de iure libere deuolutos cum omnibus feudis ad dictos duos pertinentibus principatus ab omni imperio debitis et consuetis teneri integraliter et simpliciter in feudum concedimus, eique et huiusmodi suis heredibus in perpetuum presentis scripti patrocinio stabilimus, ab ipso et suis heredibus quemadmodum est prescriptum iure et titulo feudali perpetuo possidendos. Nulla igitur persona sublimis vel humilis, ecclesiastica vel mundana presumat huius nostre inuestionis, confirmationis et concessionis nostre paginam infringere, vel ei ausu temerario contraire; quod si quis fecerit, ipso facto se nouerit bannum imperii, et nostre offensam celsitudinis incurrisse. In istorum autem omnium testimonium et euidentiam pleniorem, presens scriptum exinde describi, et sigillo maiestatis nostre iussimus communiri. Datum Aquisgrani

nona die Augusti. Indictione quinta. Anno domini Millesimo ducentesimo sexagesimo secundo, regni vero sexto.

Excusum apud Goldastum, Balbinum, Lambacher, Lunig et alios.

CCCXLIV.

Bruno, episcopus Olomucensis, concedit monasterio Zabrdowicensi facultatem vendendi villam Diwák. Dt. in Modřice, mense Augusto, 1262.

B.(runo), dei gracia Olomucensis episcopus, vniuersis, ad quos littera ista peruenerit. Salutem et sinceram in domino caritatem. Notum fore facimus presentibus et futuris tenore presentium, quod soror *Herburgis*, sanctimonialis de *cella sancte marie in brunna*, et totus conuentus eiusdem loci quasdam possessiones emerunt racionabiliter et legittime ab abbate et fratribus in *zawardawizze* villam videlicet in *diwax* per manus puplicas et coram puplicis et fide dignis personis pro peccunia numerata et tempore promisso et loco soluta, et quiete gaudent illa possessione et solutionum perceptione; nam euidenter iura scripta docent, quod nulla emptio uel uenditio ut rei spiritualis commutatio debeat fieri de possessionibus ecclesiarum, nisi interueniente assensu beneuolo episcopi dyocesani et auxilio. Vnde abbas ecclesie in sawardavizze et fratres eius, in maxima necessitate constituti, causam sue inopie ostenderunt nobis consilium super hoc a nobis petierunt. Nos quidem miserti super ipsorum defectibus, indulsimus eis vendere villam supra scriptam dominabus sancte marie in brunna, et etiam dominabus eam emere pro sua pecunia, nulla conditione interposita aut ponenda. Si vero contingeret futuris temporibus, statum ecclesie dominarum ad inopiam peruenire, et necessitas eas cogeret suas possessiones vendere, pium uidetur esse, si prius suam uenditionem offerant memoratis fratribus quam alienis. Celebrata igitur uenditione legitime, et solutione peccunie facta et nostro assensu adhibito, nec non et abbatis de strahau, ipsorum correctoris, beneplacito accedente, presentibus ciuibus brvnnensis ciuitatis, ad cautelam futurorum, et ne, quod licite coram nobis factum est, illicite possit ab aliquo inposterum irritari aut uiolari, nostras litteras patentes duximus eis concedendas. Hi sunt ciues, qui interfuerunt: Volfilo.

erbilo. hartil. Berzlo. Svvellarius, et alii quam plures, cum ratificatione sigilli ipsorum huic littere appensi. Acta sunt hec in modriz. anno domini M. CC. LX. II. mense augusto.

Ex originali in archivo S. J. Brunensis.

CCCXLV.

Urbanus papa IV. Petrum clericum ad canonicatum ecclesiae Olomucensis commendat. Dt. apud Montemflasconem, XVIII. Kal. Octobris, 1262.

Urbanus episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis . . decano . . preposito et capitulo *Olomucensi* salutem et apostolicam benedictionem. Ex parte uestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum per industriam dilecti filii *Petri de Olomuz* clerici nepotis . . custodis ecclesie uestre uobis et eidem ecclesie multa possint comoda prouenire ac in ea canonicorum institutio et prebendarum collatio ad uos communiter pertinere noscantur, prouidendi eidem clerico de prebenda, siqua uacat ibidem ad presens uel quamprimum ad id obtulerit se facultas ac recipiendi eum in eadem ecclesia in canonicum et in fratrem non obstante iuramento, quod de non recipiendis aliquibus nullis prebendis ibidem uacantibus prestitisse dicimini, aut etiam statuto quod habetis de certo canonicorum numero, iuramento, confirmatione sedis apostolice seu qualibet firmitate alia roborato uobis licentiam misericorditer largiremur. Nos igitur uestris supplicationibus inclinati uobis faciendi premissa predictis nequaquam obstantibus auctoritate presentium concedimus facultatem. Datum apud Montemflasconem XVIII. Kalendas Octobris. Pontificatus nostri anno secundo.

Ex originali in archivo capituli Olomucensis.

CCCXLVI.

Theodoricus, abbas Zabrdowicensis, vendit monialibus Cellae s. Mariae Brunae villam Diwák. Dt. in Zabrdowice, III. Kalendas Octobris, 1262.

Nos Theodericus, miseratione diuina abbas monasterii sancte Marie in *Zabirdowiz*, fratrum ordinis Premonstratensis de Regula sancti Augustini,

tam presentibus, quam futuris tenore presentium protestamur, quod cum conscientia Domini Episcopi Olomucensis, et regie magestatis fauore, ad hec nichilominus de comuni fratrum nostrorum consilio pariter et assensu, egestate cogente, qua domus nostra temporibus caristie premebatur, Villam que *Dywax* vulgariter appellatur, vendidimus sanctimonialibus *de Cella sancte Marie in Brunna* pro pecunia Centum viginti marcarum argenti. Qvam pecuniam recepimus ex integro, assignatam nobis et creditoribus nostris ex parte ipsius Celle superius nominate. Nos quoque de consilio nobilium terre villam supradictam coram iudicio prouinciali in brunna resignauimus sanctimonialibus eisdem, secundum quod racio iuris postulabat, perpetuo possidendam. Ut igitur hec uendicio, tam racionabiliter celebrata, rata, firma et illibata permaneat nunc et in euum, presentem litteram conscribi, et conscriptam sigillo Conuentus nostri et nostro duximus confirmandam. Huius rei testes sunt: Iohannes, abbas Montis Syon. Dominus Harthlyuus, Camerarius Morauie. Dominus Leo de Poleradiz, et dominus Matheus de Chobels, qui tunc temporis prouinciali iudicio presidebant. Et Dominus Steto, et Petrus scriptor, et Drosslinus. Ciues insuper Brunnenses: Herthlinus, Svellarius, Perslinus, Rvdlo, Drozendorpharius, Kepho, et alii quam plures. Actum Anno Domini M. CC. LXII. Datum in Zabirdowiz. III. Kalendas Octobris.

Ex originali in archivo S. J. Brunensis.

CCCXLVII.

Bruno, episcopus Olomucensis, eandem emtionem villae Diwák rite factam protestatur. Act. in Modřice, III. Kalendas Octobris, 1262.

Vt ea, que coram nobis iuste ac rationabiliter fiunt, perpetuam habeant firmitatem, et a nemine inposterum per calumpniam ualeant inmutari: hinc est, quod nos bruno, dei gracia Olomucensis ecclesie episcopus, tenore presentium recognoscimus, et constare volumus vniuersis Christi fidelibus tam presentibus quam futuris, quod, cum inedia ingruente fratres monasterii Sancte marie virginis in *Zaberdoviz* necessitatibus occuparentur quamplurimis, debitis aliquibus obligati, *Theodericus,* tunc temporis abbas eiusdem

cenobii, maturo habito consilio, vna de consensu et uoluntate conuentus sui, de nostra eciam licentia et fauore, villam quandam, que dicta est *dywax*, cum omni fructu, perceptione et vtilitate sanctimonialibus *Sancte marie virginis in brunna* iuste ac racionabiliter uendidit, cum omnibus iuribus ad eam pertinentibus, iure perpetuo libere ac pacifice possidendam, accedente ad hoc eciam consensu serenissimi domini Regis boemie, gracia pariter et fauore, quam villam prenominate sanctimoniales pro centum marchis et viginti comparauerunt racionabiliter, persoluentes pecunia numerata. In qua eciam uilla sepius nominate sorores emerunt uillicacionem, iudicium, tabernas, siluas, pascua cum omnibus, que ad prefatam pertinent uillam, possidendas iure perpetuo libere ac quiete, quam eciam emptionem dominus venerabilis abbas de Straho ratam duxit habere, suo sigillo corroborans et confirmans. In cuius rei testimonium presentem litteram fecimus sigillari. Testes huius facti sunt: dominus Hartleibus, camerarius morauie. Iohannes, abbas montis sion. dominus steto. dominus leo de Poleradiz. dominus mathias de covals. Throsschilinus, qui tunc temporis iudicio prouinciali presidebant. Insuper ciues brunnenses: Hethlinus, suuellarius, proselinus, petrus scriptor, Rudelo C. drozindorfarius, Keppo, et alii quam plures. Acta sunt hec anno domini M. CC. LX. II. III. Kalendas Octobris in Modriz.

Ex originali cum sigillo laeso ibidem.

CCCXLVIII.

Ekhardus de Miroslaw (Myslice) resignat monasterio Oslowanensi jus patronatus ecclesiae in Droskowice, venditque laneum ibidem et decem curticulas. Acta Znoymae, III. Kalendas Decembris, 1262.

Vniuersis presens scriptum uisuris. Nos Ekhardus dictus de mirslaus ad rei memoriam sempiternam. Quum sit uita hominum mortalium labilis et caduca. et que tempore geruntur ne cum tempore more fluentis aque defluant et labantur et ne prestetur litis occasio successoribus in futurum. litterarum solent apicibus perennari. Ad resecandum igitur totius ambiguitatis scrupulum. Notum sit omnibus tam presentibus quam futuris quod nos una cum uxore nostra videlicet domina Agnete et liberis nostris . .

Abatisse et conuentui Sanctimonialium *de valle Sancte marie in Oslawa.* cysterciensis ordinis deo pie et deuote famulantibus. vendidimus laneum. et agros in estimatione pene dimidii lanei et decem curticulas in villa que vocatur *Droscuwitz.* pro quindecim marcis argenti. recedentes ab omni iure quod in eisdem bonis videbamur habere. Profitentes nichilominus quod Ius patronatus in *ecclesia ville de Droscuwitz.* ad manus domini Hermanni. decani de Snoym resignauimus quam pluribus presentibus Abbatisse et conuentui memorato. quod videlicet multis retroactis temporibus pro honore dei et gloriose virginis marie matris eius nec non pro salute carorum nostrorum tam viuorum quam mortuorum eisdem resignauimus et pro nostrorum scelerum venia consequenda sicut in litteris exinde confectis plenius continetur. Ne igitur super hiis inposterum a malignis malignorum hominum suggestionibus possit suboriri calumpnia titulum emptionis huiusmodi litteris fecimus conmendari et sigilli nostri. et fratris nostri videlicet Domini Hartlibi de miselboritz. quia uno tamen sigillo vtimur qui suum in supranotata emptione et in iam dicte ecclesie donatione plenarie adhibuit consensum et aliorum sigillorum uidelicet Domini Hermanni decani Snoymensis. Domini Karuli prepositi montis sancti ypoliti. Domini Egidii. Kamerarii vetouiensis. ordinauimus munimine roborari ad cautelam. Acta sunt hec in Snoym Anno Domini M. CC. LXII. III. Kalendas Decembris coram testibus subnotatis. uidelicet domino Decano Snoymensi. Domino preposito Karulo nomine montis sancti ypoliti. Domino egidio Kamerario vetouiensis. Domino Smilone de Belekouwe. Domino Rancyro Zcudario. Domino prouinciali. Merbotone. Domino marguarto. Domino Lupo. de Nasmeritz. Domino gerslao. de Knenitz. Domino Wernardo. filio lupi. Domino O. preposito et fratre W. capellanis in Osla et aliis quam pluribus tunc ibidem collectis.

Ex originali cum quatuor sigillis laesis in archivo ejusdem monasterii.

CCCXLIX.

Idjk, camerarius Biloviensis, eandem resignationem et venditionem attestatur. Acta Znoymae, III. Kalendas Decembris, 1262.

Nos Idic Kamerarius vetouiensis. Notum esse cupimus presentium inspectoribus et auditoribus vniuersis quod dominus *Ekhardus vir Nobilis*

de Mirslaus. Abbatisse et conuentui sanctimonialium vallis sancte Marie in *Osla* Cysterciensis ordinis vendidit laneum et agros in estimatione dimidii lanei et decem curticulas de consensu uxoris sue uidelicet domine Agnetis et bona voluntate in villa que uocatur *Droscuwitz* recedendo ab omni iure quod in eisdem bonis videbatur habere receptis prius a prefatis abbatissa et conuentu quindecim marcis argenti pro eisdem. Protestatus est nichilominus idem nobilis coram nobis quod pio zelo ductus ad laudem dei et gloriose virginis Marie matris eius nec non pro salute carorum suorum tam viuorum quam mortuorum sepe dictis Abbatisse et conuentui in Osla Ius patronatus *ecclesie ville de Droscuwitz* dederit a longe retroactis annis et temporibus prout in litteris exinde confectis dinoscitur contineri. Verum ne possit processu temporis alicuius proteruitas infirmare tytulum emptionis. resignationis, et protestationis huiusmodi litteris fecimus conmendari et sigilli nostri munimine recipere firmamentum. Acta sunt hec in Znoym. Anno domini M. CC. Sexagesimo secundo. III. Kalendas Decembris. Coram testibus subnotatis. Domino Her. decano Znoymensi. Domino Karulo preposito montis sancti ypoliti. Domino O. preposito in Osla et W. capellano dominarum. Domino Marquardo. Domino Lupo et Wernhardo filio suo de Nasmeritz. Domino Smilone de Belkouwe. Domino Hartlibo de Miselboritz. Rancyro Zudario. Gerslao de Knenitz. Merbotone prouinciali Znoymensi et aliis quam pluribus tunc collectis ibidem.

Ex originali duplo cum sigillo illaeso in archivo monasterii Oslowanensis.

CCCL.

Capitulum Olomucense vendilionem villae Luptjn ratam habet. Dt. Olomucii, in die sancti Thomae, 1262.

Vniuersis Christi fidelibus ad quos presens scriptum peruenerit B.(artholomeus) decanus totumque Capitulum *Olomucense* salutem in domino. Noueritis nos litteras domini *Olrici Militis de Hoenbuch* recepisse sub hac forma. Venerabilibus in Christo dominis preposito Decano et Capitulo Olomucensi O. dictus de Hoenbuch *(de Alta fago alibi)* Miles domini Episcopi Olomucensis se paratum in omni genere seruiendi. Notum vobis esse

cupimus quod nos villam nostram *Luptyn Henrico aduocato de Hoczemploz* vendidimus et resignauimus ad manus suas nomine ecclesie *Olomucensis* vnde rogamus vt eandem villam protegatis sicut decet. Quapropter ad ipsius instanciam prefatum H. aduocatum et villam in nostram proteccionem suscepimus et tutelam. Presentem cedulam in huius rei euidenciam nostri sigilli munimine roborantes. Datum in Olomuc. Anno domini M. CC. LXII. in die sancti Thome.

E codice Olomucensi I. chart. fol. 41.

CCCLI.

Moniales ad s. Petrum Olomucii Heinrico, civi Olomucensi, molendinum sub monte s. Petri ibidem emphiteutico jure conferunt. Datum Olomucii, 1262.

Ego Herbordus prepositus, et Magdalena magistra et conuentus *sancti petri in Olomvz* vniuersis Christi fidelibus ad quos presens scriptum peruenerit, in perpetuum. Ne ea que geruntur in tempore simul labantur cum tempore solent scripturarum testimonio perhennari. Hinc est quod constare cupimus vniuersis, quod nos ex deliberato consilio *molendinum sub monte sancti petri* cum edificiis ad illud pertinentibus contulimus *Henrico ciui Olomvcensi* ac suis heredibus eo iure quod bvrcreth dicitur perpetualiter possidendum, sub hac forma, vt vnam marcam argenti. et tria seruicia que wlgariter *wisode* numcupantur annis singulis soluere teneatur, et ad molendum prefato conuentui vniuersa victualia in pane et cereuisia ipsis necessaria. et ad curiam prepositi brasia molere habundanter sine omni contradictione abilis valeat inveniri. Insuper insulam inter duas aquas sitam que predicto molendino dinoscitur adiacere, sue vtilitati contulimus hoc adiecto, vt si in ipsa insula molendinum nouum in preiudicium prioris molendini decreuerit instaurare, ad conuentum molendinum ex nouo fundatum libere debeat pertinere. Item nos circa sepedictum molendinum et insulam habere debemus piscandi liberam potestatem, excepto quod nostri piscatores sine licentia predicti H.(enrici) non debeant aliquibus nauibus transsire, per obstacula molendini. Ne autem hoc statutum inposterum in

irritum reuocetur, acta sunt hec in testimonium sempiternum coram testibus fide dignis, videlicet Bartholomeo decano. magistro Stephano archidiacono. Symone custode. Alexio de Znohim. et Bartholomeo, canonicis Olomvcensibus. Friderico aduocato. Heinrico de noua ciuitate. Heinrico pilliatore Friderico de noua ciuitate. Sifrido Brugnario. Wernardo ciuibus Olomvcensibus. et aliis quam pluribus sub quorum testimonio dedimus presentem cedulam nostri sigilli munimine roboratam. Datum in Olomvz anno dominice incarnationis M. CC. LXII.

Ex originali in archivo capituli Olomucensis.

CCCLII.

Otakarus, rex Boëmiae et marchio Moraviae, monasterio Litomyšlensi concedit, ut ejus civitas Litomyšl juribus et libertatibus gaudeat, quibus civitas Hradec et aliae regiae civitates sunt contentae, atque homines ejusdem civitatis et ubique per abbatiam constitutos a jurisdictione officialium suorum eximit. Dt. in Hradec, VIII. Kalendas Aprilis, 1263.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis amen. Nos Otakarus, qui et Premisl, dei gracia Rex Boemorum, Dux Austrie et Styrie et Marchio Morauie, omnibus per regnum Boemie constitutis graciam suam et omne bonum. Licet illius fauente clementia, per quem reges regnant, et principes imperant, ad hoc terreni principatus suscepimus moderamen, vt ex nostre serenitatis officio debeant vniuersa pia et religiosa loca, sub nostro dominio constituta, nostre protectionis dextera defensari, ac eorum iura et libertates, ne a malignantibus infringantur, cura peruigili conseruari, illis tamen ecclesiis, quas progenitorum nostrorum sincera fundauit deuotio, sumus et esse uolumus specialis beneficentie debitores, quatenus ipsarum libertates liberaliter ampliando, ampliatasque conservando, post amministrationem terrene dignitatis ascribi numero supernorum ciuium mereamur. Nouerint igitur vniuersi tam moderni temporis quam futuri Christi fideles, quod nos consilio pietatis inducti, pro remedio animarum parentum nostrorum ac nostre, *Ecclesie Lutomislensi* nec non et abbati et fratribus, ibidem deo et beate Marie famulantibus, talem concedimus libertatem, videlicet,

quod ciuitas ipsorum, que *Lutomisil* dicitur, que et ipsi ecclesie adiacet, iure fori, iure ciuili, iure iudicii ceterisque iuribus ac libertatibus gaudeat, quibus ciuitas nostra *Gredcz* et alie ciuitates nostre per Regnum Boemie sunt contente; et quod homines dicte ciuitatis et *ubique per abbatiam* constituti nullius castri nullorumque iudicum uel officialium seu beneficiariorum astent iudicio, sed Prage coram nobis vel nostro uicario iudicentur, et sint liberi et exemti ab omni iugo seruitutis seu exactionis et grauaminis, tam ab hiis, que vulgariter dicuntur *Narok* seu *Zwod*, quam ab hiis, que uocantur *Narez*, et a retibus ad uenationem ducendis, et a uictualibus canibus dandis et ipsorum custodibus, qui *Holoty* vocatur; ab eo etiam, quod dicitur *Ozzep*, atque a sex denariis, quod dicitur *Sezine*, qui dari debentur magistro uenatorie dignitatis. Statuimus etiam, ne homines memorate ecclesie grauentur in hoc, quando aliquis occisus seu strangulatus fuerit, quod materna linqua *Hlawa* nuncupatur, siue se inuicem seditiose uulnerauerint, siue a latronibus uulnerentur, quod dicitur *Ranne*, liberi sint et absoluti, abbati tamen de culpis huiusmodi responsuri. Si vero aliquis hominum dicte Ciuitatis et ecclesie suspensus fuerit uel suspendendus, quod *Wizelche* dicitur Boemice, ipsos penitus decernimus absolutos, arbitrio abbatis nichilominus relinquentes, ut pro hiis et aliis culpis homines suos pena debita puniat, in usus monasterii, quicquid ex culpa prouenerit, conuertendo. Decernimus etiam, quod, quicquid emolumenti uel utilitatis de molendinis prefate ecclesie prouenerit, abbas duntaxat et nullus alter recipere teneatur. Ad maiorem preterea nostre liberalitatis concessionem omnia priuilegia, predicte ecclesie a nostris antecessoribus pia consideratione concessa, siue sint realia siue personalia, ad res seu iura pertinentia, dummodo appareant in prima figura, et autenticis sigillis sigillata, non uitiata, non cancellata, non in aliqua sui parte abolita, rata habemus et firma, et ea auctoritate presentis scripti confirmamus, nolentes illa tractu temporis a maliuolis aliquibus ausu temerario uiolari. In cuius rei testimonium presentes litteras supradicte ecclesie pro memoria prefatorum omnium sempiterna concedimus, sigillorum nostrorum munimine roboratas, testibus, qui aderant, subnotatis. Ierosius, burgrauius pragensis, et filius eius Albertus. Andreas, Camerarius pragensis. Vlricus, subcamerarius. Chacho, iudex terre, et filius suus protywen. Zmilo de Belkow. Egidius de Zuabenicz, et filius suus

Grabisse. Hrono de Nachod. Nacherat, frater suus de Brada. Zawisse, filius Zueslai. Vlricus de Hermanicz. Pribislaus de Morauan. Nitibor, frater suus. Dirsizlaus de Iamlowicz. Domazlaus, frater suus. Bosc de Radhorech, et alii quam plures. Acta sunt hec anno incarnationis dominice Millesimo Ducentesimo sexagesimo tertio. Datum in Gredcz, per manus Magistri Arnoldi. VIII. Kalendas aprilis.

Ex originali ejusdem monasterii cum sigillo laeso.

CCCLIII.

Bruno, episcopus Olomucensis, confert Nicolao, militi suo, feudum in Chorjn prope Kelč et in Milotice. Dt. Olomucii, IV. Kal. Aprilis, 1263.

Bruno dei gracia Olomucensis Episcopus. Dilecto sibi Nicolao militi suo et heredibus suis in perpetuum. Equitati proximum et rationi non dissonum arbitramur ut ad fideles nostros qui nobis et ecclesie nostre, non parcentes rebus et personis, fideliter deseruiunt et constanter, retributionis manum liberaliter extendamus, ut in eisdem possint efficacius persistere seruiciis, ipsorumque magis erga nos et ecclesiam nostram deuotio et fidelitas exardescat. Hinc est quod nos gratanter inspectis fidelitatis tue seruiciis, que nobis ad augmentum honoris nostri, et ecclesie nostre profectum, diucius et incessanter gratuito impendisti, pro quibus ut condecet te remunerare volumus ut fructuosus appareat labor tuus, et fidelitas tua, magis ac magis erga nos et ecclesiam nostram per huiusmodi retributionis premium accendatur; damus et conferimus libenter et liberaliter tibi et heredibus tuis iure feodali villam *Chorim. apud Ghelz* sitam cum vniuersis suis pertinentiis et iuribus censu. decimis. iudicio. stura. silvis. pratis. pascuis. molendinis. aquis. piscationibus. ortis. curticulis. humulariis. agris cultis et incultis. et omnibus aliis seruiciis et redditibus. nullo diminuto penitus vel excepto. Item duos mansos siue laneos et dimidium in villa *Milotiz* similiter cum suis attinentiis vniuersis, et siluulam totam que adiacet ipsi ville, episcopatui pertinentem, per te ac heredes tuos perpetuo possidenda. Et tu quemadmodum promisisti nobis, bona pro quadraginta marcis argenti comparabis immobilia et de proprio, et ab ecclesia nostra recipies

bona eadem comparata. Item in recognitionem bonorum que tibi contulimus, episcopalium scilicet, dabis annis singulis mensuram vnam tritici, continentem modium vnum Opauiensem. de manso siue de laneo quolibet, et de mansis dumtaxat censualibus. de allodio tuo. de zluhonibus et de manso iudicis nichil dabis. sed de bonis emptis ut ab aliis discerni possint melius similiter nichil dabis. Nam bona episcopalia que tibi collata sunt, ad heredes tuos tantum filios transferentur, et numquam ad filias. sed empticia bona tam ad filias quam ad filios transferentur. De predictis bonis omnibus tam emptis quam collatis tibi ab ecclesia in hiis quibus tenemur domino nostro Regi ad honoris sui et terre sue defensionem, et in propriis necessitatibus nostris, successorum nostrorum et ecclesie nostre seruicia facies militaria in armis videlicet, quandocunque a nobis vel nostris successoribus fueris requisitus. et heredes tui ad eadem et similia seruicia perpetuo tenebuntur. Quod autem omnia premissa tam nobis, successoribus nostris, et ecclesie nostre, quam eciam tibi et heredibus tuis rata seruentur et stabilia, semperque maneant inconuulsa, nec ullius temporis euo aliquatenus immutentur. sed perpetuum irreuocabiliter sortiantur effectum, presentem paginam ad rei memoriam sempiternam inde confectam et conscriptam sigilli nostri iussimus munimine roborari. Et nos Olomucense capitulum propriis huic carte subscribentes nominibus predictam infeodationem et collationem, nobis requisitis factam tibi per venerabilem patrem nostrum, dominum Brunonem Olomucensem Episcopum, videntes ipsam ecclesie nostre vtilem, necessariam et honestam, ratam habemus et gratam et consensum nostrum vnanimiter adhibemus. Et quod super hoc eciam nullus futuris temporibus dubietatis vel calumpnie possit oriri scrupulus, hanc eciam paginam ad firmiorem rei stabilitatem sigilli nostri fecimus appensione muniri. Ego Bartholomeus decanus. Ego Herbordus prepositus. Ego Stephanus Olomucensis archidiaconus. Ego Symon custos. Ego Iohannes Prerouensis archidiaconus. Ego Alexius prepositus de Wolframskirken. Ego Heydolfus Znoymensis archidiaconus. Ego Arnoldus Cremeserensis prepositus et archidiaconus. et nos ceteri Olomucenses canonici per manum Conradi canonici et fratris nostri, notarii venerabilis patris domini nostri Brunonis Olomucensis Episcopi, huic carte subscribimus et premissis omnibus pro nobis et nostris successoribus canonicis Olomucensibus voluntarie ac fauorabiliter consentimus.

Actum et datum Olomuz IIII. Kalendas Aprilis. anno domini Millesimo CC. LX. III.

Ex originali in archivo archiepiscopali Cremsirii. — Apographum in codice Olomucensi I. membr. fol. 30., et chart. fol. 76.

CCCLIV.

Idem donationem villae Slatina a Nicolao, praeposito Olomucensi, monialibus ad s. Petrum factam, confirmat, exceptis agris praebendae Olomucensis. Dt. Olomucii, III. Kalendas Aprilis, 1263.

Bruno dei gracia Olomucensis Episcopus. Omnibus hanc litteram inspecturis, eternam in domino salutem. Tenore presentium recognoscimus et de certa scientia testimonium perhibemus ac earundem exhibitione ad omnium peruenire cupimus noticiam, tam presentium, quam eciam futurorum, quod bone memorie, *Nicolaus,* quondam Olomucensis prepositus, villam *Zlathyna,* quam emptionis titulo comparauit, et quam iure proprii, seu hereditario dinoscitur possedisse, dedit et contulit principaliter propter deum, et anime sue remedium et salutem, sororibus siue *monialibus sancti Petri in Olomuz,* vt eis cum omni integritate, plenoque iure, et suis pertinentiis vniuersis quemadmodum dictus prepositus possedit eandem, ac ipsarum nomine ad eundem locum sancti Petri, in Olomuz debeat perpetuo pertinere. exceptis dumtaxat manso et dimidio, sitis ad eandem villam qui cum omnibus suis attinentiis, et iuribus pertinuerunt ab antiquo, et adhuc pertinent ad corpus vnius prebende in *Olomucensi Ecclesia,* quam nunc habet dilectus in Christo Bartholomeus Ecclesie nostre Decanus, in quibus dicte Moniales, nichil penitus sibi poterunt uendicare. In huius autem nostre recognitionis, et testimonii nostri perhibitione, certam et plenariam euidentiam, ac memoriam sempiternam presentem iussimus conscribi paginam et sigilli nostri munimine roborari. presentibus Bartholomeo Decano. Herbordo preposito. magistro Stephano archidiacono Olomucensi. Symone Custode. magistro Iohanne Prerouensi archidiacono. Heydolfo Znoemensi archidiacono. Conrado. Bartholomeo. et Woyzlao. Canonicis nostris Olomucensibus. Datum Olomuz III. Kalendas Aprilis. Anno domini M. CC. LXIII.

Ex originali in archivo capituli Olomucensis.

CCCLV.

Idem litem inter monasterium Zarense et rectorem ecclesiae Laučanensis, (Laučice) de jure parochiali in Bertholdsdorf ortam componit per abbatem Gradicensem, judicem in eadem causa delegatum. Dt. Olomucii, VII. Idus Maji, **1263.**

B.(runo) Dei gracia Olomucensis Episcopus. una cum universitate capituli eiusdem ecclesie. vniuersis hec inspecturis salutem in omnium saluatore. Tenore presencium protestamur. nos tractatui composicionis, et concordie inite inter Magistrum. Io. Rectorem ecclesie in *Lvozan* nostre diocesis et abbatem et conuentum de *Zahr* ordinis Cisterciensis Pragensis diocesis super uilla et capella in *Bertolsdorf* ad instanciam eiusdem magistri Io. auctoritatem et consensum nostrum prehabito super hoc discusse deliberacionis consilio cum effectu per omnia comodasse, ut eandem composicionem et concordiam quilibet successorum in ecclesia in Luozan obseruare inuiolabiliter teneatur. Ita videlicet ut predictus rector in Luozan et quilibet successorum suorum in posterum ius parrochiale in Bertolsdorf una cum potestate ordinacione et dominio capelle ibidem deinceps absque predictorum abbatis et conuentus impeticione libere et inconcusse possideant. Ipsi autem abbas et conuentus nomine monasterii sui in Zahr uillam eandem cum universitate decimarum. seu laneorum, et aliarum quarumlibet obuencionum sine qualibet impeticione rectorum in Luozan qui pro tempore fuerint retineant in quiete, prout hec et alia in instrumento exinde confecto. sub sigillo Gradicensis abbatis iudicis delegati et assessorum ipsius. Magistri Stephani. Symonis et Alexii. nec non ipsius Magistri Io. Canonicorum Olomucensium euidentius continentur. uolentes per hoc ut diximus eandem composicionem concorditer initam inter partes sic perpetuam et realem facere ut ad eiusdem ecclesie successores. quoslibet extendatur. Ad cuius nostri consensus et auctoritatis euidenciam presentem hanc cartam sigillorum nostrorum munimine placuit communiri. Huius rei testes sunt. Bartholomeus Decanus Olomucensis. Haydolfus Archidiaconus Znoymensis et Cunradus Canonici Olomucenses. Datum Olomuc anno domini M. CC. LXIII. VII. Idus Maii.

Ex originali ejusdem monasterii cum duobus sigillis illaesis. — Excus. apud Steinbach — II. pag. 19.

CCCLVI.

Concordia Gradicensis et Welehradensis monasteriorum de metis inter villas Chwalkowice et Teyniček. Acta IX. Kalendas Julii, 1263.

Nos Robertus, miseratione diuina abbas, totusque conuentus ecclesie *Gradicensis,* Premonstratensis ordinis, et Lupinus eadem miseratione abbas, et totus conuentus ecclesie *Welehradensis,* Cisterciensis ordinis, vniuersis presentibus profitemur, quod controuersia, que inter nos agitabatur ratione metarum et terminorum, que in foribus claustri dicti *Gradicensis* ex una parte habebantur, et parte altera inter uillas *Chwalkowicz* et *Tynczek* nuncupatas, arbitrantibus nobilibus uiris et discretis, uidelicet Woccone, filio pie memorie Drslai, Lamberto de Bozkowitz, Borzuta de Woccow, Donone de Skrbyn, Andrea dicto Cauca, quos ad hoc ex utraque parte concorditer elegeramus, inter nos domino concedente est sopita et composita in pacem firmam, perpetuam et quietam. Huius rei testes sunt: Arbitri suprascripti, et Tworimirus de Buscowitz. Petrus dictus Puklicz de Strzelek. Casta de Chrelow. Ziuota de Tyesseticz. Otto cum fratre suo Ortwino de Syrzeticz. Nagradus cum fratre suo Ylia. Bochdalecz de Slusowicz. Sutko de Obidkowicz. Cunratecz druho domini Benede. Alexander, frater Martyeconis, et Stybor, nepos suus. Hiercho, ciuis Olomucensis, et alii quam plures. Vt autem huius pacis tranquillitas, inter nos a predictis arbitris facta, firma maneat imposterum, et integra, presentem litteram sigillorum nostrorum munimine fecimus roborari. Acta sunt hec anno gracie M. CC. LXIII. Nono Kalendas Iulii. Hoc etiam vniuersis presentibus scire damus, quod antiquas metas et priores terminos de uoluntate utrarumque partium destrui fecimus, et nouas metas, ac terminos et aceruos nouos fecimus eleuari, anno et mense suprascripto.

Ex Annalibus Gradicensibus MSS.

CCCLVII.

Moniales Cellae s. Mariae Brunae Gunthero civi conferunt molendinum juxta fluvium Swarcawa. Dt. Brunae, die 29. Junii, 1263.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis amen. Nos soror Herburgis procuratrix cenobii sancte Marie in Brunna Gunthero ciui ibidem commoranti

ad rei memoriam sempiternam. Quia fragilis est hominum memoria multorumque malitia prona ad litigandum, ne ergo consensus uoluntarius possit inmutari, que aguntur in tempore perennari debent testimonio scripture, necnon appensionibus sigillorum. Nouerit igitur etas tam presentium, quam posteritas successura, quod nos soror *Herburgis* procuratrix cenobii sancte *Marie in Brunna* de bona uoluntate nostri totius capituli et consensu *Gunthero ciui Brunnensi molendinum situm iuxta fluuium dictum Suarcza* contulimus pleno iure una cum liberis, si quos habuerit, possidendum, aut si cuiquam consanguineorum suorum nobis conuenienti post mortem suam predictum molendinum assignauerit consentimus, sub censu tamen unius marce argenti, sicut sibi contulimus, nunc a festo beati Michahelis archangeli quoad annum nobis annis singulis persoluendo etiam in omnibus, de quibus molere prefatum cenobium nostrum eguerit, fideliter promouere. Insuper XVIII pullos metretam simile fracte nostre domui annis singulis ministrare. Vt hec autem rata permaneant et inconcussa sibi litteras nostras conferimus sigilli nostri munimine roboratas. Acta sunt hec anno domini MCCLXIII. Datum in Brunna in die beatorum apostolorum Petri et Pauli. Hec sunt nomina testium. Erklo. Persilo. Rudilo in fine. Woluilo de antiquo foro. Sweller. Cunradus Suewus. Pertoldus. Ouner de praem.

Ex originali in archivo S. J. Brunensis.

CCCLVIII.

Processus litis cruciferorum s. Joannis cum rectore s. Jacobi Brunae de decimis villae Königsfeld. Dt. 27. Augusti, 1263.

In nomine domini amen. Orta dudum inter . . priorem et fratres *hospitalis Ierusalem in Morauia et Polonia* ex parte una, et . . rectorem ecclesie *s. Iacobi in Brunna* Olomucensis diocesis ex altera, coram . . . abbate montis syon premonstratensis ordinis Pragensis diocesis . . scolastico Wissegradensi et . . . archidiacono Gradicensi, iudicibus a sede apostolica deputatis super quibusdam decimis et iuribus parrochialibus loci de *Cunigesuelt* predicte Olomucensis diocesis, materia questionis, dicti iudices rectorem ipsum, eius contumaciis exigentibus, in duodecim marchis

Brunnensis ponderis et puri argenti dictis priori et fratribus sententialiter condempnarunt et causam ad sedem apostolicam, prout ex beneficio litterarum sedis eiusdem poterant, tempore debito remiserunt. Quam causam sanctissimus pater et dominus dominus Vrbanus dei gracia papa quartus, nobis Symoni miseratione diuina tituli s. Martini presbitero cardinali audiendam comisit, et fine debito terminandam. Nos itaque dictum rectorem primo, secundo et tercio peremptorie in audientia publica citari fecimus, ut est moris, ut coram nobis per se uel per procuratorem ydoneum compareret, in causa predicta prout ordo iuris exigeret processurus. Verum cum nec idem rector neque aliquis alius pro eodem, coram nobis in prefixo sibi termino compareret legitime, sed potius contumaciter comparere contempneret, post predictum terminum diucius expectatus; Tandem pro parte prioris et fratrum ipsorum libellus coram nobis in iudicio oblatus extitit in hunc modum. Coram vobis venerando patre domino Symone dei gracia tituli s. Martini presbytero cardinali partibus infrascriptis a domino papa auditore concesso; proponit frater Conradus procurator . . prioris et fratrum hospitalis Ierusalem in Polonia et Morauia; contra . . rectorem ecclesie s. Iacobi in Brunna Olomucensis diocesis, quod cum decime et iura parrochialia loci de Cunigesuelt pertineant ad hospitale predictum, et dicti prior et fratres in possessione uel quasi decimarum et iurium huiusmodi existerent, dictus rector decimas et iura huiusmodi occupat, et detinet uel quasi occupata, ac iuribus predictis parrochialibus utitur occupatis, in eorum hospitalis prioris et fratrum preiudicium et grauamen. Et tandem orta materia questionis inter partes predictas, super decimis et iuribus huiusmodi et coram . . abbate Montissyon et eius collegis iudicibus a sede apostolica deputatis diucius agitata, dicti iudices rectorem predictum propter eius contumatias in duodecim marchis Brunnensis ponderis et puri argenti expensarum nomine condempnarunt, et causam ad sedem apostolicam ut poterant ex beneficio litterarum tempore debito remiserunt. Quare petit idem procurator possessionem decimarum et iurium parrochialium predictorum sibi et dictis priori et fratribus nomine hospitalis predicti restitui, et dictum rectorem nomine dicte ecclesie s. Iacobi cuius rector existit, ad restitucionem huiusmodi, cum fructibus perceptis et qui percipi potuerunt per sex annos, per quos iam decimas ipsas et iura huiusmodi tenuit occupata,

quos singulis annis extimat viginti marcas eiusdem ponderis et argenti; per uos sententialiter condempnari. ac eciam rectorem predictum prefate ecclesie nomine ad solucionem predictarum duodecim marcarum compelli. Petit etiam expensas in lite factas, et protestatur de faciendis, quas in processu iudicii declarabit. Saluo iure etc. Cumque pars dictorum prioris et fratrum in suprascripto super hoc porrecto libello instanter a nobis peterent possessionem decimarum et iurium huiusmodi dictis priori et fratribus nomine ipsius hospitalis sibi restitui, ac dictum rectorem ad restitutionem huiusmodi cum fructibus perceptis ex eis, et qui percipi potuerunt per sex annos, per quos decimas et iura predicta tenuit occupata, quos singulis annis extimauit viginti marcas eiusdem ponderis et argenti, per nos finaliter condempnari, ac etiam ad solucionem predictarum duodecim marcarum compelli. Nos uisis et attentis diligenter processibus habitis coram iudicibus memoratis, equitati congruum extimantes, ut dictum rectorem iuris ferula que in presidium cedit passis iniuriam, contra eum pro dictis priore et fratribus implorata corripiat, et in sue contumacie obstinatione castigat, dictisque priori et fratribus occasione rectoris ipsius iam longo litigio fatigatis, iusticie debitum erogetur, habito super hiis diligenti consilio peritorum, et nobiscum plena deliberacione prehabita, eosdem priorem et fratres in possessionem uel quasi decimarum ipsarum et iurium parrochialium predictorum, coram nobis pro eis ex dicto libello in iudicio petitorum nomine hospitalis predicti causa rei seruande decernimus iustitia exigente fore mittendos, ac ipsos decimarum et iurium eorundem possessores uel quasi constituimus propter huiusmodi manifestam contumaciam et euidentem rectoris eiusdem, causa rei seruande. Dicimus etiam et interloquendo pronunciamus, dictos priorem et fratres nomine hospitalis eiusdem esse mittendos causa rei seruande in possessionem bonorum mobilium ad dictum rectorem racione persone spectantium, uel immobilium si non extant mobilia, ad ualorem duodecim marcarum Brunnensis ponderis et puri argenti, in quibus idem rector memoratis priori et fratribus per abbatem et eius coniudices supradictos extitit pro suis contumaciis condempnatus. prout nobis iam constitit legitimis documentis; nec non et pro fructibus perceptis per dictum rectorem a predictis sex annis de decimis et iuribus parrochialibus supradictis ab eo dicto tempore occupatis temere, ac detentis

causa rei seruande in possessionem bonorum mobilium ad dictum rectorem racione persone spectantium, uel immobilium, si non extant mobilia ad ualorem annuum decem marcharum predictorum ponderis et argenti, pro quolibet ipsorum sex annorum, iuramento a procuratore dictorum proris et fratrum nobis propterea prestito. et per nos deliberatione ac taxatione prehabitis pro modo debiti declarari. In quorum omnium testimonium et perpetuam firmitatem, nec non et dictorum prioris et fratrum nomine ipsius hospitalis cautelam presens publicum instrumentum per manus Nicolai de Rocca publici notarii ex inde fieri fecimus, et nostri sigilli robore communiri. Actum apud Vrbem veterem in hospitio dicti domini Symonis cardinalis auditoris dicte cause anno dominice incarnationis Millesimo ducentesimo sexagesimo Tertio mense Augusti die vicesima septima indictione sexta Pontificatus domini Vrbani pape quarti anno secundo coram me Nicolao de Rocca notario, presentibus magistris Radulfo domini pape capellano priore pontis Lauanensis. Riccardo de fagania et Petro Yterii clerico pictauiensis diocesis testibus ad hec specialiter conuocatis. Ego Nicolaus de Rocca publicus sacrosancte Romane ecclesie auctoritate notarius prolationi seu nuntiationi huiusmodi ac omnibus supradictis interfui, et ea de mandato ipsius domini Symonis cardinalis auditoris dicte cause scripsi et publicaui et publicata, una cum sigillo ipsius presentibus appenso, consueto meo signo signaui.

Ex originali in archivo M. Prioratus Melitensium Pragae.

CCCLIX.

Thomas, episcopus Wratislaviensis, bona in Ziegenhals, in Longavilla, in villa Nicolai dividit inter filios Wilikonis, advocati circuitus Otmuchoviensis, et Theodoricum filium Sifridi. Dt. Wratislaviae, II. Kalend. Septembris, 1263.

In nomine domini amen. Nos Thomas, dei gracia Vratislauiensis episcopus. Notum facimus vniuersis presentibus et futuris, quod, cum temporibus predecessoris nostri felicis recordationis Laurencii episcopi ad retinendos et excolendos terminos Otmuchouienses, quod est castellania

specialis episcopatus vratislauiensis, a fundacione cristianitatis collata beato Iohanni aduocatiam eciam illius partis terre contulit dictus predecessor noster Episcopus Laurencius cuidam uiro strenuo vitigoni, qui eosdem terminos retinens, et cultores terre circa illas partes ponens, et que sunt beati Iohannis, retineret, et a violentiis eorum, qui indebite fines episcopatus vratislauiensis niterentur occupare, secundum suam defenderet facultatem. Dictus vero vitigo aduocatus in adiutorium sui ministerii competencius excercendi elegit sibi in participium oneris et honoris quemdam uirum probum et honestum, sifridum nomine, faciens eum participem et heredes eius quarundam utilitatum et iurium, que, qualia uel que fuerint, ex subsequentibus apparebit. Defunctis autem predictis personis, et inter heredes ipsorum quibusdam dissensionibus subortis, venerunt coram nobis quatuor filii vitigonis ex una parte, videlicet Moyco, vitigo, Rembolbus, Laurencius, ex altera vero filius Sifridi Theodricus, petentes a nobis, ut posteris, quid ad ipsos in predictis terris uel iuribus pertineat, uel heredibus eorum in futurum debeat pertinere, nostris vellemus litteris declarare. Nos vero precibus ipsorum inclinati et meritis, utpote quorum patres et ipsi nobis multa seruicia fideliter inpenderunt, ipsorum peticionem fauorabiliter admittentes, secundum quod ipsos in possessione bonorum et iurium inuenimus, siue ad ipsos ab initio pertinuerint, siue nostris temporibus ipsis accreuerint, taliter declaramus: filii vitigonis habent aduocaciam et ius iudicandi, ita quod solus vitigo in causis capitalibus iudex sit, et eciam in aliis in ciuitate; de iudicato vero in talibus causis due partes cedunt domino episcopo, tercia vero vitigoni, de qua sua parte accipiet Theodericus, filius Sifridi, tercium denarium. Sunt triginta mansi, ad ciuitatem *Cigenals* pertinentes, preter pascua; in istis mansis et in areis ciuitatis due partes census pertinent domino episcopo, dictis filiis vitigonis et Sifridi tercia, de qua tercia parte habebit terciam partem Theodericus, filius Sifridi. Census autem est talis: quilibet mansus soluit duas denariacas auri, que tales esse debent, quod decem pensent scotum. Area autem quelibet soluet obulatam auri. Macella, in quibus uenditur caro, panis et calcei, sunt ipsorum et ciuium. Domus, in qua occiduntur peccora, pertinent filiis vitigonis et Sifridi per medium. Duo molendina, que attinent ciuitati, talem diuisionem recipiunt: vtilitas diuiditur in nouem partes; septem

partes recipiunt, filii vitigonis cum molendinario, duas partes recipit Theodericus, filius Sifridi. In *longa uilla* sunt sexaginta sex mansi; de hiis, habere debent filii vitigonis cum suis amicis quadraginta et vnum cum quibusdam ortulis et insulis, et cum iudicio eiusdem ville; quod specialiter pertinet Moyconi; residui mansi pertinent filio Sifridi Theoderico, qui Theodericus, licet in capitalibus causis habet terciam partem de parte vitigonis, in Scolteciis tamen villarum aliarum in causis minoribus nichil habet iuris. In dicta villa sunt duo molendina, quorum vtilitas per medium diuiditur inter filium Sifridi et filios vitigonis. In *uilla Nicolai* scoltetiam nos contulimus filiis vitigonis specialiter. Alia autem vtilitas totius ville diuiditur inter filios vitigonis et filium Sifridi per medium; vtilitas eciam omnium aliarum uillarum in censu et decima pertinet per medium filiis vitigonis et filio Sifridi, scilicet in *uilla Conradi, Andree, Scorossonis, Lichtenberc et montibus contra Cucmantel et vrudental*, in quibus plenam obtinent iurisdictionem. Nos eciam de speciali gracia addidimus filiis vitigonis aduocaciam de uilla nostra *uilla Luduigi*. Volumus autem, ut hec omnia predicta inperpetuum a nobis et nostris successoribus teneant circa nos et honorem nostrum fidem debitam obseruantes; saluo iure nostro, quantum ad dominium nostrum in collectis et aliis iuribus domino pertinentibus et mandatis honestis, que uolumus ab eis firmiter obseruari. Ad perpetuum autem robur eorum que hic scripta sunt, cartam presentem sigillis nostro et nostri capituli confirmamus. In presentia talium: Domini Nicolai, decani vratislauiensis. Gerlaci, prepositi Lubucensis. Gregorii, prepositi Opoliensis. Heccardi. Martini. Volkeri. Boguslai. Hartuici. Leonardi. valentini. Leonardi. Thome. Magistri franconis. Magistri Petri. Pertconis Cancellarii. virchoslai. Nicolai. Dimitrii. Scriptum per manum Alberti corui. Datum vratislauie in ecclesia beati Egidii. Anno dominice incarnacionis M. CC. LX. tercio II. Kalendas Septembris.

Ex originali in archivo S. J. Opaviensis.

CCCLX.

Urbanus papa IV. inquiri mandat, a quibus et quantam pecuniam Petrus de Pontecurvo pro camera apostolica receperit. Dt. apud Urbem veterem, XV. Kalendas Novembris, 1263.

Vrbanus episcopus seruus seruorum dei. Venerabili fratri . . Episcopo Pragensi et dilecto filio B.(artholomeo) decano Olomucensi salutem et apostolicam benedictionem. Cum Petrus de Ponte curvo archidiaconus Gradicensis tunc capelle apostolice Sedis clericus, olim tempore felicis recordationis Alexandri pape predecessoris (sic) nostri in partibus illis eiusdem Sedis nuntius ab ecclesiarum prelatis et clericis ciuitatis et diocesis Pragensis tum de censibus et aliis ecclesie Romane ac terre sancte debitis, tum etiam de redemptione votorum non modicam recepisse dicatur pecunie quantitatem, discretioni vestre per apostolica scripta firmiter precipiendo mandamus, quatenus conuocatis abbatibus, archidiaconis et archipresbyteris ciuitatis et diocesis earundem, a singulis per iuramentum ipsorum, ad quod prestandum rebellis si qui fuerint per vos volumus ecclesiastica censura compelli, quid et quantum et a quibus et ex qua causa clericus ipse per se vel alios recepit in archidiaconatibus aut archipresbyteratibus eorundem diligentius et plenius inquiratis, et quod inueneritis, per vestras patentes literas cum sigillorum vestrorum appensione tenorem de verbo ad verbum presentium continentes nobis plene ac fideliter significare curetis. Scituri, quod si propter defectum vestrum circa inquisitionem huiusmodi aliquid omissum fuerit vel neglectum, illud de vestris manibus requiremus. Quod si non ambo his exequendis potueritis interesse, alter vestrum ea nihilominus exequatur. Datum apud Urbem veterem, XV. Kalendas Nouembris. Pontificatus nostri anno tertio.

In eundem modum . . Episcopo et . . decano Olomucensi . . „civitatis et diocesis Olomucensis."

In eundem modum . . Episcopo Pataviensi et M. Gerardo plebano Viennensi capellano nostro . . „civitatis et diocesis Pataviensis".

Ex autographo Regesto Urbani papae IV. tom. 2. anni III. fol. 246. in tabulariis Vaticanis.

CCCLXI.

Boreš, castellanus in Riesenburg, monasterio Welehradensi duodecim mansos in Welika, a Bohuslao patre suo ei collatos, confirmat. Dt. in Wlčnow, die 3. Martii, 1264.

Nos Borssho miseracione diuina castellanus in *Rysenburch* vniuersis Christi fidelibus tenorem presentis cedule cognituris ad rei memoriam sempiternam. Quoniam acciones hominum, quamuis sollempniter celebrate, procedente tempore defluere consueuerunt, et propter rerum aut temporum incertos euentus finem vix quandoque proprium sortiuntur, necesse igitur est et congruum, ut ea, que a memoria decidere possunt et facillime anullari, scriptis, que sunt indicium veritatis et testibus perhennentur. Noscat igitur tam presens hominum etas, quam in Christo successura posteritas hos apices inspectura: Quod ego *Borssho* de nostre gracie beneuolencia duodecim mansos, qui *leen* vulgariter nuncupantur, ad opera ecclesie *Welegradensis* olim a dilectissimo patre nostro *Bohuslao* in remedium sue et suorum parentum ac successorum animarum in villa nostra *Wellica* collatos, perpetuo possidendos eidem ecclesie presentis scripti patrocinio confirmauimus, concedentes liberaliter et volentes ut dicti mansi vel lanei et eorum possessores sine omni excepcione in siluis, pascuis, aquis et omnibus vsibus fructuariis atque omni libertate gaudeant, sicut nostri; hoc solo excepto, quod iudicem et plantatorem per se habeant specialem, cum quo ter in anno in iudicio, quod vulgo *bandich* dicitur, comparebunt, de querimoniis, tamquam ceteri nostri homines, responsuri, nisi quod de satisfaccionibus culparum suo domino tenebuntur. Vt autem hec nostra confirmacio robur optineat firmitatis, presentem cedulam exinde conscribi iussimus et sigilli nostri robore communiri. Si vero dictos laneos vendi contigerit vel mutari, nulli alteri, nisi nobis aut nostris pueris commutentur. Testes: Filius noster Zlavko. Wilhelmus de dolen. Bohuzlaus de zahon. Ludher de Chotemicz. Nicolaus et Mikol fratres. Iohannes de Turnicz. Acta in Wvlchenow anno domini MCCLXIIII, indiccione vij. in dominica: Esto michi, Amen.

E codice Welehradensi MS. fol. 42.

CCCLXII.

Otakarus, rex Boëmiae et marchio Moraviae, concedit monasterio Zarensi usum et quaestum de auri et argenti fodinis, si quae in haereditate ejusdem repertae fuerint. Dt. Iglaviae, IV. Idus Martii, 1264.

Ottakarus Dei gracia Rex Bohemorum Dux Austrie et Styrie et Marchio Moravie. Universis Iudicibus Urburariis Procuratoribus et Montanis Montium suorum, graciam suam et omne bonum. Ex Regalis officii nostri debito uolentes unicuique et precipue Deo militantibus Iura sua illibata seruare, gratanter admittimus et benigne quod Abbas et Ecclesia *Fontis sancte Marie in Sar* ex integro percipiat usum et questum de *aurifodinis et argentifodinis* si que reperte fuerint in hereditate pertinente eisdem, quem ceteri claustrales et Nobiles terre nostre in hereditate sua ex dicto negocio percipere consueuerunt, sub obtentu personarum et rerum districtius inhibentes ne quis ipsorum impediat in premissis saluis tamen iuribus nostris que exinde nos contingunt. Datum in Igla Anno Domini M. CC. LX. IV. quarto Idus Martii. Regni nostri Anno tercio.

Autographum cum sigillo venustissimo in archivo ejusdem monasterii asservatur. — Excusum dedit Steinbach — II. p. 20.

CCCLXIII.

Bruno, episcopus Olomucensis, Conrado, famulo suo, dicto de „Hucsaria", villam Bykowice et decem marcas ab abbate Třebíčensi annue percipiendas, necnon villas Giřjkowice et Milasow confert in feudum. Datum Olomucii, III. Kalendas Maji, 1264.

Bruno dei gratia Episcopus Olomucensis. *Conrado* famulo suo dilecto, *dicto de Hucsaria* et heredibus suis in perpetuum. Equitati proximum et rationi non dissonum arbitramur vt ad fideles nostros qui nobis et ecclesie nostre, non parcentes rebus et personis fideliter seruiunt et constanter, retributionis manum liberaliter extendamus, ut in eisdem possint efficacius persistere seruiciis, ipsorumque magis erga nos et ecclesiam nostram deuotio et fidelitas exardescat. Hinc est quod nos gratanter inspectis

fidelitatis tue seruiciis que nobis ad augmentum honoris nostri et ecclesie nostre profectum diucius ac incessanter gratuito inpendisti, pro quibus ut condecet te remunerare volumus quod fructuosus appareat labor tuus, et fidelitas tua magis erga nos et ecclesiam nostram per huiusmodi retributionis premium accendatur. Damus et conferimus libenter ac liberaliter tibi et heredibus tuis iure feudali villam *Bicowiz* cum omnibus suis pertinenciis et iuribus, censu, decimis, allodio, iudicio, stura, siluis, pratis, pascuis, molendinis, aquis, piscationibus, ortis, curticulis, humulariis, agris cultis et incultis; et omnibus aliis seruiciis et redditibus, nullo diminuto penitus vel excepto, per te ac heredes tuos perpetuo possidendam. Item *decem marcas* argenti percipiendas annis singulis ab Abbate *Trebecensis* monasterii qui pro tempore fuerit, quas tenetur soluere pro decimalibus denariis tibi et heredibus tuis iure conferimus prenotato. Hoc autem de consilio canonicorum nostrorum ordinauimus et statuimus quod vassallus quilibet ecclesie nostre qui per nos de bonis episcopalibus infeudatus existit, comparare debeat alias hereditates et bona, que medietatem valeant bonorum episcopalium sibi collatorum, et eadem ecclesie nostre dare libere ac solute, et in feudo a nobis recipere bona similiter comparata, qui uult perpetua feudi sui ab ecclesia stabilitate ac firmitate gaudere. Ideoque presentibus inserendum duximus quod tu secundum ordinationem hanc, de *Iurkowiz* et de *Milazowe* villas habentes. XVI. mansos et siluulam, per te comparatas emptionis titulo dedisti ecclesie nostre libere ac in nostris manibus resignasti recipiens a nobis in feudo villas predictas, quas apud Muthyn laycum, filium sororis domini Ienzonis et Hartlebi, pro triginta sex marcis argenti iure proprii comparasti. In recognitionem vero bonorum episcopalium que tibi contulimus dabis annis singulis canonicis ecclesie nostre mensuram vnam tritici, continentem modium vnum Opauiensem, de manso siue de laneo quolibet, et de mansis dumtaxat censualibus tibi, de allodio tuo, de zluhonibus, et de manso iudicis nichil dabis, et de predictis decem marcis argenti non teneberis quicquam dare. Item de bonis emptis ut ab hiis discerni possint, similiter nichil solues. Nam bona episcopalia que tibi collata sunt, ad heredes tuos, tantum filios transferentur, et numquam ad filias; sed empticia bona iure successionis tam ad filias quam ad filios transferentur. De predictis bonis omnibus tam emptis quam episcopalibus, in

necessitatibus in quibus adesse tenemur domino nostro regi Boemorum illustri, ad honoris sui et terre sue defensionem, et in propriis necessitatibus nostris, successorum nostrorum et ecclesie nostre seruicia facies militaria in armis videlicet et dextrario, quandocumque per nos aut successores nostros fueris requisitus, et heredes tui in bonis predictis succedentes tibi, ad eadem et similia seruicia tenebuntur. Quod autem omnia predicta tam nobis, successoribus nostris, et ecclesie nostre, quam tibi et heredibus tuis rata seruentur et stabilia, semperque maneant inconuulsa, nec vllius temporis euo aliquatenus immutentur, sed perpetuum irreuocabiliter sortiantur effectum hanc paginam ad rei memoriam sempiternam inde confectam sigilli nostri iussimus munimine communiri. Et nos Olomucense capitulum propriis huic carte subscribentes nominibus, predictam infeudationem factam tibi et heredibus tuis per venerabilem patrem, dominum nostrum Brunonem episcopum Olomucensem, videntes ipsam ecclesie nostre vtilem, necessariam et honestam, ratam habemus et gratam et consensum nostrum vnanimiter adhibemus annotatum presentibus et expressum. Et quod super hoc eciam nullus futuris temporibus dubietatis vel calumpnie possit oriri scrupulus hanc eciam paginam ad firmiorem rei stabilitatem sigilli nostri fecimus appensione muniri. Ego Bartholomeus decanus. Ego Herbordus prepositus. Ego Stephanus archidiaconus Olomucensis. Ego Symon custos. Ego Iohannes znoymensis archidiaconus. Ego Alexius prepositus de Wolframskirken. Ego Heydolfus prepositus et archidiaconus Cremeserensis. et nos ceteri Olomucensis ecclesie canonici per manum Conradi, dicti domini nostri episcopi notarii, canonici et confratris nostri huic carte subscribimus et premissis omnibus pro nobis et nostris successoribus canonicis Olomucensibus, voluntarie ac fauorabiliter consentimus. Actum et datum Olomuz. III. Kalendas Maii. Anno domini M. CC. LXIIII.

Ex originali cum duobus sigillis in archivo archiepiscopali Cremsirii. — Apographum in codice Olomucensi membr. I. fol. 79.

CCCLXIV.

Idem Thomae, famulo suo, villas „Zewiz" et Žerotice in Boëmia feudali jure confert. Dt. Olomucii, III. Kalendas Maji, 1264.

Bruno dei gratia Episcopus Olomucensis. Dilecto sibi Thome famulo suo et heredibus in perpetuum. Equitati proximum et rationi non dissonum arbitramur, vt ad fideles nostros, qui nobis et ecclesie nostre, rebus non parcentes et personis fideliter deseruiunt et constanter, retributionis manum liberaliter extendamus, ut in eisdem possint efficacius persistere seruiciis, ipsorumque magis erga nos et ecclesiam nostram deuotio et fidelitas exardescat. Hinc est quod nos gratanter inspectis fidelitatis tue seruiciis que nobis ad augmentum honoris nostri et ecclesie nostre profectum diucius ac incessanter gratuito impendisti, pro quibus ut condecet te remunerare volumus quod fructuosus appareat labor tuus, et fidelitas tua magis erga nos et ecclesiam nostram per huiusmodi retributionis premium accendatur, damus et conferimus libenter ac liberaliter tibi et heredibus tuis iure feudali villam episcopalem *Zewiz, sitam in Boemia,* cum vniuersis suis pertinentiis, censu, decimis, allodio, iudicio, stura, siluis, pratis, pascuis, molendinis, aquis, piscationibus, ortis, curticulis, humulariis, agris cultis et incultis, et omnibus aliis seruiciis et redditibus, nullo diminuto penitus vel excepto, per te ac heredes tuos perpetuo possidendam. Hoc autem de consilio canonicorum nostrorum ordinauimus et statuimus quod vassallus quilibet ecclesie nostre qui per nos de bonis Episcopalibus infeudatus existit, comparare debet alias hereditates et bona, que medietatem valeant bonorum episcopalium collatorum sibi, et eadem ecclesie nostre dare libere ac solute, et in feudo a nobis recipere bona similiter comparata; qui vult feudi sui ab ecclesia sua stabilitate ac firmitate gaudere. Ideoque presentibus inserendum duximus quod tu secundum ordinationem hanc, araturam vnam, tabernas duas molendinum vnum super Albiam in Boemia, que omnia data sunt tibi cum vxore tua, et villam *Serotiz* quam cum aliis terris et possessionibus inmediate adiacentibus ipsi ville apud dominum Iohannem Pragensem Episcopum pro XXXVI. marcis argenti, emptionis titulo comparasti, sitam in Boemia apud predictam villam Zewiz quam tibi et heredibus tuis contulimus, et translatam ad ipsam per te, ita quod vna

indiuisim uidetur esse uilla, dedisti ecclesie nostre libere, et in nostris manibus resignasti, recipiens a nobis in feudo bona predicta, que medietatem bonorum, ab ecclesia nostra collatorum tibi et heredibus tuis, et amplius valere noscuntur. In recognitionem vero bonorum episcopalium que tibi contulimus dabis annis singulis canonicis ecclesie nostre mensuram vnam tritici continentem modium vnum Opauiensem de manso siue de laneo quolibet, et de mansis dumtaxat censualibus tibi, de allodio tuo, de zluhonibus, et de manso iudicis nichil dabis. Item de bonis emptis, et de bonis cum vxore tua datis tibi, vt ab hiis discerni possint, similiter nichil solues. Nam bona episcopalia, que tibi collata sunt, ad heredes tuos tantum filios transferentur, et numquam ad filias; sed empticia bona et cum vxore data tibi, iure successionis tam ad filias quam ad filios transferentur. De predictis bonis omnibus tam emptis quam episcopalibus in necessitatibus in quibus adesse tenemur domino nostro Regi Boemorum illustri, ad honoris sui et terre sue defensionem, et in propriis necessitatibus nostris, successorum nostrorum, et ecclesie nostre, seruicia facies militaria in armis videlicet et dextrario quandocumque per nos aut successores nostros fueris requisitus; et heredes tui in bonis predictis succedentes tibi ad eadem et similia seruicia perpetuo tenebuntur. Quod autem omnia premissa tam nobis, successoribus nostris et ecclesie nostre, quam tibi et heredibus tuis rata seruentur et stabilia, semperque maneant inconuulsa, nec vllius temporis euo ullatenus inmutentur, sed perpetuum irreuocabiliter sortiantur effectum, hanc paginam ad rei memoriam sempiternam inde confectam sigilli nostri iussimus munimine roborari. Et nos Olomucense Capitulum propriis huic carte subscribentes nominibus, predictam infeudationem factam tibi et heredibus tuis per venerabilem patrem, dominum nostrum Brnnonem episcopum Olomucensem, videntes ipsam ecclesie nostre necessariam et honestam, ratam habemus et gratam, et consensum nostrum annotatum et expressum presentibus vnanimiter adhibemus. Et quod super hoc eciam nullus futuris temporibus dubietatis vel calumpnie possit oriri scrupulus hanc eciam paginam ad firmiorem rei stabilitatem sigilli nostri fecimus appensione muniri. Ego Bartholomeus decanus, Ego Herbordus prepositus, Ego Stephanus Olomucensis archidiaconus, Ego Symon custos, Ego Iohannes Znoemensis archidiaconus, Ego Alexius prepositus de Wolframskirken, Ego Heydolfus

prepositus et archidiaconus Cremeserensis. Et nos ceteri Olomucensis ecclesie canonici per manum Conradi, dicti domini nostri episcopi notarii, canonici et confratris nostri, huic carte subscribimus, et premissis omnibus pro nobis et nostris successoribus nostris canonicis Olomucensibus voluntarie ac fauorabiliter consentimus. Actum et datum Olomuz. III. Kalendas Maii. Anno domini M. CC. LXIIII.

Ex originali cum duobus sigillis appensis in arch. archiepiscopali Cremsirii. — Apographum in codicibus Olomucensibus membr. I. fol. 80. et chart. II. fol. 42.

CCCLXV.

Urbanus papa IV. Otakarum, regem Boëmiae, hortatur ad crucem iterato sumendam, eique, quidquid sibi terrarum apud Ruthenos et Litvanos subjugarit, apostolica auctoritate attribuit. Dt. Viterbii, pridie Nonas Junii, 1264.

Urbanus episcopus seruus seruorum dei. Carissimo in Christo filio Regi Bohemie Illustri salutem et apostolicam benedictionem. Agimus Deo laudes et gratias, quod sicut fame tue preconium patenter insinuat, tu velut fidelis athleta Christi solerter intendis ad ampliandum inter barbaras nationes cultum nominis Christiani. Unde tibi, velut Catholico et deuotissimo Principi, cum fiducia scribimus, super his maxime, que augmentum orthodoxe fidei continere dignoscuntur. Accepimus enim quod *Rutheni Schismatici et Lituani,* ac alii habitantes in eorum confinibus, qui deum non colunt, sed blasphemant potius nomen eius; una cum Tartaris eorum complicibus, quibus sunt federe damnato coniuncti; Poloniam hostiliter frequenter inuadunt, eis nemine resistente, ipsi etiam quidquid est in Prussia per dilectos filios fratres domus hospitalis s. Marie Thevtonicorum Ierosolymitanorum auxilio sedis apostolice Christique fidelium, non absque plurima effusione sangvinis acquisitum, conantur destruere, intendentes fidem Christianam exinde totaliter extirpare. Ideoque Serenitatem regiam rogamus, et hortamur attente, tibi nihilominus in remissionem peccaminum suadentes, quatenus ad eiusdem fidei tuitionem, et sui cultus ampliationem contra

Schismaticos, et alios predictos potenti manu procedas; Nos enim Apostolica tibi auctoritate concedimus, ut terre Ruthenorum et Lituanorum, quas per ministerium tuum ad Christianam fidem fauente clementia diuina conuerti, vel per te expugnari contigerit, dummodo predictis Fratribus, seu quibuscunque aliis Catholicis ius in terris eisdem non competat, collocatis in eis Christi fidelibus in tuo, et heredum tuorum dominio perpetuo debeant permanere. Datum apud Vrbem ueterem II. nonas Iunii. Pontificatus nostri anno tertio.

Raynald — T. XIV. ad annum; Balbinus in Miscellaneorum libro VIII. pag. 16.

CCCLXVI.

Testimonium de decimis et censu in Husowice a monasterio Zabrdowicensi percipiendis. Dl. (Brunae), IV. Kalendas Julii, 1264.

Simon diuina miseratione custos Olomucensis ecclesie, ac Brezlauiensis archidiaconus, nec non Brunensis notarius. Omnibus presens scriptum visuris salutem in omnium Saluatore. Ne rerum gestarum memoria processu temporis possit euanescere, discretorum virorum prudentia solet eas litterarum fulcimine roborare. Nouerint ergo tam presentes, quam posteri, quod sicut ecclesia *Zabrdouicensis* de predio in *Husicz* plenas decimas a retroactis temporibus iure consueuit percipere, sic et nostris temporibus easdem recepit pacifice, ac quiete. Nam cum primum quatuor laneos a Volschone pie recordationis ibidem comparauimus, ius, quod in dandis decimis inuenimus plene, studuimus seruare, idem facientes ex laneis ab Henrico Husensnidario comparatis. Postremo agros quosdam ecclesie, qui *Prues* (?) vulgariter nuncupantur, dicto predio adiacentes, emimus ab abbate Theodorico, de consensu totius conuentus sub hac forma, quod singulis annis dimidiam marcam argenti nomine census, ac plenas decimas de eisdem soluere deberemus, quam formam non excessimus, quamdiu nostre iurisdictioni subiecta fuit possessio memorata, quin imo predictum censum annis singulis, ac plenas decimas ecclesie supradicte persoluimus, antequam agricola sue partem acciperet portionis. Tandem vero, cum

sepedictum predium, seu curiam venderemus Haymanno ciui Iglauiensi, in ipso contractu, euidenter expressimus ius et consuetudinem predii prenotati tam in censu, quam in decimis, esse inuiolabiliter obseruandam. Ne igitur super huiusmodi venditione litis possit materia suboriri, presentes conscribi fecimus, et sigilli nostri munimine roborari. Testibus subnotatis, quorum hec sunt nomina. Fridericus de Goding iudex prouincialis, dominus Fridericus subpincerna Regis, Eberhardus, Preslo, Swellarius, Perengerus, Hiruso ciues Brunenses. Acta sunt hec Anno Domini M. CC. LXIIII. IV. Kalendas Iulii.

Ex Annalibus MSS. ejusdem monasterii et aliis copiis.

CCCLXVII.

Přemysl, rex Boëmiae et marchio Moraviae, monasterio Tišňowicensi villam Lukow (Luka), per Drahoslaum militem violenter ablatam, adjudicat. Dt. Olomucii, die 10. Novembris, 1264.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis amen. Nos Premyzel dei gracia rex bohemie dux Austrie Styrieque ac marchio Morauie tam presentibus quam futuris imperpetuum. Quoniam ea que apud mortales facta geruntur ab eorum memoria obliuionis nubilo facillimo facillime subducuntur nisi scripti tenacitate fuerint roborata. Ea propter generositatis nostre gloriosam intuentes prosapiam et honoris diuinitus ampliatam leticiam eum qui regna tenet olimpi habemus eo amplius reuereri ut dum nobis mundanarum rerum et dignitatum affluentiam impertitur et celestium gaudiorum graciam largiatur. Nouerint igitur presentes et futuri has litteras inspecturi quod Abbatissa *Elyzabet* nomine sanctimonialium ordinis Cisterciensis in porta celi quod uulgo *Tusnowiz* dicitur cum reliquis sanctimonialibus accedens ad presentiam nostram cum iudicio presideremus in Olomunz una cum domino B.(runone) dicti loci antistite ac baronibus bohemie et Morauie nobilibus in festo beati Martini correcturi terre nobis subiecte obstacula multiplicia querimoniam mouit de villa *Lucove* nuncupata per *Drahozlaum* militem nostrum sibi violenter ablata. Dictus vero miles eclipticare se sentiens iure obuiandi aduerse parti nobilium consilio suarum suorumque

instancia precum amicorum villam prefatam Lucove videlicet contra iam dictam Abbatissam suumque conuentum usque sue ad finem vite possidendam devocius impetrauit nostri favoris gracia interueniente sub hac autem forma ut claustro prelibato porte celi omni iure pristino pratis siluis molendinis aliisque attinentiis omnibus iustis possessis modis ipso mortuo assignetur quod nec uxor sua nec quisquam puerorum suorum uel amicorum respectum imposterum uel spem ad villam habeat nuncupatam. Vt hec autem firma permaneant et inconcussa presentem paginam sigilli nostri munimine dignum duximus roborari et testium subscriptione annotari in quorum presentia hec acta sunt Bruno episcopus olomucensis cuius sigillum volumus huic littere apponi Dominus Robertus Abbas Gradycensis Zmylo de Luchtenburch Zmylo de Bylcow. Egidius, cum filiis suis. Pardvz. Beneda. Hartlebus, cum fratre suo Ienzone. Zezema. Bohus, filius Cyrhonis. Bzneto. Hartlebus, camerarius, et alii quam plurimi nobiles terre nostre. Datum anno domini M. CC. LXIIII.

Ex originali cum sigillo bilaterali venusto in archivo ejusdem monasterii.

CCCLXVIII.

Smil de Lichtenburg ratam habet donationem villae Slawkowice a Bohuslao, burggravio suo, monasterio Zarensi factam. 1264.

Nos Zmilo dei gratia Dominus de Lvochtenburch. vna cum vxore nostra Elysabet appellata. et liberis nostris. Vniversis christi fidelibus tam presentis etatis. quam future succedentis posteritatis. inperpetuum. Qve aguntur in tempore. labuntur cum tempore. nisi scriptis et testibus perhennentur. Noscat igitur tam presens etas. quam futura posteritas. has litteras inspectura. quod nobilis vir *Bohvzlaus* burchrauius noster in Lvochtenburch et vxor sua. divina inspiratione conpuncti. de consilio et voluntate vnanimi ad honorem dei altissimi et beatissime virginis matris eius habita deliberatione. villam dictam *Slaucowitz*. quam possident iure feudi ex parte elysabet vxoris nostre. cum omnibus sibi iure attinenciis cultis et incvltis. siluis. pratis. piscationibus. venationibus. post mortem suam. et vxoris sue. Cenobio *Sar* appellato. ordinis cisterciensis Dyocesis

Pragensis. perpetuo contulerunt possidendam. Ita tamen quodsi vxor marito defuncto denuo nupserit. predictam villam omni occasione cessante. supra memoratum Cenobium pacifice possidebit. Si autem vidua permanserit. sine omni impedimento. usque ad terminum vite sue obtinebit. Vt autem hec donatio firma permaneat. stabilisque perseueret. Nos Zmilo. cum vxore nostra ac liberis nostris dictam villam cum suis attinentiis prefato cenobio iure hereditario possidendam confirmamus. et ne super hoc scrupulositas aliqua valeat suboriri. ad cautelam sufficientem presentes apices. sigilli nostri mvnimine roboramus. Datum ab incarnacione domini M. CC. LXIV.

Ex originali ejusdem monasterii cum sigillo laeso. — Excus. apud Steinbach — II. pag. 21.

CCCLXIX.

Otakarus, rex Boëmiae et marchio Moraviae, ad petitionem Brunonis, episcopi Olomucensis, praeposituraе Cremsiriensi villam Lešice confert. Dt. Pragae, III. Nonas Februarii, 1265.

Othacharus dei gracia Boemorum Rex, Dux Austrie et Styrie, Marchioque Morauie. Vniuersis presentem paginam inspecturis et audituris, inperpetuum. Cum ad retribuendum aliquid ipsi, qui omnia nobis tribuit, cuius pietatis dignacio nos excellenti terrene dignitatis tytulo extulit, et copiosius sublimauit, nos esse conueniat sollicitos et intentos, expedit, ut circa profectum et vtilitatem ecclesiarum liberalitatis manum efficaciter extendamus. Hinc est, quod ad peticionem venerabilis patris, domini Brunonis, Episcopi Olomucensis, quem sue sinceritatis obtentu speciali prosequimur prerogatiua fauoris, ad *prepositurам Ecclesie de Cromesier* sue diocesis villam de *Lessicz*, quam Camerarii hactenus possederunt, iuxta *Cromesier* sitam, damus et conferimus liberaliter et libenter iure pleno et iurisdiccione perfecta, cum omnibus suis attinenciis, nullo diminuto penitus uel excepto possidendam perpetuo per Heydolphum nunc prepositum de Cromesier et successores suos, facientes iam dictum Heidolfum prepositum in eiusdem ville corporalem possessionem induci, vt in ipsa tamquam verus ipsius dominus et possessor nomine prefate prepositure pro sua et ecclesie de

Cromesier vtilitate plenam ordinandi et disponendi habeat facultatem, quam et successores ipsius habebunt. Quod autem hec nostra pia et libera donacio robur obtineat perpetue firmitatis, nec possit ullatenus processu temporis immutari, presentem paginam inde confectam et conscriptam sigillorum nostrorum iussimus munimine roborari. Actum Prage III. Nonas Februarii. Anno domini M. CC. LXV. Presentibus venerabilibus patribus. domino Bertoldo, domino Iohanne, domino Brunone, Babenbergensis, Pragensis et Olomucensis ecclesiarum Episcopis. Iacobo preposito Pragensi. Hartlebo Camerario de Morauia. Herbordo dapifero Episcopi Olomucensis, et aliis quam pluribus. Datum per manum Magistrorum Vlrici et Petri Curie nostre prothonotariorum. die ac loco prefatis.

E codicibus MSS. Cremsiriensi D. III. et Olomucensi I. fol. 13.

CCCLXX.

Bruno, episcopus Olomucensis, attestatur, conventionem inter se et monasterium Welehradense factam de solvenda marca auri pro decimalibus denariis de villis monasterii. Dt. apud Cremsirium, V. Kalendas Martii, 1265.

Bruno dei gracia episcopus Olomucensis. Omnibus hanc litteram inspecturis et audituris in domino salutem. Ea que iuste ac deliberatione prouida statuuntur, seu eciam ordinantur, firma debent et illibata persistere et ne processu temporis in contentionis labantur scrupulum scripti connenit amminiculo roborari. Cum igitur inter nos et virum venerabilem dominum .. Abbatem *Willeradensem* suumque Conuentum, Ordinis Cisterciensis nostre diocesis, taliter condictum sit ac etiam rationabiliter ordinatum, vt de villis infra scriptis ad monasterium suum pertinentibus, videlicet de *Prietz. de Tupiz. de Lechowe. de Borsiz. de Coztelen. de Naconiz. de Polissowiz. de Domaningen. de Mistersingen. de Clobuch. de Potuoriz. de Walterdorf. de Prilluch. de Nempschiz. de Lenewiz. de Qualcowiz. de Doloplaz. de Zucowiz. de Babiz. de Vssnawiz. de Gelube. de Trappliz. de Wellegrad. de Knespol. de Gherosowe. de Maratiz. de Popowiz vtroque. de Wasan. de Vgest. de Sifridsdorf. de Darcendorf. de Piess. de Bolatiz. de Clebegowe.*

de Hossiz. de Stiboriz. de Iescowiz. de Gemniz. de Zadeh. de Labniz. de Bratricowiz. de Mladotiz. de Eckardi villa. de Hermanni villa. de Bochdanewiz. de Schouebrunne, pro decimalibus denariis marcam auri in octaua beati Martini nobis soluere debeant annuatim. Nos ad huius rei memoriam et euidenciam presentem paginam conscribi, et sigilli nostri iussimus munimine roborari. Actum et datum apud Cremeser. V. Kalendas Martii, anno domini M. CC. LXV.

Ex originali absque sigillo in arch. ejusdem monasterii. — Apographum in codice Welehradensi fol. 82.

CCCLXXI.

Ludmila de Řjše in Moravia vendit monasterio Zwellensi redditus quosdam in Walkersdorf. Acta die 25. Maji, 1265.

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis. Ludmilla de Revsch. filia quondam antiqui Witigonis. salutem in domino sempiternam. Quia succedente tempore. accedit et oblivionis macula. per quam liber memorie obfuscatur. et solent infirmari diverse hominum actiones. interest (?) plurimum. si quod digne in memoriam vertitur hominum. scripture studio condiatur. Singulorum igitur notitie ad quos presens scriptum deuenerit patefiat. quod ego *Ludmilla de Reusch* pietatis studio incitata. intendens dare operam sorori mee domine *Katarine.* ad fundandam plantationem novam ordinis Cysterciensis in *Boemia* pro habitatione sanctimonialium feminarum. vendidi domino Chunrado venerabili abbati de *Zwetll* in Austria. de possessione mea hereditaria. redditum quinque talentorum et dimidium in *Walkersdorf.* pro viginti marcis argenti. ut per easdem res mobiles. plantationis nove predicte. res immobiles comparentur. ita sane. ut tam per possessionem venditam. quam per emptam. ut ubique serviatur omnium conditori. Unde cum fratres mei Witigo de Zcaliz. Hogerius de Witigenaue. Wilhelmus quoque de Syzinko. Zumbracus de Linz. ex parte sororum mearum *Gertrudis* et *Iulte.* et omnes heredes. quibus vel ex aliqua causa vel occasione predicte possessionis hereditas vel nunc. vel in posterum videbitur. omni iuri hereditatis et impeticioni cesserint absolute. ut tam ipsorum.

quam heredum suorum. tam in Zwettl. quam in nova fundatione perhennis memoria habeatur. Pro habundanti tamen cautella prefatis fratribus de Zwettl. dedi pro defensore dominum Rapotonem de Valchenberch. et filium suum Rapotonem. et heredes suos. ut si qui presentem meam liberam venditionem. et fratrum cautam emptionem. adtemptaverint retractare. non tam ius. quam iuris iniurias fabricantes. cum omnis in hac actione litis occasio sit decisa. predictus dominus Rapoto de Valchenberch. et Rapoto filius suus. et heredes sui. eiusdem possessionis redditus. pro ipsis stando. tueri ac defendere teneantur. secundum ius terre Austrie generale. Tandem quoque defensionem sumunt sibi Vitigo de Zcalitz. Hogerius de Witigenaue. Wilhelmus de Syzinko. Zumbracus de Linz. contra omnes heredes in Boemia constitutos. Ut autem huius venditionis et emptionis processus perpetuam habeat firmitatem. presens testimonium. est sigilli mei et domini Rapotonis de Valchenberch robore communitum. testibus ydoneis nichilominus subnotatis. Qui sunt Ulricus de Newenhaus. Ulricus de Lomnitz. Bvdiboy de Zcalitz. Vitigo de Chrumnow. Woko et Zezen fratres de Witignawe. Rapoto de Valchenberch. et Rapoto filius suus. Pilgrimus de Swarzenawe. Henricus frater eius. Chatoldus filius Pilgrimi. Rudolfus purchrauius de Gors. Hugo Turso. et Hadmar frater eius. Otto de Rastenberch. et Albero frater eius et alii quam plures. Acta sunt hec anno domini. Millesimo. ducentesimo. sexagesimo. quinto. in festo beati Urbani pape.

Ex originali ejusdem monasterii cum duobus sigillis appensis.

CCCLXXII.

Fratres et consanguinei Ludmilae de Řjše cedunt de jure suo in redditibus in Walkersdorf, quos eorum soror monasterio Zwettlensi vendiderat. Acta die 25. Maji, 1265.

Nos Vitigo de Zcalitz Hoygerus de Witigenow. fratres. Wilhelmus de Sizingo et Zumbracus de Linz. vice sororum nostrarum *Gertrudis et Iutte*, nec non et omnium, ad quos subscripta hereditas videtur aliqualiter derivari. notum facimus universis. presentes inspecturis litteras protestantes. quod unanimiter abnegamus omne ius quod nobis hereditaria successione

cedere videbatur. in redditibus quinque talentorum et dimidii sitis in Austria in *Walkersdorf* quos soror nostra et consanguinea domina *Ludmilla de Reusch* tanquam specificatam sibi hereditatem de consensu tamen nostro vendidit libere domino Chunrado abbati de *Zwettl* et fratribus ibidem pro viginti marcis argenti. intendens cum eadem summa pecunie cuidam novelle plantationi ordinis Cysterciensis ad habitationem sanctimonialium feminarum alia predia comparare. per que dominatori omnium perhenniter serviatur. Unde cum nos qui sumus in linea consanguinitatis proxima constituti. ad quos solos videtur predicta hereditas devenire pro salute nostra antecessorum quoque et successorum nostrorum pietatis studium non debeamus extinguere sed affectu et effectu ut posse suppetit inflammare. ut predicti fratres de Zwettl reddantur in sua emptione inposterum cautiores. et ne ab aliquibus occasionem non causam querentibus hec nostra super eisdem hereditatibus. abdicatio infirmetur. cum exceptis nobis non sit alius verus heres damus pro defensore eisdem fratribus de Zwettl in eadem possessione dominum Rapotonem de Valchenberch et Rapotonem filium eius et heredes suos. ut pro ipsis stent et respondeant omni predictos redditus impetenti. secundum ius terre Austrie generale. Tandem quoque nos quatuor defensionem assumimus contra omnes heredes in Boemia constitutos. In huius abdicationis nostre et facti certam evidentiam. ad ambiguitatis etiam scrupulum de medio recidendum presens scriptum est sigillis nostris appendentibus firmiter roburatum. testibus etiam ydoneis subnotatis. Hii sunt Vlricus de Niwenhovs. Vlricus de Lomnitz. Budiboy de Zcalitz. Witigo de Chrumenow. Woko et Zezen fratres de Witigenow. Rapoto de Valchenberch. et Rapoto filius eius. Pilgrimus de Swarcenow. et Hainricus frater eius. Chadoldus filius Pilgrimi. Rudolfus purcravius de Gors. Hugo Turso. Hadmarus frater eius. Otto de Rastenberch. Otto filius fratris eius. et alii quam plures. Acta sunt hec anno domini. Millesimo. ducentesimo LXV. In die sancti Vrbani pape et martiris.

Ex originali ibidem, cujus sigilla avulsa sunt.

CCCLXXIII.

Iidem Rapotonem de Falkenberg constituunt defensorem haereditatis ejusdem in Walkersdorf monasterio Zwetlensi venditae. (1265).

Viris strenuis et amicis karissimis domino R.(apotoni) de Valchenberch et R. filio suo. Vitigo de Zcalitz. Hogerius de Witignawe. Wilhelmus de Sesinko. Zumbracus de Linz ad quelibet eorum beneplacita se paratos. Cum de amicitia uestra. cuius iam non parvum cepimus argumentum. geramus fiduciam pleniorem. Sinceritatem vestram. rogamus omni studio et affectu. quatenus possessionem quandam sitam in *Walkerstorf* in austria, que dominam *Ludmillam de Reusch.* hereditarie contingebat. et immediate cesserat parti sue. quam ipsa domina Ludmilla. de consensu nostro et omnium heredum. ad quos videbatur eadem possessio in parte aliqua derivari. vendidit domino Chunrado abbati in *Zwetll* et fratribus ibidem. pro viginti marcis argenti. vobis. nostri obsequii intuitu assumatis. existentes eiusdem predii defensores. secundum ius terre Austrie generale. contra omnes, qui predictam emptionem presumpserint infirmare. Nos vero vobis promittimus vice versa, quicquid vobis in hac defensione in posterum deperire contigerit. ex aliquibus qui se debitos finxerint successores. quod pro vobis stabimus confitenter et si quid dampni receperitis ex integro refundemus. Nolumus enim ut predicti fratres in sua emptione aliquod recipiant detrimentum.

Ex originali ibidem cum quatuor sigillis.

CCCLXXIV.

Wulfhildis, relicta Wichardi de Tyrna, donat monasterio Zwetlensi villam „Ezelenstage". 1265.

Vniversis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis. Wvolfhildis relicta vidua de *Tyrna* salutem in omnium salvatore. Cum federa coniugalis copule iuxta domini sententiam. Karitate vicaria, in vita foveri debeant et nutriri. dignum est ac consequens, ut beneficia, que corporaliter fuerunt exhibita. aliis pietatis operibus etiam post obitum comprobentur. Notum sit igitur tam presentibus quam futuris, quod ego *Wolfhildis.* dilectione

mariti mei domini *Wikhardi* pie memorie iam defuncti provocata, pro remedio ipsius anime ac mea propria et filie mee salute. Villam in *Ezelenslage.* cum molendino adiacente fratribus et conventui monasterii in *Zwettl* ad officium subcellarii pro eiusdem conventus solatio ampliori. contuli possidendam. Quam villam predictus maritus meus prefatis fratribus delegaverat adhuc vivens, resignantes totum ius nostrum cum uilla, quemadmodum illam possedimus multis annis. filia quoque mea Ivtta. cum coniuge suo Iohanne. iuri suo, quod in villa prenotata, habere videbantur, integraliter renunciaverunt. Ad cuius rei evidentem cautellam. presentem litteram cum sigillo proprio mariti mei censui roborare cum testibus subnotatis. Qui sunt. Wernhardus filius patrui domini Wikhardi. Ekkhardus de Mizilbaritz, et frater ipsius Hartlibus. dominus Chunradus plebanus de Fretking. dominus Almarus plebanus de Drozendorf. Waltherus miles de Tyrna. dominus Hugo de Lichtenwels. dominus Pilgrinus de Swarzenaue. et alii multi ydonei et probi viri. Acta sunt hec anno domini MCC. LXV. Sciant quoque universi ac singuli. quod dominus abbas et conventus de Geras. quibus prefatam villam adhuc vivens ante annos aliquos resignaverat. tam in sepultura domini Wichhardi quam ante ipsius obitum. quiccunque iuris sui fuerat sepe dictis fratribus resignaverunt. in possessione predicta. In cuius rei evidens testimonium idem abbas presenti littere sigillum ipsum apposuit et impressit. testibus subnotatis. Quorum nomina sunt. dominus Winhardus de Laukwitz. Waltherus de Tyrna. et Winhardus frater ipsius. Ditricus et Winhardus fratres. filius Hugonis. Wolfhardus et Waltherus. filii Waltheri de Tyrna. cum aliis multis.

Ex originali ibidem cum duobus sigillis.

CCCLXXV.

Smil de Lichtenburg donat monasterio Zarensi capellam in Chotěboř cum dote et decima thelonei. Dt. in Sommerburg, IV. Nonas Decembris, 1265.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis amen. Nos Zmilo de Luchtenburch Baro illustris Regis Boemie omnibus presentes inspecturis salutem

cum plenitudine omnis boni. Etsi zelum pietatis ad omnes generaliter extendere teneamur, specialiter tamen amplioris pietatis et gracie prerogatiua censemus dignos, quorum uita laudabilis secundum meritorum exigentiam ad huiusmodi pietatis et gratie insignia efficit aptiores. Qua de causa venerabilibus viris Abbati et Capitulo in *Sar* ad honorem dei ac genitricis eius cui militant in fama et conuersatione laudabili ac honesta, ex affectione sincera, qua venerabilem virum dominum Winricum Abbatem amplectimur et Capitulum dicti loci, *Capellam in Kolbvrs* cum dote eius et decimam thelonei ibidem pleno iure ac perfecta libertate ex deliberatione matura contulimus in remedium animarum progenitorum ac successorum nostrorum et nostrum. In cuius rei testimonium presens instrumentum super hoc confectum dari fecimus eisdem sigilli nostri karactere consignitum, cum annotatione testium qui intererant subscriptorum. Qui sunt hii. Iacobus, Heinricus, Styzlaus Capellani nostri. Wernherus dictus Piscator Iudex in Broda, et alii quam plures. Actum in Suomirburch Anno domini MCCLXV. In die beati Andree Apostoli. Datum ibidem per manus notarii nostri Gerlaci Quarto Nonas Decembris Anno Indictionis octauo.

Ex originali ejusdem monasterii cum sigillo illaeso. — Item apud Steinbach — II. pag. 22.

CCCLXXVI.

Bruno, episcopus Olomucensis, encyclicis literis collectores ad sublevandum ecclesiae suae exustae commendat. Dt. apud Kelč, in die beati Nicolai, 1265.

B.(runo) dei gracia episcopus Olomucensis. Dilectis in Christo. decanis. plebanis, et eorundem vicarijs et alijs ecclesiarum rectoribus, ciuitatis et diocesis Olomucensis, quibus hec littera exhibita fuerit, salutem in domino. Cum petionis negotium quod ad presens agitur, pro necessitatibus ecclesie nostre *Olomucensis* tanto diligentius amplecti, tantoque studiosius prosequi debeamus, quanto feruentius, ipsius que mater est et domina omnium nostre diocesis ecclesiarum, ex debito aspiramus honorem, quantoque maiora et pociora ad decorem requiruntur ipsius, Vniuersitates

vestram affectu speciali duximus requirendam, in virtute vobis obedientie districte nichilominus precipiendo mandantes; quatinus pro diuina beatique Wencezlai, et nostra reuerentia, et vos dictum negocium habentes propensius commendatum, nuncios ipsius ecclesie cum ad vos venerint benigne recipere ac honeste tractare curetis, apud plebem vestram ipsum negocium iuxta requisitionem et informationem ipsorum nunciorum fideliter et efficaciter promouentes. nec ab eis quod penitus et districtius inhibemus, cum necessitatem ipsius ecclesie debeatis propriam reputare, porcionem aliquam exigatis. Taliter in hijs et in alijs que promotionem nogocij respiciunt facientes quod ex operibus deuotionis et caritatis, quam principaliter Olomucensi ecclesie tamquam matri vestre ex debito vos gerere conuenit, possitis merito commendari. Et licet de omnibus vobis firmam habeamus fiduciam quod mandatum nostrum tocius diligentie studio exequi debeatis, nichilominus tamen cum et sic deuotorum noscatur sinceritas, et rebellium proteruitas, dedimus dictis nuncijs in mandatis vt illos quos circa promotionem eiusdem negocij desides senserint et remissos ad nostram si infra diocesim fuerimus, sin autem ad decani et capituli Olomucensis presentiam citare debeant pro meritis recepturos, cum tales vtique in quorum cordibus illa quam matri sue tenentur gerere videbitur per inobedientiam huiusmodi caritas deuotionis extincta, sint merito puniendi. Preterea vt memoratum negocium ad vtilitatem et profectum ecclesie nostre felicius prosperetur, omnes indifferenter alias petitiones et post et ante negocium istud concessas a nobis, suspendimus et interdicimus, quousque inchoatum Olomucensis ecclesie negocium peragatur. Inhibentes districtius nequis nuncius seu petitor, loci cuiuscumque nostris contra interdictum et suspensionem huiusmodi, litteris vti presumat. Datum apud Ghelz. in die beati Nicolai. anno domini M. CC. LXV.

Ex originali in archivo capituli Olomucensis.

CCCLXXVII.

Idem omnibus, qui apud oppidum Cremsirium (Chroměžjř) plantaverint vineas, ad decem annos libertatem concedit. Datum apud Modřice, die 1. Januarii, 1266.

Bruno dei gracia Episcopus Olomucensis omnibus hanc paginam inspecturis inperpetuum. Cum rerum gestarum certissima representacio sit scriptura que de verborum serie redactorum in eam nichil minuit aut mutat. Notum esse cupimus presencium tenore tam posteris quam modernis quod apud opidum nostrum *Cremsyr vineas locandas* dedimus et plantandas ac omnibus qui vineas ibidem receperint et plantauerint per decem annorum spacium conferimus libertatem quibus completis soluent nobis de ipsis vineis vt in locis aliis in quibus eciam habentur vinee optinet consuetudo eodemque gaudebunt iure quo et alii qui *vineas in Morauia* tenent et possident gaudere noscuntur. Et ad *Conradum de Landisberg* famulum nostrum dilectum opidanum nostrum in Cremsyr, cui locacionem vinearum commisimus, quemque *Perkmaister* fecimus ibidem et constituimus in quo et heredes sui succedent eidem in suscipiendis vineis et super iuribus suis respectum habebunt in omnibus et recursum. Quod autem super premissis nullus processu temporis dubietatis uel calumpnie scrupulus emergat presentem paginam ad rei memoriam sempiternam inde conscribi nostrique sigilli iussimus munimine roborari. Datum apud Modericz in die Circumcisionis domini. Anno incarnacionis sue M. CC. LXVI. presentibus Heydolfo preposito de Cremsyr Heydenrico Decano Magistro Heinrico de Kalcowe Custode Canonico in Cremsyr Conrado notario nostro. Arnoldo Aduocato nostro in Cremsyr et aliis quam pluribus.

E codice Olomucensi chart. I. pag. 43.

CCCLXXVIII.

Joannes, abbas Montis Syon, et Theodoricus, abbas Lucensis, confirmant monasterio Gradicensi (Hradišťensi) emtionem villae Bystročice. Actum in Hradišť, 23. Aprilis, 1266.

In nomine patris et filii et spiritus sancti amen. Anno domini M. CC. LX. VI. in die beati Adalberti martiris atque pontificis, cum nos

Iohannes, dei patientia abbas ecclesie Montis Syon, cum collega nostro, domino Theodorico, abbate Lucensi, uisitaremus ecclesiam *Gradicensem*, nostram filiam specialem, auctoritate domus Premonstratensis et capituli generalis, in plenitudine potestatis gratam et ratam habuimus, et ad petitionem uenerabilis, et in Christo dilecti fratris, domini *Roberti*, abbatis loci, auctoritate ordinis, qua tunc fungebamur, ac etiam nostra paterna confirmauimus ordinationem, quam de consensu et bona uoluntate sui conuentus de uilla *Bystroczicz* pietatis intuitu ordinauit in hunc modum; uidelicet, quod de ipsa uilla, quam idem abbas emit de pecunia fratris sui, domini Tobie bone memorie, quondam prepositi Pragensis, et Benessii, cognati sui, et quam custodie assignauit, custos lumen prouideat, quod semper de noctibus in cemeterio ardeat, ac etiam de prouentibus dicte uille officium custodie, in quantum poterit, promoueat, et emendet, et semel in anno sollempniter fiat a conuentu memoria generalis iam dictorum et omnium aliorum parentum et charorum dicti abbatis, et custos in solatio refectionis, prout melius poterit, fratribus prouideat ipso die. Ut autem hec pia ordinatio per temporis processum in perpetuum in suo uigore inuiolabilis perseueret, nostrum sigillum et dicti college nostri una cum sigillis prefatorum abbatis et conuentus presentibus est appensum. Actum anno et die prefatis in Gradis.

Ex Annalibus Gradicensibus MSS.

CCCLXXIX.

Bruno, episcopus Olomucensis, Ulrico laico villam Hermannsdorf locandam concedit. Dt. in castro Mjrow, die 26. Maji, 1266.

Bruno dei gratia episcopus olomucensis. Omnibus hanc literam inspecturis et audituris in perpetuum. Quoniam ea, que geruntur sub tempore, crebro cum decursu temporis euanescunt, ratione prouida scriptis autenticis annotantur. Proinde presentium annotatione tam posteris, quam modernis cupimus esse notum: Quod *Vlrico* laico villam in *Hermansdorff locandam* dedimus, ipsique contulimus iudicium dicte ville, ita quod locationis iure sibi decimus mansus cedat. Item tertium de iudicio percipiat dena-

rium, molendinum cum una rota, si fieri poterit, habebit ibidem. Dicti mansi et omnia predicta libere pertinebunt ad ipsum, et ad heredes suos perpetuo transferentur. Ad predictam villam quadraginta mansos deputauimus, et homines, qui locati sunt in ipsis, tredecim annorum ab hoc die libertate gaudebunt. Et si plures poterint locari homines in ipsa villa, mansorumque numerus augeri poterit, illi qui locabuntur, adhuc insuper crescenti mansorum numero viginti annorum libertate fruentur. Postquam autem libertas expirauerit, dimidiam argenti marcam de manso quolibet in festo beati Martini annis singulis, nobis et successoribus nostris soluent, decimam uero, ut in locatione condictum est, soluere non tenentur. Quod autem omnia premissa futuris temporibus permaneant inconuulsa, presentem paginam ad rei memoriam sempiternam inde conscribi nostrique sigilli iussimus munimine roborari. Datum in castro nostro Myrowe feria quarta in Ebdomada Trinitatis. Anno domini millesimo ducentesimo sexagesimo sexto presentibus Herbordo preposito Olomucensi, Heydolfo preposito Cremsiriensi. Conrado et Ioanne notariis nostris. Helemberto iudice de Suitauia et aliis quam pluribus.

E confirmatione Stanislai episcopi ab anno 1522. in archivo archiepiscopali Cremsiriensi.

CCCLXXX.

Idem confirmat fundationem beneficii in ecclesia Olomucensi a Beneda de Dubičko factam cum praebenda in villa Krčmany. Actum Olomucii, IV. Nonas Junii, 1266.

Bruno dei gracia Olomucensis episcopus omnibus Christi fidelibus hanc litteram inspecturis eternam in domino salutem. Que ad diuini nominis cultum et honorem, ac animarum salutem, pie ac prouide, in nostra dyocesi statuuntur, hijs merito ex officii nostri debito tenemur robur adicere firmitatis, vt nullius eis possit aduersitatis obesse calumpnia, cum debite munimento rectitudinis sunt suffulta. Cum igitur nobilis vir. dominus *Beneda de Dubisk,* ad honorem dei et pro remedio anime bone memorie *Marquardi* filij sui olim ecclesie nostre canonici quinque mansos in villa sua *kyrchman*

vice priori cum omnibus suis seruicijs, prouentibus, et attinencijs, ecclesie nostre duxerit conferendos, demum idem nobilis vir Beneda, sue prospiciens viciniora saluti reliquam partem tocius ville predicte Kyrchman ecclesie nostre *Olomucensi* contulit, et adiecit, libera voluntate cum omnibus iuribus, et attinencijs eorundem. petens humiliter et deuote, quod donacionem huiusmodi auctoritate nostra confirmare vellemus. Nos vero ipsius salutari proposito fauorabiliter annuentes feria quinta magna, que est cena domini, candelis extinctis, hanc collacionem sub interminacione anathematis in publica nostre ecclesie stacione duximus confirmandam. Omnes violatores. et invasores predicte ville et suorum pertinentium ipso facto decernentes excommunicationis vinculo subiacere. Ita quod minister, seu vicarius, ad altare beate Marie virginis matris domini gloriose in medio ecclesie nostre situm, juxta quod ab ipso cui magis committitur. plus exigitur, quanto frequentius et diligentius potest, per se, vel per alium, missarum sollempnia studeat celebrare. Ita, quod antequam prima incipiatur in choro, missa eadem sit finita. Dans ad manus nostras, et per manus nostras, et suas in presencia Olomucensis capituli, Victori capellano altaris eiusdem possessionem primariam, et integram, cum subsidibus, taberna et molendino et omnibus pertinencijs, ad villam eandem prout superius est expressum. Specialiter hoc adiecto, quod idem altare nocturno tempore lampade cum oleo, per capellanum ipsius altaris et successores eiusdem perpetuo illuminetur. Et quod in anniuersario bone memorie Marquardi, canonici quondam ecclesie nostre, filij eiusdem domini Benede duodecim denarios. et candelas totidem idem capellanus teneatur offerre. Nos vero pium opus, et affectum suum laudabilem, in domino commendantes, statutum huiusmodi auctoritate ordinaria, in nomine domini confirmamus. Et ego Beneda in euidens huius collacionis mee videlicet totius ville in kyrchman, cum suis pertinentijs vniuersis vt in hac confirmacionis pagina plenius exprimitur, in testimonium et sempiternam memoriam sigillum meum ipsi pagine iussi apponi. Et nos Bartholomeus. decanus. Herbordus prepositus. magister Stephanus archidyaconus; Symon custos. magister Iohannes. et Heydolphus. Znoymensis, et Prerouiensis archidiaconi. Alexius. Bartholomeus. Sdezlaus. Olomucenses canonici, vt omnia in hac pagina confirmacionis expressa, perpetuis in ecclesia nostra temporibus obseruentur. sigillum eciam nostri

capituli apposuimus huic scripto. Item huius rei testes sunt. Paulus. Wsezlaus. Hodizlaus. Lupellus. Victor. Franco. Olomucenses vicarij. Pardus camerarius. Nezamisl. Iencho. Bohussie. Olomucensis, Gradicensis Prerouiensis burchrauij. Iohannes sudarius. Ludzlaus magister venatorum. Benco prouincialis. et alij quam plures. In cuius rei memoriam sempiternam presentem paginam nostri sigilli munimine roboramus. Actum in Olomuz anno domini Millesimo. CC. LX. VI. IIII. Nonas Iunij.

E vidimus ab anno 1304. in archivo capituli Olomucensis. — Apographum in codicibus Cremsiriensi nro. CXXVI., et Olomuc. I. membr. fol. 52., chart. fol. 45.

CCCLXXXI.

Idem confirmat monasterio Oslowanensi cessionem juris patronatus ecclesiae in Neukirch factam a Kunegundi, regina Boëmiae et marchionissa Moraviae. Dt. Cremsirii, III. Nonas Junii, 1266.

Nos Bruno dei gratia Episcopus Olomucensis. Notum esse cupimus presentium inspectoribus et auditoribus vniuersis. quod cum Abbatissa et Conuentus de *Osla* nostre diocesis. ordinis Cisterciensis. Ivs patronatus Ecclesie de *Nvuuenkirghen* nostre diocesis. ad se dicerent pertinere. Inclita domina nostra Domina *Chvnegundis*. Regina Boemie. sibi Ivs patronatus ecclesie predicte cepit eciam vendicare. Tandem vero auditis instrumentis et priuilegiis. que pro se predicte Domina Abbatissa et Conventus super Ivre patronatus eiusdem ecclesie producebant. domina nostra Regina prefata. deum pre oculis habens et nostris acquiescens hortacionibus cessit ivri. suas nobis super huiusmodi cessione litteras dirigendo. quas de verbo ad uerbum presentibus inseri fecimus ad memoriam et cautelam. quarum tenor talis est. Reuerendo patri ac domino B. Olomucensis Ecclesie Episcopo. Ch. Regina Boemie. Ducissa Austrie et Stirie. Marchionissa Morauie. cum filiali reuerencia salutem. Paternitati vestre presentibus scriptis declaramus. quod nos deum habentes pre oculis. et consilio uestro innitentes de Ivre patronatus ecclesie que dicitur Nuwenkirghen cessimus et cedimus ecclesie de Ozla. Licet multa discrimina oriri possent contra

priuilegia earundem. tamen pretextu nostrorum predecessorum. et anime nostre grauamen. atque orationum dicti monasterii. volumus et petimus. ut dictam ecclesiam pacifice et quiete possideant. Quod si plebanus . . in prouentibus sepedicte Ecclesie per aliquas cauillaciones dictum monasterium molestare presumpserit. nostri causa ipsum . . non paciamini. Datum Prage octauo decimo Kalendas Maii. Quod autem super hiis nullum processv temporis dubium oriatur. et que pie facta sunt per Dominam nostram Reginam non possint calumpnie scrupulo perturbari. presentem paginam ad rei memoriam sempiternam inde conscribi. nostrique sigilli iussimus munimine roborari. Datum in Cremeser III. Nonas Ivnii. Anno domini Millesimo Ducentesimo. Sexagesimo Sexto. Presentibus Bartholomeo decano. Herbordo preposito. Magistro Stephano archidiacono Olomucensi. Magistro Iohanne Znoemense archidiacono. Alexio preposito in Wolframskirhen. Heidolfo preposito et Archidiacono in Cremeser. et aliis quam pluribus clericis in nostra Sinodo annua tunc collectis ibidem.

Ex originali ejusdem monasterii.

CCCLXXXII.

Elisabeth, relicta Kadoldi orphani, monasterio Oslowanensi quinque laneos in Popowice confert. Dl. in Vitis, Nonis Julii, 1266.

Nos Elisabeth relicta domini Kadoldi orphani pie memorie. notum esse cupimus presencium inspectoribus et auditoribvs vniuersis quod nos pro honore dei conventui dominarum in *Ozla* cisterciensis ordinis et gloriose virginis Marie nec non pro remedio anime domini Kadoldi quinque laneos in villa que vocatur *Popwiz* exceptis aliis quinque laneis qui ad dotem pertinent in *Mohvln* cum pratis siluis agris sicvt ad nos libere spectabant cvm omni ivrisdicione contulimus et subiecimus ecclesie memorate. recedentes ab omni ivre quod in hiis videbamur habere. Quod autem super hiis nullum processu temporis dubium oriatur. et ne ea que legitime et pia devotione ordinantur propter deum possint calumpnie scrupulo perturbari ad cautelam sufficientem et rei memoriam sempiternam titulum donationis et renunciationis huiusmodi inde conscribi ivssimus et sigilli nostri

munimine roborari. Acta sunt hec in Vitis anno domini M. CC. LXVI. nonis Ivlii. Presentibus domino Hartliebo de dvbna. Domino Cvnone de brazlaus plebano in Vitis et socio suo. Fratre Friderico et socio suo ordinis minorum. Ottone preposito. et H. plebano in Mirzlavs. et aliis quam pluribus.

Ex originali ejusdem monasterii.

CCCLXXXIII.

Otakarus, rex Boëmiae et marchio Moraviae, confirmat monasterio Zwettensi redditus in Walkersdorf emtos a Ludmila de Řjše (de Moravia). Datum Nonis Septembris, 1266.

Otakorus dei gracia rex Boemie. dux Austrie. et Stirie. et marchio Moravie. universis in Christo fidelibus presentes litteras inspecturis. salutem in perpetuum. Cum non solum divina auctoritas doceat, sed et animi generositas id hortetur, ut ad benefaciendum sit qui (?) quilibet liberalis. maxime tamen regalem condecet maiestatem. ut circa cultum religionis se favorabilem exhibeat, ac benignum. Vniversis igitur ad quos presens scriptum devenerit declaramus. quod domina *Ludmilla de Reusch* intendens incorporare novam plantationem ordini Cisterciensi. pro habitatione sacrimonialium feminarum per pro . . . . . am sororis sue *Katarine quondam abbatisse in Tuschenawitz.* et eidem plantationi pro posse predia comparare. vendidit quandam partem prediorum suorum sitam in *Walkersdorf.* que eam jure hereditario contingebat. de consensu fratrum suorum. Witigonis de Zcalitz et Hogerii de Witigenavwe. sororumque suarum *Getrudis et Iutte* . . . . . qui in eadem hereditate succedere videbantur. domino Chunrado abbati de *Zwettl* et fratribus ibidem. ab eisdem perpetuo possidendum. Unde iam predictum abbatem ex benigno favore prosequamur specialiter. et ex utraque parte cultum divinum augeri evidentius cognoscamus. prefatam con . . . . . ionem. ratum habentes. et volentes firmiter observari. quicquid est in eadem emptione sub sigillis. ac testibus ydoneis confirmatum. Damus etiam . . . . . Rapotonem de Valchenberch. et filium suum Rapotonem dilectis nobis

abbati et fratribus in Zwettl in eadem possessione pro defensoribus, ut pro ipsis stent et respondeant. eo confidentius, quanto liberius hec possessio ad ipsos cognoscitur devenisse. In huius nostre confirmationis certam evidentiam. et predictis fratribus ad cautellam domino quoque Rapotoni de Valchenberch. et filio suo Rapotoni, qui secundum ius terre Austrie generale. eiusdem esse predii defensores voluntarie promiserunt. in testimonium et munimen. Dedimus presentes litteras sigilli nostri robure confirmatas. Datum per manus magistri Petri prothonotarii. anno domini M. CC. LXVI. Indictione VIII. Nonis Septembris. regni nostri anno quarto.

Ex originali ejusdem monasterii.

CCCLXXXIV.

Clemens papa IV. mandat abbati Scotorum Viennae, ut revocet alienata a monasterio Oslowanensi bona. Datum Avinione, VII. Idus Octobris, 1266.

Clemens episcopus seruus seruorum dei. Dilecto filio . . Abbati monasterii *Schotorum in Vienna,* Patauiensis diocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Dilectarum in Christo filiarum, Abbatisse et conuentus monasterii in *Osla* ordinis Cisterciensis, Olomucensis diocesis, precibus inclinati, presentium tibi auctoritate mandamus, quatenus ea, que de bonis ipsius monasterii alienata inueneris illicite vel distracta, ad ius et proprietatem eiusdem monasterii legitime reuocari procures; contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gracia, odio vel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante compellas, veritati testimonium perhibere. Datum Avinione VII. Idus Octobris. Pontificatus nostri anno secundo.

Ex originali ejusdem monasterii.

CCCLXXXV.

Bruno, episcopus Olomucensis, Theodorico de Broda feudum emptum in Matzdorf concedit. Dt. in Füllstein, die 1. Novembris, 1266.

Bruno, dei gracia Olomucensis Episcopus, dilecto sibi *Theodorico de Broda,* famulo suo imperpetuum. Dignum esse censemus et consonum

rationi, vt eos, qui se nobis et ecclesie nostre obsequiosos exhibent, et paratos quodammodo speciali dilectionis studio prosequamur. Hinc est, quod notum esse uolumus tam presentibus quam futuris, quod nos tibi tuisque heredibus pretextu seruitiorum tuorum nec non fratris tui *Iohannis* militis, que nobis et ecclesie nostre exhibuistis, et intenditis imposterum exhibere, mansum et dimidium, sitos in villa nostra *Mathisdorf*, quos de nostro consensu emptionis titulo dinosceris comparauisse, conferimus liberaliter et libenter, iure feodi perpetuo possidendos. Vt autem hec donatio nostra tibi tuisque heredibus rata permaneat, dari fecimus presens scriptum, sigilli nostri munimine roboratum. Adiicientes etiam tibi de gracia speciali, vt eadem bona ad heredes tuos tam feminas quam masculos transferantur. Huius rei testes sunt: Heydolfus decanus. Conradus, scolasticus ecclesie nostre. Iohannes de Ketscher, capellanus noster. Iohannes et Arnoldus, notarii nostri. Herbordus de Fullenstein, dapifer noster, et Iohannes, filius suus. Henricus et Iohannes de Broda. Otto de Livonia. Henricus Struz, milites nostri, et quamplures alii. Datum in Fullenstein. anno domini M. CC. LXVI. in die omnium Sanctorum.

E codice Olomucensi I. chart. fol. 44.

CCCLXXXVI.

Kunegundis, Boëmorum regina et marchionissa Moraviae, jus patronatus in Neukirch monasterio Oslowanensi resignat. Dt. Pragae, XI. Kalendas Februarii, 1267.

In nomine domini amen. Nos Chunegundis dei gratia Boemorum Regina Ducissa austrie et Stirie. Marchionissa morauie omnibus in perpetuum. Cum super iure patronatus *noue Ecclesie site in terminis Opauie.* controuersia inter nos ex una parte. et Dominam . . abbatissam cum conuentu ipsius de *Ozlawan* uerteretur ex alia. Nuntius dicte abbatisse et conuentus. nobis quedam priuilegia quorumdam principum clarissimorum in domino quiescentium. ac episcoporum quorumdam super confirmatione iuris patronatus prefate noue ecclesie obtulerunt. Priuilegium domini P. (remysl) clare memorie marchionis incliti morauie recepimus in hec

uerba. *(Omnibus presentia uisuris christi fidelibus. P. dei gratia marchio morauie . . . MCCXXXIV. Vide n. CCLVII. T. II.)* Priuilegium etiam Domini Wencezlai pie recordationis Regis gloriosissimi Boemorum. IIII. recepimus sub hac forma. *(In nomine sancte et indiuidue trinitatis amen. Nos Wencezlaus . . . MCCXXXVI. Pridie Kal. Iulii. Vide n. CCLXXIII. T. II.)* Priuilegium etiam domini Roberti Olomucensis episcopi recepimus in hunc modum. *(In nomine sancte trinitatis amen. Robertus . . . MCCXXXVII. Vide n. CCLXXXIX. T. II.)* Priuilegium etiam Brunonis olomucensis. episcopi recepimus in hec uerba. *B. dei gratia Olomucensis episcopus. Vniuersis presentem litteram inspecturis eternam salutem. et sinceram in domino caritatem. Vt finem litibus inponamus presentes volumus scire et futuros quod nos super questione siue actione quam abbatissa et conuentus de Ozlawa. vallis sancte marie habuit contra arnoldum serenissimi domini regis boemorum notarium. super noua ecclesia auditis iuribus et allegationibus partium utrarumque sententiando ipsum negotium diffinimus quod idem arnoldus ipsam ecclesiam uite sue temporibus plene ac pacifice possidebit et ius patronatus adjudicamus conuentui memorato. In cuius rei testimonium ac euidens argumentum presens scriptum nostro sigillo fecimus comuniri.* Unde hiis priuilegiis auditis. Venerabilem Dominum patrem nostrum. Io. pragensis ecclesie episcopum. eisdem priuilegiis sibi missis diligentissime duximus consulendum. Qui uisis et perlectis nobis consuluit bona fide. ut ius patronatus prescripte noue ecclesie omnimode resignaremus. Ad memoriam igitur rei perpetuam gesta regalia calumpniarum scrupulis exemptis quibuslibet inuiolabiliter ut seruentur eadem. scriptorum uocabulis duximus mancipanda. Hinc est quod tenore presentium scire volumus uniuersos tam posteros quam presentes quod nos supra dictis edocte priuilegiis sufficienter et sepe dicti domini pragensis episcopi use consilio saniore. ob remunerationem uite interminabilis et eterne. nec non ob salutem mariti nostri karissimi. O. serenissimi regis boemorum quinti. et nostram. nostrorumque liberorum. ius patronatus noue ecclesie domine abbatisse et ipsius conuentui totaliter resignamus et conferimus eandem ecclesiam iure perpetuo pacifice possidendam. Uerum ne pretextu malicie cuiusquam de facto queat aliqua inposterum processu temporis per nostros successores litigiosa calumpnia suboriri. In testimonium memoriam et

cautelam presens instrumentum super eo. dictis abbatisse et conuentui nostri sigilli munimine decreuimus roborari. Datum prage anno domini M. CC. LXVII. XI. Kalendas Februarii.

Ex originali ejusdem monasterii cum sigillo bene conservato.

CCCLXXXVII.

Clemens papa IV. Otakarum, regem Boëmiae, ad expeditionem adversus Lituanos provocat, committitque, ut ibidem regni solium erigere, et personae fideli libere conferre valeat. Dt. Viterbii, XIII. Kalendas Februarii, 1267.

Clemens episcopus seruus seruorum dei. Carissimo in Christo filio . . regi Bohemie Illustri salutem et apostolicam benedictionem. In tui magnificentia culminis mater ecclesia quam plurimum delectatur, dum intentis et deuotis studiis elaboras statum magnificare fidelium, et procurare christiane religionis augmentum. Hoc igitur prouidentia sedis apostolice digne considerans, tibi per suas literas olim dicitur concessisse, ut terras, quas de manibus *Lituanorum* et aliorum infidelium; si tamen Tartaris, vel aliis christiani nominis inimicis se, prout ferebatur, damnabiliter copularent eriperes illis dumtaxat exceptis, que ad dilectos filios magistrum et fratres hospitalis s. Marie theutonicorum, vel ad alios Christi fideles pertinebant; ad manus tuas libere posses ac licite retinere. Unde cum sicut asseris, signo viuifice crucis assumto, proponas in breui fauente diuina clementia, extento potentie tue brachio procedere contra illos, ac tandem in finibus locorum, que predictis infidelibus remanere contigerit, magnum constituere presidium bellatorum, ad infidelium eorundem locorum populum saltem per vexationis angustias ad caulam domini reducendum, nos zelum tue deuotionis, qua circa cultum orthodoxe fidei ampliandum feruere dignosceris, tuumque pium in hac parte propositum, utpote laude dignum multipliciter in domino commendantes et intendentes te prosequi fauoris gratia plenioris, regiis supplicationibus inclinati, et fratrum nostrorum consilio, presentium tibi auctoritate concedimus, ut si terram *Letovvie*, de qua predicte sedis auctoritate regnum extitit constitutum, presidente illi clare memorie Min-

dota qui post receptum baptismatis sacramentum auctoritate apostolica coronatus in regem, fuit tandem a quibusdam perditionis filiis crudeliter interfectus, de manibus inimicorum tuo ministerio eripi domino prestante contigerit; in illa regni solium, sicut prius erigere libere valeas, ac illius regimini personam fidelem et ecclesie Romane deuotam preficere, prout bono statui fidelium et augmento catholice fidei videris utilius expedire. Nolumus tamen per hoc predictis magistro et fratribus hospitalis s. Marie theytonicorum quo ad terras, bona et iura spectantia ad eosdem, siue ea teneant, siue ab aliis etiam infidelibus teneantur, in aliquo preiudicium generari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Viterbii XIII. Kalendas Februarii. Pontificatus nostri anno III.

Raynald — ad annum n. 46.; Balbinus — Misc. libro VIII. pag. 16.

CCCLXXXVIII.

Otakarus, rex Boëmiae et marchio Moraviae, Bartholomeo, Olomucensi decano, indulget, ut domum sibi inter capellam s. Mariae Magdalenae et domum Benedae de Dubičko construere possit. Datum ante Brodam, VI. Kalendas Februarii, 1267.

O. dei gracia rex Bohemie dux Austrie et Styrie et marchio Morauie dilecto capellano suo B.(artholomeo) venerabili *decano ecclesie Olomucensis* salutem cum plenitudine omnis boni. Fidelitatis obsequia retroacte pariter et presentis que nobis et nostris progenitoribus exhibuisti et exhibes ex affectione sincera, memorie reuocantes ne nullam tibi vicem de premissis rependere videamur indulgemus et admittimus de gracia speciali: quod domum tibi et tuis successoribus decanis Olomucensibus qui erunt in posterum in castro nostro apud *Olomuc* inter *capellam sancte Marie Magdalene. et domum Benede de Dubicsco* possis construere et eam tenere pro te libere et ipsi pro se tempore succedente. Aream predictam tibi cum

suis pertinenciis liberaliter conferentes. Datum anno domini M. CC. LXVII. Apud Brodam. VI. Kalendas Februarii.

Ex originali in archivo capituli Olomucensis. — Apogr. in codice Olomucensi chart. I. pag. 47.

CCCLXXXIX.

Litis contestatio inter abbatem de Wilimow et abbatem de Welehrad in causa cujusdam solutionis annuae ad ecclesiam in Uherčice (Auerschitz). Dt. Cremsirii, III. Kalendas Aprilis, 1267.

Hotizlaus Procurator, seu Actor Abbatis in Wilhelmow Patroni Ecclesie in *Hursic* nomine eiusdem Abbatis. et Elwinus eiusdem Ecclesie in Hursic Plebanus, petiuerunt per Officialem Domini B. Episcopi Olomucensis compelli Abbatem de *Welegrad* ad respondendum eisdem super solucione unius carrate vini soluende eidem Ecclesie in Hursic annis singulis ab Abbate in monasterio in Welegrad pro decimis prediorum in Chorcic, que Nobilis Conradus Vir de Hardek monasterio de Welegrad ea condicione contulerat, ut dicta carrata annis singulis solueretur. Item petiuerunt, cum predicta Ecclesia in Hursic in possessione percipiendi huiusmodi carratam annis pluribus fuerit, se ad possessionem restitui, vel responderi sibi, quare Ecclesie in Hursic eam subtraxerint. Item petebant XIV. carratas per XIV. annos Ecclesie in Hursic subtractas. Ad quod Abbas de Welegrad litem contestando respondit, se non teneri ad solucionem predicte carrate, cum nullam solucionem de predictis prediis Ecclesie in Hursic facere teneretur, nec ipsam Ecclesiam restitui in hac parte debere, cum nunquam in possessione percipiendi huiusmodi fuerit, et ob hoc eciam XIV. carratas petitas minime soluere teneretur. Lite ergo contestata dictus Officialis predictos Abbates Cremeser citauit, ut iuramentum de veritate, seu de calumpnia prestarent, et alia facerent, que tunc de iure incumberent facienda, diem eis peremptoriam ad hoc faciendum feriam proximam post octauam Philippi et Iacobi assignando. Actum Cremeser, anno Domini MCCLXVII. III. Calendas Aprilis, presentibus Conrado Scholastico et Canonico Olomucensi. Io. de Kescer Canonico Cremeserensi, et Preposito Hermanno de monasterio.

Dobner — Monumenta IV. 275.

CCCXC.

Joannes, episcopus Pragensis, confirmat monasterio Zarensi capellam in Chotěboř, et indulget, ut ibidem ad capellam aliqui religiosi Cisterciensis ordinis resideant. Dt. Pragae, XVI. Kalendas Maji, **1267.**

Ioannes dei gracia Pragensis episcopus. Honorabilibus et religiosis viris . . abbati et conuentui fontis Sancte Marie in *Zar*. Salutem in domino sempiternam. Pie postulatio uoluntatis effectu debet prosequente compleri. ut deuotionis sinceritas laudabiliter enitescat et utilitas postulata uires indubitanter assumat. Eapropter fratres in christo dilecti, uestris et nobilis viri Smilonis de Luhtenburk piis et rationabilibus precibus inclinati. ut in bonis et dote ecclesie de *Hoteborz*. quam ipse nobilis cum omnibus suis pertinentiis perpetuo possidendam pietatis intuitu donauit liberaliter et concessit uobis et ecclesie uestre. duos uel tres ordinis uestri fratres continue habere possitis. presbytero seculari. qui parrochianos eiusdem de Hotebor ecclesie in administratione spiritualium una cum ipsis fratribus procurabit tantum de premisse dotis reditibus et possessionibus assignantes, quod sustentationem uite sufficientem habere et archidiaconalia iura et nostra persoluere ualeat. tenore uobis presentium indulgemus. donationem predictam uobis et ecclesie uestre factam per Smilonem. uirum nobilem supradictum. de prefata de Hoteborz ecclesia et ipsius pertinentiis vniuersis auctoritate qua fungimur confirmantes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostre confirmationis paginam et indulti qualibet temeritate infringere. aut eis (sic) ausu temerario contraire. alioquin quilibet qui contrarium attemptare presumpserit. excommunicationis sententiam quam in hiis scriptis exigente iustitia proferimus. ipso facto se nouerit incurrisse. In cuius rei testimonium presens scriptum sigilli nostri caractere fecimus insigniri. Actum et datum Prage XVI. Kalendas Maii. Anno domini M. CCLX. septimo. Indictione decima. Pontificatus uero nostri fauente diuina clementia anno nono.

Ex originali ejusdem monasterii. — Steinbach — II. pag. 23.

CCCXCI.

Bruno, episcopus Olomucensis, concessionem cujusdam terrae in Drozdowice Řiwjno servienti confirmat. Actum Olomucii, XIII. Kalendas Maji, 1267.

In nomine domini amen. Nos Bruno dei gracia episcopus Olomucensis. Notum facimus vniuersis tam presentibus quam futuris. Quod cum terram unam in *Drozdowicz* ad nos pertinentem dilecto filio magistro Iohanni archidiacono Znoemensi in ecclesia Olomucensi concessissemus quamdiu uiueret possidendam. idem redempto iure quod dicitur Purkrecht a Hodone sororio Morauconis capellani Pragensis episcopi qui terram eandem iure possidebat predicto *Rhiuino* seruienti suo et Margarethe uxori eiusdem nepti ipsius magistri Iohannis ac eorum heredibus iure prefato concessit perpetuo possidendam ita quod iidem in festo sancti Galli licet prefatus H. non soluerit nisi fertonem argenti dimidiam marcis argenti liberi ab omnibus talliis et exactionibus annuatim soluere teneantur propter quod idem magister Iohannes suppliciter petiuit a nobis, vt concessionem ratam habentes eandem ipsam auctoritate nostra confirmare vellemus. Nos autem eius precibus inclinati propter multa seruitia nobis et ecclesie nostre exhibita concessionem eandem ratam habentes et ipsam presenti pagina confirmamus ac in huius rei testimonium ipsam sigilli nostri iussimus munimine roborari. Actum Olomucii XIII. kal. Maii anno domini MCCLXVII. presentibus Heberhardo preposito Allexio preposito in Wolframskirch Heidolfo preposito in Cremsir canonicis Olomucensibus et aliis quam pluribus. Datum per manus Conradi notarii nostri canonici Olomucensis die et loco prefatis.

E codice Olomucensi chart. II. fol. 56.

CCCXCII.

Boreš de Riesenburg fratribus Eremitarum ordinis s. Augustini confert dimidiam villam Tatenice et quatuor laneos in Triebendorf. Dt. in „Lustz", VI. Kalendas Maji, 1267.

In nomine domini nostri Iesu Christi. Amen. Ea que fiunt sub tempore, simul cum tempore discedunt, nisi stylo memorie fuerint commendata.

Hoc attendens ego *Borsso de Rysemburg* notum facio vniuersis tam presentibus, quam futuris, quod ego pro remedio anime mee et antecessorum meorum et Richardis uxoris mee, et liberorum meorum, de voluntate, et consensu eorum dedi dimidiam villam *Tetnicz* habentem viginti quatuor laneos, cum omni iurisdictione fratribus eremitarum ordinis sancti Augustini. Item dedi eisdem fratribus quatuor laneos in *Trivernsdorff* et molendinum, quod redemi a Cunrado villico eiusdem ville, et decimam de equariis meis. Et ut hec rata permaneant, nec alicuius possint violari calumpnia presentem paginam sigilli mei munimine iussi roborari. Acta sunt hec in Lustz in terra Morauie anno domini Millesimo ducentesimo sexagesimo septimo, coram domino Iordano sacerdote, Sigmundo de Wart, Mutysone de Honstein, Meragno scriptore et Sedlino aduocato de Tribouia VI. Kal. Maii.

Ex originali in archivo monasterii s. Thomae Brunae asservato.

CCCXCIII.

Guido, cardinalis et apostolicae sedis legatus, monasterio Rayhradensi indulgentias elargitur. Dt. Wyškoviae, XVII. Kalendas Julii, 1267.

Frater Guido miseratione diuina tt. s. Laurentii in Lucina presbiter cardinalis apostolice sedis legatus, Religiosis viris . . preposito et fratribus in *Raygrad*, ordinis s. Benedicti, olomucensis diocesis salutem in domino. Loca sanctorum omnium pia et prompta deuotione sunt a christi fidelibus veneranda ac dum Dei honoramus amicos ipsi nos amabiles Deo reddant, et illorum nobis uendicantes quodammodo patrocinium apud ipsum, quod merita nostra non obtinent eorum mereamur intercessionibus obtinere. Cupientes igitur ut ecclesia uestra congruis honoribus frequentetur, omnibus uere penitentibus et confessis, qui ecclesiam ipsam in quatuor festiuitatibus b. Marie virginis, ac in festo b. Petri apostoli, ac in anniuersario die dedicationis eiusdem ecclesie cum deuotione et reuerentia uisitauerint, confisi de misericordia dei, et auctoritate nobis a domino papa concessa quadraginta dies de iniuncta ipsis penitentia singulis annis misericorditer in domino relaxamus. Datum Wisschowe. XVII. Calendas Iulii. Pontificatus domini Clementis pape IIII. anno tertio.

Ex originali ejusdem monasterii.

CCCLXV.

Otakarus, rex Boëmiae et marchio Moraviae, confirmat privilegium avi sui Premysl monasterio Gradicensi super villa Šepanowice et exemtione aliarum villarum concessum. Dt. in Budjn, VII. Idus Augusti, 1267.

In nomine domini Amen. Nos Otackarus dei gratia Boemie Rex Dux Austrie et Styrie ac Marchio Moravie omnibus in perpetuum. Quum opera pietatis et piam devotionem progenitorum nostrorum, factam circa Religiosorum loca, sev Monasteria Deo dedita, ampliare velimus ob reuerentiam Dei omnipotentis, cunctis temporibus vite nostre. Scire volumus presentium quodlibet noticiam habituros tam presentes quam futuros, quod graciam sev libertatem factam per dominum Primislavum, felicis memorie quondam Regem Boemorum karissimum auum nostrum, Cenobio in *Hradisch*, quod fauore prosequimur singulari, ratam habere uolumus per omnia, renouare auctoritate presentium, et iuxta sui priuilegii continentiam finaliter confirmare, cuius tenor talis est (*Ego Premizl etc. . . . Anno dominice incarnationis M. CC. primo. Vide n. II. T. II.*) Et vt hec singula iam premissa dicto Cenobio in Hradisch iuxta sui continentiam a nostris successoribus in posterum inuiolabiliter obseruentur, in signum renouationis, et confirmationis eorumdem ipsi damus presentibus paginam, nostrorum Sigillorum munimine roboratam, Testibus qui aderant subnotatis, qui sunt. Nezabitz purchrauius Olomucensis. Vlricus Bvrchrauius de Znoym. Heincko Burchrauius de ponte. Albertus Burchrauius de Vren. Onscho pincerna. Hermannus de Richenovve. Domazlavs pincerna karissime Domine vxoris nostre. Schazlaus dapifer eiusdem. Myzthidruh camerarius eiusdem. Rehnickus subcamerarius eius. Dluhomilus de Wezzele, et alii quam plures. Actum et datum in Budin, per manus magistri Petri, venerabilis prepositi Wischegradensis Regni nostri Cancellarij. Anno domini M. CC. LX. VII. VII. ydus Augusti. Regni nostri anno septimo.

Ex originali mutilo cum sigillo laeso in archivo ejusdem monasterii.

CCCXCV.

Bruno, episcopus Olomucensis, confirmat monasterio Zarensi plenas decimas per circuitum de Bobrowa, de Zar et Bočkonow. Datum in Blansko, V. Nonas Octobris, 1267.

Brvno dei gratia Olomucensis Episcopus. Vniuersis Christi fidelibus in perpetuum. Cum iustis petentium desideriis facilem debeamus prebere consensum, Nos viri venerabilis et dilecti nobis in Christo fratris Winrici abbatis monasterii de *Saar*, ordinis Cysterciensis, precibus inclinati, gratum habemus et ratum, quod dictum monasterium vt plenius in ipso diuinum agatur obsequium, de bonis per fundatorem suum, bone memorie dominum Botzkonem sibi collatis videlicet per circuitum de *Boberowe* de *Saar*, et de *Botzkonowe* plenas decimas percipiat annuatim, et hoc tam de bonis ipsi monasterio plene pertinentibus quam de bonis aliis heredum fundatoris predicti, de quibus etiam minorando censum suum, plenas decimas, pietatis et deuotionis intuitu monasterio contulit prenotato. Hoc nobis et successoribus nostris saluo quod nichilominus decimales denarii iuxta consuetudinem per nostram dyocesim diutius obseruatam de predictis bonis omnibus annis singulis persoluantur, et quod ecclesie in ipsis bonis fundate ac fundande de nostro et svccessorum nostrorum, siue archidiaconi loci qui pro tempore fuerit, consilio sic dotentur, quod rectores earum iura Episcopalia persoluere ac congruam et honestam sustentationem inde possint habere. In cuius rei testimonium et perpetuam firmitatem presens scriptum nostri et capituli nostri sigillorum munimine fecimus roborari. Datum in Planceke. Quinto nonas Octobris, anno domini MCCLXVII.

Ex originali cum sigillis illaesis in archivo ejusdem monasterii. — Excusum apud Steinbach — II. p. 25.

CCCXCVI.

Idem ordinat de decimis villae Zagečj (Saitz) a monasterio Zarensi et a plebano ibidem percipiendis. Datum in Blansko, V. Nonas Octobris, 1267.

Brvno dei gratia Episcopus Olomucensis. Vniuersis christi fidelibus in perpetuum. Cupientes quod ea que per nos rationabiliter ac rite

geruntur firma semper et illibata persistant. Tenore presentium notum facimus quod nos inspectis necessitatibus monasterii de *Saar* ordinis Cysterciensis super decimis plenis ville de *Zhayetz* nostre dyocesis. quas bone memorie dominus *Boceko* fundator ipsius monasterii pie deuotionis intuitu eidem contulit monasterio, sic deliberatione prouida duximus ordinandum quod ipsum monasterium duas partes, et *Rector Ecclesie in villa de Zhayetz* qui pro tempore fuerit, terciam partem nomine dotis, decimarum annuatim percipiat earumdem. Quod autem hec ordinatio nostra robur obtineat perpetue firmitatis nullusque ipsam presumat infringere quod anathematis interminatione districtius inhibemus, presentem paginam nostrique ac Capituli nostri sigillorum munimine fecimus roborari. Datum in Planceke V. Nonas Octobris. Anno domini M. CC. LXVII.

Ex originali cum sigillis integris in archivo quondam monialium Aulae Reginae in Antiqua Bruna.

CCCXCVII.

Joannes, Pragensis episcopus, in favorem exustae ecclesiae cathedralis Olomucensis encyclicas edit literas. Datum Pragae, die 18. Octobris, 1267.

Iohannes dei gracia pragensis episcopus dilectis in Christo filiis decanis, plebanis et eorum vicariis et aliis omnibus rectoribus ecclesiarum nostre ciuitatis et dyocesis. Ad quos peruenerit presens scriptum, salutem in domino. Exibitorem presencium ad uos transmittimus in uirtute vobis obediencie districte precipiendo mandantes, quatinus nuncios *Olomucensis* ecclesie cum ad nos uenerint pro petendis fidelium elemosinis benigne recipientes fraterna caritate in domino pertractetis; populum itaque vobis commissum ad hoc sub pena excommunicacionis inducentes, quatenus illo die cum in ecclesiis vestris uerbum dei proponere voluerint, ab omni seruili opere abstineant, donec missarum sollempnia et in dulgencias domini pape et nostras, necnon et venerabilis fratris nostri domini Olomucensis episcopi et ecclesie illius capituli et aliorum episcoporum humiliter audiant ac deuote. Si qui uero rebelles et inobedientes inuenti fuerint, damus eisdem nunciis

auctoritatem, vt contradictores ab officio suspensos ad nostram citent presenciam nobis de contemptu et ipsis de negligentia responsuros. Premissa uero indulgentia hec est: Ex parte domini apostolici centum dies; ex parte domini Salcburgensis electi annum et XL. dies; ex parte domini maguntini annum et XL. dies; ex parte domini Wratislauiensis XL. dies; ex parte domini patauiensis XL. dies; ex parte domini Olomucensis annum et XL. dies; ex parte capituli Olomucensis oracionem et fraternitatem. Ex parte domini maguntini insuper eis, qui se in confraternitatem eorum recipi fecerint, relaxantur peccata oblita, uota fracta, si ad ea redierint, iuramenta incauta et leuia, offensas (sic) patrum et matrum sine inieccione manuum violenta. Nos eciam hiis omnibus addimus indulgencie annum venialium et quadraginta dies terminalium ipsas ratas et gratas habentes, testimonio huius scripti per annum valeat et non vltra. Sciatis preterea quod hec ad promocionem huius negotii specialiter indulgemus, quod si ecclesia interdicta fuerit, in qua istud negocium proponi expediet, illa die tantum, qua stacio peragetur. Licitum sit interdictis et excommunicatis diuina officia celebrari, et quamdiu hoc negocium peragitur nullum aliud admittatur. Datum prage in die sancti Luce pontificatus nostri anno nono.

Ex originali in archivo capituli Olomucensis.

CCCXCVIII.

Otto, episcopus Mindensis, succurrentibus Olomucensi ecclesiae indulgentias elargitur. Dt. Cremsirii, die 18. Octobris, 1267.

Otto miseratione diuina et sedis apostolice prouidentia, episcopus Myndensis. Vniuersis Christi fidelibus salutem in auctore salutis. Cupientes quod ecclesie katedralis Olomucensis, que ad reparationem sui, cum per incendium totaliter destructa fuerit bonorum et fidelium Christi exiget elemosinis subleuari, vestris subuentionibus et impendijs adiuuetur, Vniuersitatem vestram rogamus, monemus et hortamur in domino, in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatinus de bonis a deo collatis vobis in subuencionem ipsius ecclesie pias elemosinas, grataque caritatis subsidia errogetis. vt per hec et alia bona que domino inspirante feceritis ad eterne

possitis felicitatis gaudia peruenire. Nos enim de omnipotentis dei misericordia confisi ad peticionem venerabilis in Christo patris domini Brunonis episcopi Olomucensis, omnibus vere penitentibus et confessis, qui eidem ecclesie Olomucensi, moti caritatis stimulo manum porrexerint adiutricem, quadraginta dies de iniuncta sibi penitencia relaxamus, existentibus per Olomucensem diocesim et usque ad consumationem operis valituras. Datum in Cremesere in die beati Luce ewangeliste, anno domini M.CC.LXVII.

Ex originali in archivo capituli Olomucensis.

CCCXCIX.

Guido, cardinalis et apostolicae sedis legatus, vidimat monasterio Lucensi literas Honorii papae IV. super decimas. Datum in monasterio Lucensi, XI. Kalendas Novembris, 1267.

Vniuersis presentes litteras inspecturis. Frater Guido, miseratione diuina tituli Sancti Laurencij in Lucina presbyter Cardinalis Apostolice Sedis Legatus salutem in domino. Nouerit vniuersitas uestra, nos litteras felicis recordationis Domini Honorii pape III. non cancellatas, non abrasas, non abolitas, nec in aliqua parte sui uiciatas, cum uera bulla et integro filo uidisse, et diligenter inspexisse in hec uerba. *(Honorius episcopus . . . Dt. XIII. Kalendas Iunii. Pontificatus anno VIII. Vide n. CLIV. T. II.)* In cuius rei Testimonium presenti transcripto sigillum nostrum duximus apponendum. Datum in Monasterio *Lucensi*, XI. Kalendas Nouembris. Pontificatus Domini Clementis pape quarti anno tertio.

Ex originali ejusdem monasterii.

CD.

Bruno, episcopus Olomucensis, renovat monasterio Oslowanensi privilegium super jus patronatus ecclesiae s. Jacobi Brunae. Datum in Modřice, Idibus Novembris, 1267.

Bruno, dei gracia episcopus Olomucensis. Dilectis in Christo . . abbatisse et conuentui sanctimonialium in *Ozlauan* salutem in domino.

Petitionis vestre, quam nobis obtulistis, series continebat, ut priuilegium quod pie memorie dominus Rubertus episcopus, predecessor noster, vestro dedit monasterio, antiquatum adeo, quod renouationem requirat, sub nostro curaremus renouari sigillo. Cum igitur desideria iusta conueniat exaudiri, nos vestris, que honestatem continent, precibus inclinati, dictum priuilegium, quod diligenter perspeximus, quodque vidimus non abolitum, non cancellatum, nec in parte sui aliqua vitiatum, duximus renouandum, tenorem ipsius de verbo ad verbum nullo addito vel minuto presentibus inseri facientes, qui talis est. *(In nomine sancte trinitatis et indiuidue vnitatis. Nos dei gracia Rubertus . . . MCCXXXI. Vide n. CCXIII. T. II.)* Quod autem ea, que per huiusmodi priuilegium monasterio vestro esse noscuntur concessa, non pereant, sed futuris temporibus maneant inconvulsa, nos presens transscriptum ad ampliorem rei memoriam nostri iussimus sigilli munimine roborari. Datum in Modericz anno domini M. CC. LX. VII. VII. Idus Nouembris. Presentibus: Heydolfo, preposito de Cremser. Heydenrico decano. Theodrico canonico eiusdem ecclesie. Iohanne plebano de Crisaneuicz. Iohanne et Conrado, notariis nostris.

E codice MS. ecclesiae ejusdem.

CDI.

Otakarus, rex Boëmiae et marchio Moraviae, concedit Smiloni de Brumow facultatem de bonis suis libere disponendi. Act. Brunae, XVII. Kalendas Decembris, 1267.

In nomine domini amen. Nos Otakarus dei gracia Boemie Rex Dux Austrie et Styrie ac Marchio morauie omnibus in perpetuum. Ne res geste in tempore simul cum pretericione temporis euanescant, expedit, vt quilibet tractatus, qui debet in posterum recitari, litterarum firmetur serie iuxta sue forme debitam quantitatem. Hinc est, quod scire uolumus presencium quoslibet inspectores tam modernos quam futuros, quod considerata fidelitate et deuotis obsequiis dilecti nobis *Zmylonis de Brumowe* exhibitis nobis iugiter et inpensis, ipsi hanc graciam specialiter duximus faciendam, suis ad hoc precibus racionabilibus inclinati: quod de hereditate

sua, cum prole careat hereditario successore, habeat legandi, cuicunque monasterio decreuerit, donandi eciam uel uendendi, sev quicquid uoluerit, ordinandi plenariam facultatem, nostra ad hoc accedente uoluntate pariter et consensu. Ratum et gratum habituri, quicquid in hiis per dictum Zmylonem fuerit ordinatum. In cuius rei testimonium et robur perpetue firmitatis ipsi damus presentem paginam, nostrorum sigillorum munimine roboratam. Huius rei testes sunt: Nezamyzl pincerna. Bznatha dapifer. Bohuse marschalcus. Kuna camerarius olomucensis. Hartlybus subcamerarius. Frater eius Boleborius. Cernycius, frater camerarii. Wylhelmus, Zlauyborii filius. Budys, camerarius Brunnensis. Actum in Brunna Anno domini Millesimo CC. LXVII. XVII. Kalendas Decembris. Et datum ibidem per manus magistri Petri, prepositi Wyssegradensis, regni nostri cancellarii iam predicti.

Ex originali in archivo archiepiscopali Cremsiriensi.

CDII.

Instrumentum testamenti Brunonis, episcopi Olomucensis. Datum Olomucii, III. Kalendas Decembris, 1267.

Bruno dei gracia episcopus Olomucensis. Successori suo qui pro tempore fuerit. et capitulo eiusdem ecclesie Olomucensis; ad perpetuam rei memoriam. Cum rerum gestarum certissima representatio sit scriptura sitque uiuus et efficax sermo qui de hijs construitur attendendis; Nos propositum nostrum quod ad honorem dei et christianitatis profectum in *Prusciam* proficiscendi conceperimus exequentes. consedimus prius cum Canonicis nostris Bartholomeo decano, Herbordo preposito, magistro Iohanne archidiacono Olomucensi, Symone custode, Alexio preposito in Wolframskirghen, Archidiacono Znoemensi, Heydolfo preposito archidiacono Cremeserensi, et aliis tunc presentibus et omnia per nos ordinata in ecclesia nostra tam de possessionibus suis quam de aliis diligenter conscribi fecimus nomine testamenti, et debitam habendo considerationem ad deum, nec proprie salutis inmemores, sed eidem tam sollerter et prouide prospicere in presenti vita studentes, vt deo propicio retributio nobis proueniat in futura.

ordinationem quandam piam, rationabilem et honestam, in ecclesia nostra statuimus obseruari, viuis vtilem, et non minus defunctis quo ad animarum remedia salutarem. prout ordinationis ipsius in scripto continentia patefacit, cuius seriem inferius presentibus annotatam, nostri et capituli nostri vt nullius eis possit aduersitatis obesse calumpnia, nec quicquam de hijs scrupulus dubietatis elidat, sigillorum fecimus appensione muniri. Sciendum itaque quod ante introitum nostrum dominus noster *Otakarus Rex, tunc puer et Marchio Morauie, quamdam siluam et villas aliquas circa Hocenpla,* que prius fuerant in possessione domini *Ruberti* episcopi per prouincialem suum, et venatores terre occupari fecisset, ipsumque circuitum *Andree* dedisset, Nos tempore succedente in guerra que erat inter patrem et filium, eundem circuitum recepimus, et dum facta fuit concordia inter ipsos, idem circuitus in ipsius concordie tractatu nobis saluus remanere debebat; sed per mortem domini Regis senioris ab eodem Andrea questione nobis renouata, ad arbitrium domini nostri qui nunc est, datis per nos centum et viginti marcis, iuri suo cessit Andreas, et dominus noster nobis et ecclesie nostre eundem circuitum perpetuo confirmauit. Sunt autem iste ville quas in eodem circuitu posuimus exstirpatas. *Peterswalde. Ianestorph. Henrikestorph. Arnoldestorph. Bertoldestorph. Biterne. Leuendal. Renfridestorph. Pizkerstorph.* Ville vero in eodem circuitu prius locate sunt hee. *Wiztogh. Paulowiz minus totum. et Paulowiz maius dimidium. Zadik, Deuziz. et minus Glynik.* Emimus eciam vndecim laneos in villa *Petrowiz,* soluentes vndecim marcas in censu. Fecimus eciam piscinam in *Keytser* et molendinum cum quinque rotis. Emimus eciam a *Francone Comite de Hukeswagh circuitum* qui incipit ab aqua que vocatur *Zedelniz.* et habet ex vna parte terminum *Oderam;* ex alia parte *Bruneswerde* cum septuaginta laneis. Hunc circuitum de *Bruneswerde* emimus a domina Conradi de Plawz et heredibus eius et est totus ecclesie nostre. In tercia vero parte *Rosenowe* et *Grabowe* que sunt ab antiquo circuitu ecclesie nostre, sed ville per nos locate. In quarta parte *Oztraua,* secundum quod descendit ab *Vngaria* et quicquid ex ista parte Oztraue uersus Vngariam inuenitur. Medietatem vero huius circuitus uersus *Morauiam* tenet idem Comes in feodo ab ecclesia nostra tam pro se quam pro suis heredibus, masculis et feminis. Sunt autem quedam bona in eodem circuitu que *Petrus Heroldi*

dicebatur emisse a Comite, quorum medietatem in quadam compositione ecclesia requisiuit. et ipsa medietas tam ecclesie quam Comiti est communis. Quicquid autem prouenerit utilitatis in melle per totum circuitum, tam ecclesie quam Comitis, inter episcopum et Comitem equaliter diuidetur. et similiter si mineras auri vel argenti, aut cuiuslibet metalli siue salis inueniri continget. Situs uero et vtilitas terre taliter diuidetur. Quicquid est versus *Morauiam* Comitis est solius. sed est feodum ab ecclesia. quicquid autem uersus *Poloniam* est, ad Olomucensem episcopum plene spectat. preter bona, que obtenta sunt a predicto Petro, et preter siluam in *Pazlecowe* que obtenta est per iudicium a Bludone. in quibus et episcopo et Comiti adhuc vtilitas est communis. Sunt autem hee ville iam locate in circuitu quem pro se habet episcopus. Villa de *Stariz* cum septuaginta laneis. Villa forensis de *Frideberch* cum quadraginta laneis. Villa de *Zwenser* cum quadraginta laneis. Item dominus noster Rex pro laboribus et seruiciis que frequenter inpendimus ipsi dedit et contulit in perpetuum nobis et ecclesie nostre, mere liberalitatis affectu oppidum forense de *Hullyn*. villas de *Prawezis*. de *Aldendorph* et de *Nemziz*. cum omnibus iuribus et attinenciis suis, prout in priuilegio super huiusmodi donatione confecto plenius continetur. Dedit eciam ad petitionem nostram villam de *Lexziz* ad prepositurum de *Cremeser*. Item emimus apud *Wiscowe* duo molendina et septem laneos a domina Ierozlaua filia Sbizlai de Moriz. Preterea emimus vndecim laneos aput *Wiscowe* in villa de *Brennan* apud Razlaum laicum de Selziz. ad quorum solutionem vendidimus quatuor laneos et pomerium in uilla de *Myzlagwiz*. Herbordo preposito et *prepositure Olomucensi* in perpetuum. Emimus eciam tredecim laneos apud *Plancek* in villa de *Willemslagh*. apud nobilem dictum Mucare. Item apud *Mohelniz* emimus terram ad tres araturas apud Petrum de Lossiz. Theloneum eciam de *Wiscowe et ipsum oppidum forense*, quod ante introitum nostrum ablatum fuit ecclesie nostre seruiciis nostris recuperauimus, apud dominum nostrum seniorem Regem, filii sui nunc domini nostri accedente consensu. Quantum eciam per industriam et circumspectionem nostram in locationibus et extirpationibus circa *Gestuboriz*. *Suilauiam*. *Mohelniz et Gstrauiam et in hincinde* accreuerit ecclesie nostre plene ac liquido Canonicis nostris constat. et hec sufficiant, quo ad ea que nostris temporibus accreuerunt.

Ceterum ordinamus et statuimus deliberatione prouida et perpetuum desideramus firmitatis robur habere, quod villa episcopalis de *Ghelziz* cum omnibus attinentiis suis, et due marce que de curticulis apud *Olomuz* annuatim proueniunt ad Canonicos nostros ad ministrandum ipsis panem cottidianum perpetuo debeant pertinere. Danturque de prouentibus istis annuis cottidie et per totum annum Canonico cuilibet presenti vna simila et panis unus albus. et viginti scolaribus qui chorum frequentant cottidie dantur quolibet die viginti panes et totidem ciphi ceruisie et totum in certa mensura et debita quantitate. Item ut Canonici de superpelliciis bonis sibi prouideant et honestis. octo talenta de decimalibus denariis per Olomucensem archidiaconatum percipient annuatim. Item ad quatuor prebendas per nos creatas in Olomucensi ecclesia damus sexaginta laneos in villa de *Fritzendorph;* que sita est in districtu bonorum que aput Comitem emimus adiuncta villula episcopali que uocatur *Witaniz;* circa *Creliz* et habet. octo laneos. adiectis eciam decem talentis de decimalibus denariis Olomucensis archidiaconatus, quorum annis singulis quinque cedent preposito Olomucensi et quinque obedientiario vt illarum prebendarum Canonici in cottidianis distributionibus cum aliis Canonicis sint participes et communes. Item in eodem districtu et silua adhuc extirpanda conferimus et damus centum laneos ad conuentualem Canonicorum ecclesiam *S. Mauricii in Cremeser,* ad quam eciam capituli nostri interueniente consensu villulas episcopales de *Merteniz* de *Belen* de *Cassiz* que habent omnes triginta octo laneos, vt ad prebendas ipsius ecclesie perpetuo debeant pertinere. Villa vero Merteniz prius pertinebat ad corpus vnius prebende Olomucensis sed quia adiacet ecclesie de Cremeser in permutationem ipsius dedimus villam episcopalem de *Biscopiz apud Ghewiz,* consensu super hoc capitulo adhibente. Ad prepositurum vero de Cremeser damus villulam episcopalem de *Gernowiz* que habet sex laneos et allodium vnum quod habet vnicam araturam. Item quindecim sunt et esse debent altaria in ipsa ecclesia de Cremeser, quorum quatuor sunt dotata. ad vndecim alia conferimus et damus in dotem triginta tres marcas argenti vt ad quodlibet, tres marce, nomine dotis pertineant. Ista quidem summa. XXIII. marcarum de annuo censu in bonis per nos comparatis, scilicet in villa de *Stariz* et in villa de *Petrowiz,* singulis percipi debet annis. Episcopus uero iudicium et alia

seruicia et si quod in censu supererit obtinebit. Item statuimus quod post obitum nostrum pro remedio et salute anime nostre et omnium predecessorum nostrorum et episcoporum et eciam successorum anniuersarius perpetuo celebretur. et est taliter celebrandus. Decanus. prepositus. et archidiaconus Olomucensis cum anniuersarius iste fuerit omnes presbyteros ciuitatis Olomucensis tam religiosos quam seculares et vicinos ciuitati ad vnum aut duo miliaria conuocabunt; et dicent sollempnes vigilias; et mane in ecclesia maiori missam vnam sine nota, dicet ipsorum quilibet pro defunctis. et debent esse presbyteri ducenti, et si non sufficient altaria ponantur vbique mense per ecclesiam et fiant altaria circumquaque. Hora vero debita omnes debent maiori misse personaliter interesse et illa dicetur sollempniter pro defunctis, et est purpura per medium ecclesie prosternenda et circa ipsam quatuor candele ponentur; Missaque completa presbyteri omnes induti et stolis circumdati sollempniter peragent omnia in commendationibus, orationibus, ac aliis omnibus, veluti funus eciam presens esset. Hijs rite completis dabuntur cuilibet presbytero duodecim denarii tam religioso quam seculari. Ad habendum et distribuendum hos denarios inter presbyteros deputamus octo marcas argenti de quibus fabricabuntur sedecim talenta denariorum. absque ulla inpressione forme, quorum decem cedent ad distributionem inter presbyteros conuocatos. Item inter canonicos presentes tamen diuidentur duo talenta et cuilibet ipsorum per. XXIIII. denarios. De hiis duobus talentis cuilibet eciam vicario in maiori ecclesia perpetuato dabitur per. XII. denarios. et siquid in hijs distributionibus erit superfluum debet pauperibus erogari. Item duo talenta dabuntur religiosis ad claustrum sancti Stephani in Greditz dimidium talentum. ad claustrum sancti Petri in Olmuz dimidium. fratribus predicatoribus dimidium et fratribus minoribus tantumdem pro piscibus illo die. Item talentum vnum inter scolares et singulis per singulos denarios diuidetur. de quo eciam cuilibet campanario dabuntur XII. denarii qui deseruiunt in ecclesia maiori. Item vnum talentum distribuendum est inter pauperes et singulis per singulos denarios, de quo ad hospitale quod est apud ecclesiam fratrum minorum dabuntur denarii sexaginta. Item post obitum domini nostri *Otakari* Regis Boemorum illustris pro salute anime sue, patris sui, omniumque progenitorum suorum Boemie Regum et Morauie Marchionum et omnium benefactorum

ecclesie Olomucensis est anniuersarius sub eadem forma et obseruatione simili celebrandus. ad quem cedent similiter. VIII. marce. Item in crastino sanctorum omnium in memoriam et salutem omnium fidelium defunctorum anniuersarium similem statuimus celebrandum. Ad hos tres anniuersarios cedent annis singulis. XXIIII. marce, que in tres partes diuise facient pro quolibet octo marcas. Ista summa ante omnia recipienda est de censu bonorum in *Bruneswerde*, in *Frideberch*, et in *Zwenser*. Episcopus vero iudicium et alia seruicia et si quid in censu erit superfluum obtinebit. sunt enim bona per nos empta. Item statuimus, ut instaurentur et fiant incontinenti tres apum orti vnus in *Suitauia*, vnus in *Ghelz* et in *Mohelniz* vnus. et quod tam orti quam etiam apes in siluis per loca iam dicta sint in cura et custodia custodis Olomucensis qui pro tempore fuerit; ad procurandum vero et custodiendum ortos predictos et ad conquirendum pro ipsis queque necessaria, deputamus duodecim marcas argenti recipiendas annis singulis de censu predictorum locorum ita quod quatuor marce in quolibet loco tollantur. Volumus eciam vt in loco quolibet predictorum duos laneos cum censu, decimis et omnibus aliis seruiciis, excepto iudicio quod reseruabitur episcopo habeat perpetuo pro suis laboribus dictus custos. Mel quod de ortis et de silua proueniet cedet totaliter episcopo, sed cera tota de utroque melle pro Olomucensi et Cremeserensi ecclesijs ita, quod due partes sint Olomucensis et vna Cremeserensis, annis singulis relinquetur. Si quis vero successorum nostrorum, quod non credimus, hanc nostram ordinacionem infringere attemptauerit, recolligendo prouentus ad mensam episcopalem quos deputauimus et dedimus ad premissa, cum prouentus episcopales temporibus nostris et per industriam nostram, multo sint amplius quam de ipsis in hac ordinatione abstraxerimus, augmentati, volumus ut de bonis que comparauimus et emimus ecclesie nostre, que propriis superius vocabulis exprimuntur, hec ordinatio nostra, que pietatem et honestatem continere videtur, effectui debeat mancipari. Executores huiusmodi ordinationis et testamenti nostri facimus et constituimus dominum nostrum Otakarum, Regem Boemorum illustrissimum. Bartholomeum decanum. Herbordum prepositum. magistrum Iohannem archidiaconum Olomucensem, et magistrum Petrum prepositum Wissegradensem Olomucensem canonicum. petentes et obnixius supplicantes, vt ipsi sicut conuenit non permittant

a quoquam effectum presentium impediri. Actum Olomuz. III. Kalendas. Decembris. Anno domini MCCLXVII.

Ex originali in archivo archiepiscopali Cremsiriensi. — Apographum in codicibus Cremsiriensi C. VI. et Olomuc. I. membr. fol. 42. — Excusum incorrectius in Serie episcoporum Olomuc. a F. Richter edita.

CDIII.

Bruno, episcopus Olomucensis, fundat anniversarios Adolphi patris sui et Adelheidis matris in ecclesia Olomucensi. Dt. Olomucii, III. Kalendas Decembris, 1267.

Bruno dei gracia Episcopus Olomucensis. Vniuersis Christi fidelibus hanc litteram inspecturis salutem in auctore salutis. Cum sit pium et salubre cogitare et aliquid ordinare de remediis animarum nos vt convenit pro animabus patris et matris nostre solicite cogitantes ordinamus de consilio et consensu dilectorum in Christo Bartholomei decani Herbordi prepositi Magistri Iohannis Archidiaconi Olomucensis Simonis Custodis Allexii prepositi in Wolframskirchen Archidiaconi Znoymensis Heydolphi prepositi et Archidiaconi Cremsiriensis et aliorum Canonicorum nostrorum tunc presencium quod III. Nonas Ianuarii agatur perpetuo Anniuersarius *patris nostri Comitis Adolphi* in Ecclesia Olomucensi in vigiliis et officio misse sollempniter decantandis et anniuersarius *matris nostre Adelheydis* VII. Idus Aprilis similiter peragetur. Ad hos duos anniuersarios celebrandos deputamus quatuor talenta duo quidem ad anniuersarium patris et totidem ad matris anniuersarium. Et dabuntur cuilibet Canonico presenti XII denarii et cuilibet vicario perpetuo VI denarii et hec de vno talento. Item de alio thalento dabitur dimidium talentum scolaribus de quo eciam quatuor denarii dandi sunt cuilibet campanario qui deseruiunt in ecclesia maiori. Item dimidium talentum inter pauperes diuidetur. Et sic est in vtroque anniuersario faciendum. Hec quatuor talenta recipienda sunt annis singulis de bonis et de censu in *Brunesuerde* in *Frideberg* et in *Zwenser* cum et eundem censum deputauerimus vt in aliis apparet litteris pro anniuersariis eciam aliis celebrandis. Quod autem hec ordinacio cum sit pia et salubris robur obtineat perpetue

firmitatis et nullatenus postponatur presentem paginam ad rei memoriam sempiternam nostri et capituli nostri sigillorum fecimus communiri. Actum Olomuz III. Kalendas decembris Anno domini M. CC. LXVII.

E codice Olomucensi II. fol. 85.

CDIV.

Agnes, relicta Ekhardi de Miroslaw ratificat donationem juris patronatus in Droskowice factam monasterio Oslowanensi a marito suo. Datum in Myslibořice, pridie Kalendas Decembris, 1267.

Vniuersis Christi fidelibus presens scriptum uisuris. ego Agnes relicta domini Ekhardi uiri nobilis de *Mirslaus*. Ne ea que legittime et pia deuotione ordinantur propter Christum futuris temporibus possint a malignis malignorum hominum suggestionibus retractari necesse est litterarum apicibus eternari. Ad totius igitur litis et calumpnie depressionem notum sit presencium inspectoribus et auditoribus vniuersis quod donationem et resignationem iuris patronatus ecclesie ville de *Droscuwitz* quam felicis recordationis maritus meus Abbatisse et conuentui de *Osla* contulit propter deum ius suùm in ipsas transfundendo quod habebat in eadem sicut in litteris exinde confectis plenius dinoscitur contineri ratam gratam et firmam habeo. et ob salutem anime sue et carorum nostrorum tam uiuorum quam mortuorum renunccio omni iuri quod habere uidebar de ecclesia antedicta abbatisse et conuentui memorato et quia sigillo proprio carui ad ampliorem rei memoriam domini Heinrici plebani de Mirslaus rogaui sigillo roborari ut exinde reciperet firmamentum. Datum in Miselboritz anno domini M. CC. LXVII. Pridie Kalendas Decembris. Domino Hartlibo. Heinrico de Mirslaus et Gundackaro de Miselboritz plebanis. Westone Wolvramo. Ir. Subpriorissa. domina D. et Ger. monialibus de osla et aliis quam pluribus tunc ibidem collectis presentibus.

Ex originali ejusdem monasterii cum sigillo illaeso.

CDV.

Otto, civis Olomucensis, resignat monasterio Gradicensi laneos duos in Topolany. 1267.

Deperire potest omnis humana promissio que firmari non uidetur robore literarum. Pateat igitur vniuersis presentibus quam futuris presentem notulam inspecturis quod Ego *Otto* humilis ciuis Olomucensis vna cum filiis meis omne ius quod in bonis duorum laneorum in *Thopolan* videbar habere sub testimonio proborum virorum ciuium Olomucensium primo Stephani tunc aduocati. deinde Heyczonis de noua Ciuitate, Conradi Pertoldi Sdislai. ad manus venerabilis domini Rv. abbatis *Gradicensis* et conuentus totaliter resignaui. Quare idem venerabilis dominus Rv. abbas Gradicensis considerans me sibi et ecclesie sue plurima seruicia inpendisse et posse impendere. ratione dictorum bonorum in Thopolan. vnum laneum in uilla nominata *repsin* michi contulit quiete ac pacifice perpetuo possidendum ita tamen quod si filii mei post terminos vite ad seruiendum dicte ecclesie fuerint minus apti aut ipsorum seruitium non placuerit. non tantum ipsi filii mei verum etiam alii qui dicti lanei possessores extiterint, sepe dicto domino Rv. abbati et suis successoribus tres fertones argenti in festo beate Valpurgis. soluere teneantur tres uero presentas que visitationes vocantur scilicet in natiuitate domini IIII. pullos in pascha XL. oua in Penthecosten IIII. caseos quorum quiuis IIII. denarios valeat singulis annis reddere non obmittant saluis collectis. Si vero me aut filios meos nominatos laneos vendere contigerit de voluntate ipsius domini R. abbatis et suorum successorum talibus tenemur vendere qui sibi boni aut vtiles videantur. Et ut hoc factum permaneat illibatum presentem litteram duorum sigillorum munimine. meo videlicet ac ecclesie Olomucensis roboraui. Huius rei testes sunt hii. Frater Budis tunc Prior, Cornelius suprior Matheus Florentius, Vrbanus Heyricus Caluus Voyzlaus custos Anthonius Michael Valerianus Heyricus Kamerarius sacerdotes. De ordine vero fratrum Predicatorum frater Chualko tunc Prior et frater Lucianus lector. Ciues autem Olomucenses. primo Stepanus tunc aduocatus deinde Heyczo de noua Ciuitate Conradus Pertoldus Sdizlaus. Acta sunt hec anno domini MCCLXVII.

Ex originali cum duobus sigillis in archivo ejusdem monasterii.

CDVI.

Bruno, episcopus Olomucensis, concedit capitulo Cremsiriensi facultatem eligendi decanum et canonicos. Datum Cremsirii, Idibus Decembris, 1267.

Bruno dei gracia episcopus Olomucensis. Vniuersis Christi fidelibus hanc litteram inspecturis eternam in domino salutem. Cupientes quod ea que per nos deliberatione pia et prouida statuuntur, firma semper et illibata persistant; ac per scripti memoriam ad futurorum noticiam perducantur, Tenore presentium notum facimus quod dilectis in Christo *capitulo ecclesie s. Mauricii in Cremeser* nostre diocesis quam nos cepimus edificare de nouo, in ipsa creando prebendas, vt per se deinceps ad prebendas easdem canonicos, et decanum, de gremio ipsius ecclesie libere possint eligere, plenam damus et concedimus facultatem. Ita quod canonici omnes conueniant, et debitam obseruent formam secundum canonum statuta in electionibus huiusmodi celebrandis. Collationem vero prepositure in eadem ecclesia Cremeserensi nobis et nostris successoribus reseruamus. et est Olomucensis ecclesie canonico, et non alterius ecclesie, dum vacauerit conferenda. In cuius rei testimonium et euidentiam et memoriam sempiternam, presentem paginam inde conscribi, nostrique sigilli iussimus munimine roborari. Datum in Cremeser. Idibus Decembris Anno MCCLXVII.

Ex originali in arch. archiepiscopali Cremsiriensi. — Apographum in codice Olomucensi II. fol. 26.

CDVII.

Otakarus, rex Boëmiae et marchio Moraviae, inhibet civibus Liloviensibus, ne emtionem horti cum curia a se magistro hospitalis s. Spiritus de Sassia concessam impediant. 1267.

O.(takarus) dei gratia Rex Boemie, Dux Austrie et Stirie et Marchio Morauie . . Iudici et ciuibus uniuersis in *Lutouia* constitutis gratiam suam et omne bonum. Quoniam *magistro hospitalis s. Spiritus de Sassia*, quod in ciuitate uestra in leuamen infirmorum iam pridem edificari constituimus

facultatem dedimus redimendi *ortum cum curia* a Crisone conciue uestro Lutouiensi, inhibemus uobis per presens scriptum, ne quisquam prefatum magistrum super eadem emptione audeat impedire uel aliquomodo grauare, alioquin offensam nostram se grauiter nouerit incursurum. Anno domini MCCLXVII.

E copia simplici in archivo ecclesiae parochialis Litoviae.

CDVIII.

Sudĕhna, relicta Ludkonis, ciuis Unčoviensis, confert hortum et laneum agrorum in dotem hospitalis Litoviensis fratrum s. Spiritus de Sassia.
1267.

Notum sit omnibus tam presentibus quam futuris presens scriptum inspecturis. Quod ego *Sudehna relicta Ludkonis ciuis de Unisow in dotem hospitalis s. Spiritus fratrum de Sassia in ciuitate Lutouiensi* a Serenissimo domino Rege Otacharo collocati, et in consummationem ecclesie *s. Marie* ibidem hortum aput ciuitatem *antiquam Lutouiensem* et laneum agrorum a me iusto emptionis titulo aquisitos pro remissione meorum et mariti mei prefati peccaminum et omnium amicorum nostrorum contuli in euum possidendos. Hec acta sunt in presentia iudicis et scabinorum predicte ciuitatis Lutouiensis et sub sigillo eorum conscripta. Anno incarnationis dominice Millesimo LXVII.

E copia simplici in archivo curiae Litoviensis.

GENERAL BOOKBINDING CO.
78 53 005 R 1 IV 6179
QUALITY





Stanford University Libraries
3 6105 013 740 076

DB543
C66
V.3

DATE DUE

STANFORD UNIVERSITY LIBRARIES
STANFORD, CALIFORNIA
94305